


37
26 D
2


37
6 D
2

Sanctissimo Patri, ac Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

HUMANÆ INFIRMITATIS ROBUR;

IDEST

DE DIVINA GRATIA.

AUCTORE

D. FORTUNATO VENERIO

Presbytero Congregationis S. Pauli Barnabita &c.

Quæstionum Scholastico-Dogmaticarum.

TOMUS II.





ROMÆ, MDCCXXXVII.

Ex Typographia Petri Rosati, & Josephi Borgiani in via Parionis.

SUPERIORUM FACULTATE.

Sanctissimo Patri, ac Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

Omnem felicitatem.

FORTUNATUS VENERIO PRESBYTER

CONGREGATIONIS S. PAULI BARNABITA.



SUPREMÆ Dignitati, ac omnium maximę Majestati Tuę, BEATISSIME PATER, studiorum meorum labores à me sacros, ac devotos semel fieri posse, maximum erat

Monarchicæ Clementiæ Tuę argumentum; nec mihi eximium magis aut beneficium, aut præmium tribui poſſe jure merito exiſtimaveram, quippe quod illius erat munificentia, quem Chriſtus in terris ſibi Vicarium conſtituit, & cui, tanquam Paſtori Summo, reliquos omnes velut agnos, & oves Divina commiſit auctoritas, ut Te rerum diſpenſatorem, ac caput, moderatorem, ac Judicem inſtituerit, & declaraverit. Sed jam expectationem meam auguſti animi Tui vicit magnitudo, quum etiam hoc ſecundum Opuſculum meum, qualecumque futurum ſit, æque ſacro, ac maximo nomini Tuo inſcriptum iri, Tua ingenita benignitate donatum eſſe, glorier, & exultem. Id tamen, ut verum fatear, Divinæ Sapientiæ Tuæ conſilio peractum eſſe, quiſque prudens, ac ſapiens haud difficili negocio percipiet, ſi perarduam, pluribuſque periculis obnoxiam materiam, quæ in hoc pertractanda, ac ſtatuenda ſuſcipitur, juſta lance perpendet. Agitur ſiquidem, Beatissime Pater, non de naturalium rerum origine, non de ſyderum motu, non de maris æſtu, aut quopiam alio, quod ſub Cœlo poſitum eſſe, conſpicimus, ſed de ſublimi illo, inaceſſoque Myſterio, quod ſibi Divina Gratia, qua ad Patrem trahimur, vindicavit, quamve nobis Verbum Patris Caro factum, ſui Sanguinis pretio acquiſivit, enixiſque precibus flagitandam eſſe propoſuit. Hæc quot vulneribus antiquioribus ſæculis fuerit in Africa à Pelagianis laceſſita; Hanc quot calumniis, & conviciis in Germania Lutherani, ac Calviniani perſequantur. Quantum vero noſtris hiſce temporibus in Galliis deprimant, ac evertant Janſenii propagines, exhorreſcentibus auribus audimus, nec ſine cordis ſuſpiriis, ac oculorum lacrymis intuemur. Quid


igitur

igitur ipsi solatii, quid præsidii, quid securitatis superesset, quam ad firmam petram, & columnam veritatis confugere? nimirum se Tuum in conspectum producere, Tuisque manibus se fidenter committere, ut in sinu Tuo, tanquam in tutissimo portu, conquiesceret, immo Tua auctoritate, constantia, ac fortitudine, quibus Dei causam agere nunquam desinis, vafferrimos suos hostes prosterneret, ac profligaret.

Quanquam, BEATISSIME PATER, etsi hæc omnia, quæ certe non levia sunt, mihi argumenta deessent, non alteri tamen, quam Tibi, librum hunc devovendum esse, cogitanti mihi poteram suadere. Tuus hic erat, priusquam publicam in lucem prodiret, nec Verbum ullum aut mente conceperam, aut calamo exaraveram, quod etiam à Te procul Tibi non sisterem obsequentissimus, immo nec inpræsentiarum illam aspiceret, nisi eximiæ, ac Regalis munificentiæ Tuæ beneficio id actum esset. Efferant igitor alii Tuam in difficilioribus negociis mentem, dexteritatem, ac studium. Tuam alii in Urbe augenda, ac ultra admirationem exornanda, magnificentiam. Tuam alii in adversis fortitudinem, in prosperis moderationem; in pauperum inopia sublevanda liberalitatem; in Ecclesiasticis Juribus vindicandis constantiam, in rebus deliberandis prudentiam; in servanda, propagandaque Fide vigilantiam; Tuam tandem in toto Orbe curam, ac sapientissimum regimen. Illam ego certe summis, etsi imparibus, laudibus eminus, & cominus prædicabo, ut inde noscant, non tam studii mei, quam Divinæ propemodum CLEMENTIS XII. beneficentiæ librum hunc opus fuisse.

Quod

Quod igitur titulis omnibus Tuum eſt, Tuum accipito, ſemperque Tuum eſſe memineris; & me, Pontifex Optime Maxime, quem ad annos plurimos, Fidei incremento, Apoſtolicæ Sedis gloriæ, Totius Eccleſiæ utilitati, Deus ſervet incolumem, Tuis beatiſſimis pedibus humillime provolutum Sanctiſſima Tua Benedictione proſequi non dedigneris.



LE-



LECTORI THEOLOGO.



NTER Divina Mysteria, de quibus Doctores Theologi disputationes suas instituere consueverunt, illud semper maximum, perdifficile, ac ferme inexplicabile, quod de Divina Gratia inscribitur, omnibus, etsi Sapientissimis Viris, visum est. In splendidissimos ejusdem radios ita mentis aciem homines intenderunt, ut magis caecutientes evaserint, immo & excaecati; atque ipsi evenit, quod olim soli legimus contigisse. Habuit iste quosdam ita sui cultores, ut ei, summo veluti numini rerum omnium moderatori, thura adolerent, & sacrificia; quosdam vero sic infensos, ut jacula jacientes eum obruere, ac ferme necare contenderent. Habuit & gratia quosdam de se ita sentientes, ut quidquid agerent homines, ipsi foret tribuendum, nihil libero arbitrio, quod nullum esset. Hosce nosti Calvinum, & Lutherum; quosdam vero ita asserentes, ut, vel quidquid operarentur homines, à libero progrederetur arbitrio, vel, si aliquid à gratia, hoc non ad primos salutares actus, fideique initium, sed solummodo ad augmentum referendum esset. Hosce nosti Pelagianos, ac Semipelagianos; Mitto reliquos, qui à Michaele Bajo, & Cornelio Jansenio nomen habuerunt. Optime quidem contra hosce omnes mentem ac calamum impenderunt Doctores Catholici, qui tamen Sacra Dogmata felicius ac securissime propugnantes, nondum id assequuti sunt, quo rem hanc declararent. Omnes ex utraque parte Scripturas proferunt, Patres congerunt, Concilia producunt, rationes proponunt, quid eligendum, quid reprobandum? Hisce adde gratiae efficacitatem, necessariamque cum arbitrii libertate concordiam; quod quanto discrimine, ac periculo plenum sit, nihil dicam, cum pro omnibus sufficiat illud Augustini lib.2. de Pec Mer. & Rem. cap 18. haec habentis : Ipsa ratio, quae de his rebus à talibus, quales nos sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quaerentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur, rursus, ne sic liberum asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiae judicemur.

Haec

Hæc tamen omnia, & si quæ sint alia, quæ certe plura reperies, in hoc secundo Opusculo meo, pro ingenii mei tenuitate, brevi, ac clara methodo, ut opinor, tuum in conspectum producere ausus sum. Dum brevem methodum audis, nollem, à te rem ita accipi, ut aliquid, quod ad Quæstiones ex integro resolvendas, aut me latuerit, aut omiserim; Sed tantum intelligas, in eo laborem studiumque meum impendisse, ut unum semel dixisse sufficeret, & quæ idem significant, non per plura explicari, sed ad unum punctum revocare judicaverim. Unica certe Quæstio; vel de scientia Dei, vel de modo, quo hominibus Divina Gratia confertur, integrum volumen, si mea hæc mens fuisset, sibi vindicasset; quod quam verum sit, ex aliis Doctoribus facillime percipies.

Placuit etiam post Quæstiones, quas Divina Gratia sibi postulare videbatur, alias addere, quæ de Peccatis instituuntur; atque eo ductus consilio fui, ut hoc pacto non solum gratiæ dignitas, ac beneficium à Deo suavissimo Patre nostro clementissime collatum relucerent, sed etiam, ut Pelagiani, ac Lutherani errores detecti validius refellerentur.

Utcumque res à me peracta sit, eam non tam oculis tuis subjicio, quam animi tui benignitati commendo. Legere te non pigeat quod me elaborantem delectavit. Alia continuo typis committam, alacriore quidem mente, si quod commissum est, tibi, ut exopto, acceptum ac gratum intelligam.



DON MARIUS MACCABEI

Congregationis Clericorum Regulararium Sancti Pauli

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUm Librum cui titulus est: *Humanæ infirmitatis robur : De Divina Gratia* : à Patre D. Fortunato Venerio Congregationis nostræ Presbytero professo compositum, duo ejusdem Congregationis nostræ eruditi Viri, quibus id commisimus, accurata lectione, ac gravi judicio recognoverint, & posse in lucem edi probaverint. Nos ut typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, sigilloque nostro muniri jussimus. Datum Romæ in Collegio Nostro SS. Blasii, & Caroli die 26. Septembris 1737.


D. Marius Maccabei Præpositus Generalis.

Don Valentinus Viani Cancellarius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.



PRava Hæreticorum Dogmata ſtrenuè, ſapienterque refellere, ac Theologorum perdifficiles Quæſtiones non minus clara, quam brevi methodo explicare pergit Reverendiſſimus P. D. Fortunatus Venerius Clericus Regularis S. Pauli Barnabita in hoc altero Libro, cui titulus eſt: *Humanæ infirmitatis robur*: *De Divina Gratia*. Illum jubente Reverendiſſimo P. Jo: Benedicto Zuannelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro attente legi, atque in eo omnia Catholicæ Fidei, ac bonis moribus conſona utque publicam lucem aſpiciant digna deprehendi. In cujus fidem &c.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Can. Reg. Congreg. Sanctiſſimi Salvatoris, & Sac. Cong. Ind. Conſultor.

Juſſu

JUssu Reverendissimi P. Jo: Benedicti Zuannelli Sacri Palatii Magistri, legi Tomum secundum Theologicum, cui titulus est: *De Divina Gratia* à Reverendissimo Patre D. Fortunato Venerio Clerico Regulari S. Pauli Barnabita, pari ingenio, & eruditione elucubratum; Cumque nihil Orthodoxæ Fidei, & Morum Disciplinæ contrarium contineat: Immo ubertate Doctrinæ, Sententiarum delectu, ac perspicua styli facilitate, Reipublicæ literariæ utilitatem non mediocrem afferre possit; illum planè dignum censeo, qui typis mandetur,

Joseph Carpani Societatis Jesu Cleri Rom. Examinator, & in Coll. Rom. Generalis Studiorum Præfectus.



IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Mag.

INDEX QUÆSTIONUM,

Atque eorum, quæ in ipsis resolvuntur.

QUÆSTIO I.

De Gratia generatim accepta.

QUÆSTIO II.

De Homine in statu Innocentiæ.

QUÆSTIO III.

De necessitate Gratiæ in Homine lapso.

Art.IX.

QUÆSTIO IV.

De modo, quo confertur hominibus actualis Gratia.

DISPUTATIO UNICA.

De Divina scientia circa futura.

SEQUITUR QUÆSTIO IV.

SECTIO UNICA.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Gratia Habituali.

QUÆSTIO VI.

De Justificatione.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Merito.

Quæ-

Quæstiones aliquæ de Peccatis.

QUÆSTIO I.

De Peccato Originali.

QUÆSTIO II.

De Peccato Actuali.



IN LIBRUM SECUNDUM
SENTENTIARUM.
DE DIVINA GRATIA.



Ucundum magis, an magis arduum Theologiæ Tractatum explicaturus aggrediar, dum de Divinæ Gratiæ excellentia & arcanis dicturus accedo, me penitùs ignorare, fateri non erubeſco. Nihil in ea, quod miram ſuavitatem, eximiamque pulchritudinem non effundat, contemplandum proponitur, ſed nihil etiam quod vel in maxima profunditate non deliteſcat, vel inacceſſibili ſublimitate non reſideat, mentibus noſtris objicitur. Delectat in ea Divinæ benignitatis profuſio, quæ nos Divinæ naturæ conſortes efficiat, & ita è tenebris in admirabile lumen perducat, ut quondam filii iræ, Filii Dei nominemur & ſimus, & quos peccatum juſtiſſimè æterna morte damnaverat, hæc miſericorditer æternæ vitæ reſtituat; Quidquid in Cœlis glorioſum refulget, quidquid in Terris Sanctum Deoque gratum aut germinat aut conſiſtit, gratiæ tribuendum. Non lilia de virginitate candida, non roſæ de paſſione purpureæ in ſponſi hortulo floruiſſent, ſi Divina Gratia ſemen, pluviam, ſolem, fæcunditatem, incrementum non præſtitiſſet, atque ſuperna ope ab inimicis hominibus non ſervaſſet; ita ut quiſque cum Apoſtolo teſtari debeat: *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Sed hæc ipſa dulciſſima gratiæ munera, quàm imperſcrutabilia ſint, & inveſtigabilia quis cum eodem Paulo non fatebitur? Suaviter Deus & fortiter omnia per gratiam diſponit, quia ſuaviter, delectatione perfundor, quia fortiter, totis artubus contremiſco. Si tanta gratiæ excellentia, felix, cui dabitur; prorſus miſer, cui negetur. Hiſce cogitationibus obruor, quid dicam, quid intelligam ipſe neſcio. Agamus tamen quantum poſſumus, ipſiuſque gratiæ ſubſidium imploremus, ne ita profundè effodere, ut altius nos erigere prohibeamur. Si quid verò vel intelligere vel explicare mens calamuſque non poterunt, non audacter diſputandum, ſed humillimè excipiendum exiſtimabimus.

De hac Divina Gratia agit Magiſter in ſecundo Libro Sententiarum, quem reliqui præcipui Doctores effusè expoſuerunt atque explicarunt; Sanctus verò

rò Thomas in prima ſecundæ quem ſequuti ſunt alii plures Theologi. Ut clarius res omnes pertractentur, opus omne in varias quæſtiones dividemus, agentes in prima de gratia generatim accepta, diverſoque ſtatu naturæ, in ſecunda de primo homine in ſtatu innocentiæ, in tertia de gratiæ actualis in natura lapſa neceſſitate, in quarta de modo, quo datur hominibus, in quinta de gratia habituali, in ſexta de juſtificatione, in ſeptima de merito.

QUÆSTIO I.

De Gratia generatim accepta.

ARTICULUS I.

Quid & quoduplex ſit Gratia.

1 IPSIS ſub hujus tractatus veſtibulis pudet ea exponere de quibus eſt ſermo. Adeo omnibus nota, & clara ſunt, ut in hac re ſuperfluum, quod ſcribimus, jure merito exiſtimabitur. Hæc tamen & à me ſcribi Lectoris patientia non iraſcatur, ut faciliorem viam ad alia difficiliora parare non prohibear. Gratiæ nomine hic non intelligimus aut pulchritudinem, quæ proverb. 31. fallax dicitur gratia, neque morum, geſtuum, loquutioniſque ſuavitatem, de qua pſal.44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Neque alicujus amorem & benevolentiam, de qua Eſther 5. *Si inveni in conſpectu Regis gratiam*. Neque beneficiorum compenſationem, de qua David 2. Reg. *Sed & ego reddam gratiam*. Sed intelligimus *donum Dei gratuitum ſupernaturale naturæ rationali collatum*, *ipſique non debitum per ordinem ad ſalutem æternam*. Definitionis iſtius particulas explicare non audeo, ne videar Tyrones in ſcholis edocere.

2. Porro multas partitiones gratia ſic deſcripta ſortitur. Primo dividitur in eam, quæ datur non dignis & in eam, quæ dignis conceditur. Primi generis illa eſt, quæ in creatione Angelis & primis parentibus ante peccatum collata fuit, tum unio hypoſtatica Chriſti humanitati conceſſa; Secundi generis illa eſt, quæ poſt originale peccatum hominibus tribuitur.

3. Dividitur ſecundo in creatam & increatam, ſeù temporaneam ac æternam. Hæc ipſe Deus eſt, Divinuſque amor, quo ab æterno dilexit nos, tum illa charitas, quam Apoſt. ad Rom. 8. ait diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, & de qua Joan. 14. dicitur: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Illa verò conſiſtit in beneficiis creatis vocationis, ſanctificationis &c. ab increata gratia omninò deſcendens, de qua idem Apoſtolus ibidem; *Quos prædeſtinavit hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*.

4. Hæc autem gratia creata, de qua ſermo noſter, alia eſt externa, alia interna. Hæc intimè recipitur in anima, & complectitur omnia dona nobis infuſa, intellectus illuminationes ſanctaſque inſpirationes voluntatis. Illa verò extrà animam eſt, & relucet in concionibus, in alienis exemplis, in malarum occaſionum remotionibus, & hujuſmodi, de qua gratia inquit Auguſtinus 23. contra Quintum: *Ut adulterium non committeres ſuaſor defuit, ut deeſſet ego feci, locus & tempus defuit, ut hæc deeſſent ego feci*; deinde concludit, *cognoſce ergo gratiam*.

5. Alia inſuper dicitur gratia gratis data,

data, & alia gratum faciens. Illa non conceditur ut præcipuè ſubjectum, cui datur, fiat Sanctum, ſed ad aliorum utilitatem & ſanctimoniam comparandam, proinde etiam peccatoribus concedi poteſt, atque ad ipſam revocantur ea, quæ recenſet Paul. 1. ad Corint. 12. *Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Utrum verò hæc diviſio recta ſit nec ne, non eſt cur diſputationem inſtituamus. Gratia gratum faciens è contra conceditur, ut Sanctum fiat ſubjectum, cui confertur, de qua dictum fuit Paulo 2. ad Corint. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Et idem Apoſtolus poſt recenſitas gratias gratis datas inquit: *Adhuc excellentiorem viam vobis oſtendo*; & *æmulamini chariſmata meliora.* Hujuſmodi autem gratiæ diviſio tradita eſt, non quia etiam gratia gratum faciens non ſit gratia gratis data, ſed ad uniuſcujuſque diverſos fines innuendos, & idem genus tanquam ad duas ſpecies contractum declarandum. Ultra diſcrimen allatum inter utramque aliud affert Sanctus Auguſtinus, nimirum dona gratiæ gratum facientis hujuſmodi eſſe naturæ, ut licet homo poſſit ipſis non uti, nequeat tamen abuti, è contra verò donis gratiæ gratis datæ poſſit etiam abuti, ut manifeſtum eſt.

6. Gratia gratum faciens dividitur in habitualem, & actualem. Illa donum permanens eſt fidei, ſpei, charitatis aliarumque virtutum habitus infuſos complectens. Hæc verò habetur per auxilia ſpecialia tranſeuntia, quibus ad operationes naturam propriam excedentes, quibus auxilium generale non ſufficit, anima movetur. Atque hic breviter adnotandum cenſeo, operationem aliquam trifariam naturæ vires excedere poſſe. Primo abſolutè & ſecundum ſe, quando ſcilicet operatio eminentis ac ſupernaturalis ordinis eſt, ut ſunt actus Theologicarum virtutum; Secundo non abſolutè, ſed propter ſtatum, in quo homo poſt peccatum reperitur; quemadmodum enim homo laborans ægritudine, non poteſt ſine alterius auxilio ingentem molem movere, quam tamen ſolus, ſi ſanus eſſet, moveret; ita homo poſt peccatum infirmus ſine ſpeciali auxilio non poteſt, quod tamen poſſet, ſi ſanus, ideſt innocens perſeveraſſet. Tertio neque abſolutè, neque ſecundum vires, ſed propter circumſtantias modi, loci, temporis, ut contingit in homine, qui ingentem molem movere poſſet, ſi ejuſdem robur ſpectetur, attamen ſi propter anguſtias loci utramque manum adhibere nequeat, aliena indigebit ope; atque ita fiet, hominem juſtum præceptum aliquod ſervare poſſe, attamen ſi aliqua adveniat tentatio, ſine ſpeciali auxilio ſervare non poterit.

7. Hæc autem actualis gratia, ſeù auxilium ſpeciale, aliud eſt operans, aliud cooperans, quam diviſionem apertis verbis tradidit S. Auguſt. de gr. & lib. arb. cap. 17. dicens: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit, quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Operans ſine actione noſtra in nobis eſt, cooperans è contrario; Per illam voluntas noſtra tantum movetur, per hanc movetur, & movet; Hinc illa vocatur etiàm excitans, quia qui illam recipit eſt veluti dormiens, hæc vocatur adjuvans, quia illam recipiens jam ad opus ſe parat excitatus à ſomno. Utriuſque meminit ſub hiſce nominibus prælaudatus Doctor 2. de pec. mer. & remiſs. cap. 18. inquiens: *Quod ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus,* & Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 6. dicit: *Diſponuntur autem ad juſtificationem &c. dum Divina gratia excitati & adjuti fidem ex auditu concipientes &c.* Ad has gratias revocatur illa, quam prævenientem, concomitantem, & ſubſequentem apud Scri-

Scripturas, Concilia, & Patres nuncupatam esse reperimus, de qua Trident. sess.6. cap.16. hisce verbis: *Ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem infundit, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur*. August. verò in Ench. cap. 31. & de Nat. & Gr. cap. 32. omnia sic explicat: *Prævenit, ut sanemur, subsequitur, ut sanati vetegemur, prævenit ut piè vivamus, subsequitur, ut cum illo semper vivamus*, quod pluries repetit dicens, *prævenit ut velit, subsequitur, ne frustra velit*; Posset tamen per gratiam subsequentem, juxta illa verba, *ut cum illo semper vivamus* etiam gratia perseverantiæ finalis intelligi, de qua alibi sermo.

8. Tandem gratia hæc actualis dividitur in sufficientem & efficacem. Prima illa est, qua Deus ita hominem vocat & excitat, ut ad hominis conversionem, & actus quoscumque supernaturales sit ad cooperandum paratus, atque istius vi possit homo velle converti, omnesque hujusmodi actus exercere, attamen nec converti velit, nec exercere; Secunda verò illa est, qua homo sic excitatur & vocatur, ut infallibiliter velit. Pro hujusce gratiæ divisione audi Augustinum de correp. & gr. cap. 11. de Adamo dicentem: *Istam gratiam nunquam habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus* (en gratiam efficacem) *sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam esset malus*; en gratiam sufficientem, quod magis explicat Sanctus Doctor per subsequentia circa finem. *Acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset*. De hoc puncto alibi.

Contra expositas divisiones plura possent opponi, sed pro instituto nostro non sunt ad rem, nec alicujus momenti censenda sunt.

ARTICULUS II.

De aliquibus circa Divinam gratiam erroribus.

9. PRimi, qui temerè impièque de Divina gratia, senserunt, etiam postquam à cordis duritie recedentes in Christum crediderunt, fuerunt Judæi. Horum autem error ad duo capita revocatur. Primum est, gratiam Christi sine veteris legis observatione saluti non sufficere, quod etiam primo Antiochiæ, deinde in Galatia ex gentibus conversis persuadere cœperunt; Secundum est, Evangelii gratiam omnibus gentibus communem non esse, sed peculiariter propter legis custodiam Judæis esse concessam, proinde gentibus in Ecclesia Christi Judæos esse præferendos, immo neque illis prædicandum esse Evangelium, nisi prius ad circumcisionem inducerentur, quod colligitur ex Act. cap.14. ubi dicebant Judæi: *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari*; & in Concilio Apost. *quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi*. Ad hoc dicendum moveri poterant, ut arbitror, quia Christum ejusque gratiam solis Abrahæ filiis promissam esse existimabant, filii autem esse non poterant, nisi vel natruales, atque ex Abrahæ semine propagati, vel adoptivi per circumcisionem; aut quia putabant, legem Mosaycam, utpotè datam à Deo virtute sua saluti sufficere, & perpetuo duraturam, proinde licet admittendum crederent Evangelium, non tamen ex se sufficiens neque ut excludens legem, sed ut illi miscendum esse contendebant; aut tandem, quia solis Judæis Christi gratiam conferendam esse, gentiles verò, utpote idololatriæ servientes tanto indignos esse beneficio arbitrabantur. Contra utrumque errorem agit Paulus in epist. ad Galat. in Act. Apost. præsertim verò in epist. ad Roman-

man. neque eſt, cur à nobis ulterius refellatur.

10. Anno verò Domini quadrigenteſimo quinto fuit Pelagius Natione Britannus, profeſſione Monachus, tanta quidem fama illuſtris, & virtutum præclarus inſignibus, ut S. Joan. Chryſoſt. ejuſdem lapſum deplorans in ep. 4. ad Olimp. hæc verba faciat. *De Pelagio Monacho magno dolore affectus ſum &c. cum viros, tam piè ac ſanctè tantaque cum tolerantia viventes abripi, atque in fraudem impelli videamus*. Ibi tamen errorem, in quem incidit, Doctor egregius non declarat. Certum eſt, teſte Baron. ann. 411. & prius Auguſtino lib. de peccato originali cap. 21. Pelagium una cum Celeſtio ex Oriente in Occidentem pertranſiſſe, & Romæ ſuam hæreticam ſeminaſſe ſententiam, quæ tamen ſuum habuit exordium ab Evagrio, Ruffino, Valentino, & Marcione, ut colligitur ex S. Hieronymo in Proemio Dialog. contra Pelag. & S. Auguſt. de peccato origin. cap. 2. & ex Clem. Alexand. lib. 5. Strom.

11. Plures autem errores hæreſis Pelagiana complectitur, quos omnes recenſet S. Auguſt. pluribus in locis, præſertim verò in lib. de hæreſibus hæreſi 88. ſed omiſſis illis, quibus docuit, Adamum etiam innocentem fuiſſe moriturum, proinde non peccati pœna, ſed naturæ conditione mortuum eſſe; Adæ peccatum ipſi ſoli nocuiſſe, non verò toti generi humano; Infantes naſci in eo ſtatu, in quo conditus fuit primus homo, ideoque peccatum originale nequaquam contrahere, & baptizandos eſſe non ut à peccato mundarentur, ſed ut in Regnum Cœlorum admitterentur; quantum attinet ad rem noſtram, ſatis ſit indicare, homines juxtà ejus ſenſum ſolis liberi arbitrii naturalibus viribus abſque gratiæ adjutorio poſſe omnia mandata ſervare, & ad ſummum gratiæ auxilium conferre ad facilius totam legem implendam, non autem neceſſario, vel ipſum liberum arbitrium gratiam eſſe appellandum, cum gratis à Deo nobis concedatur; vel totam gratiam tribuendam eſſe doctrinæ & revelationi, per quam nobis innuitur, quid faciendum ſit, proinde omnem gratiam internam negavit, externam ſolum conceſſit, atque hanc tribui dixit juxta merita uniuſcujuſque, ne Deus perſonarum acceptator diceretur; immo adeo internæ gratiæ hoſtem ſe exhibuit, ut fatentibus Bellarm. lib. 4. de gr. cap. 8. & Abul. in 19. Mat. qu. 178., nullus actus eſſet liber, ſi Deus ad illum ſuum concurſum præberet. Hinc rejiciebantur orationes omnes, quas adhibet Eccleſia ſive pro infidelibus ut convertantur, ſivè pro fidelibus, ut in fide & gratia perſeverent, cum hæc omnia non à Deo accipere, ſed à ſemetipſis homines habere contenderent. Hæc eſt hæreſis Pelagianæ ſumma, reliqua verò, quæ apud Doctores inveniuntur, valde incerta ſunt, nec ad examen & reſolutionem vocare noſtri muneris eſt cenſendum.

12. Hujuſmodi hæreſis multoties damnata fuit; & primo in Concilio Provinciali Dioſpolitano, in quo Pelagius ne anathematis pœnam ſubiret, erroribus illis dixit anathema; deinde in pluribus Conciliis Africæ, quibus interfuit S. Auguſtinus, & contra ipſum octo Canones ſub nomine Concilii Milevitani circumferuntur; tum ab Innocentio I. & Zoſimo Succeſſore, poſtea in Concil. Epheſ. gener. una ſimul cum Neſtorianis; & tandem, ne diuturna ſeries contexatur, à Trident. ſeſſ. 5. & 6.

13. Omnino contrarium docuerunt Prædeſtinatiani, qui in quondam Africæ Monaſterio dicto Adrumentino ortum habuerunt. Cum enim teſte S. Auguſtino epiſt. 47. quidam Florus epiſtolam ejuſdem Auguſtini 105. ad Sixtum legeret, & difficillimam quæſtionem de gratia & libero arbitrio explicare niteretur, aliqui non bene intelligentes ita gratiam cœperunt attollere, ut liberum nega-

negarent arbitrium, & sic actum est, ut Pelagiani omnia tribuerent arbitrio, nihil gratiæ, isti omnia tribuerent gratiæ, nihil arbitrio. Aliqui verò ex istis per librum præclarissimi Doctoris de grat. & lib. arbitr. primum errorem deserentes, in alium prolapsi sunt, ut asserere cœperint. Si non possumus non peccare, nisi Deus per gratiam dederit, ut non peccemus, postulandum est à Deo, ut per gratiam suam non peccemus, sed si peccamus, corripiendi non sumus, quem errorem profligaturus Augustinus ad eosdem Monachos scripsit librum de corrept. & gr. ostendens, & postulandum esse à Deo, ne quis peccet, & corripiendum esse, si peccat, quia voluntarie & liberè peccat; quæ omnia videri possunt in libris prælaudatis. Utinam tamen hæresis ista suis fuisset contenta temporibus. Ad postrema sæcula suum servavit ac venenum effudit, siquidem Lutherani, Calvinistæ, Bajani, & Jansenistæ eam gratiæ notam injecerunt, ut liberi arbitrii usum & indifferentiam demeret, ac impediret, contra quos agit Concil. Trident. sess.7. cap.4. 5. & 6. tum Bullas ediderunt Summi Pontifices Pius V. Greg. XIII. Urban. VIII. Innoc.X. Alex.VII. contra Bajum & Jansenium.

14. Pelagianorum & Prædestinatianorum errore proscripto damnatoque ortum habuit alia secta, quæ Semipelagiana nuncupata est, quia ejusdem authores in aliquo à Pelagio recederent, in aliquo ipsi adhærerent, atque istos fuisse Joannem Cassianum, & inde Faustum communissimè notant Doctores, quamvis excusentur, & ut Catholici habeantur, præsertim primus, quia nondum contra ipsos quidpiam fuerat definitum; Plures habuerunt Sectatores in Gallia, præcipuè Massiliæ Episcopos & Presbyteros, & propterea Massiliensium error fuit appellatus. Recedebant profectò à Pelagio, docentes, ut colligitur ex epistolis Prosperi & Hilarii, omnes homines peccato originali obnoxios nasci, nec à peccato, nisi per Jesu Christi gratiam liberari posse; adhærebant verò, asserentes, fidei salutaris initium, seù primum actum fidei esse à naturalibus viribus liberi arbitrii, & à Divina gratia solam conservationem & fidei augmentum præstari. Hic est præcipuus ipsorum error, cui deinde tanquam fundamento alii additi sunt in ædificium; videlicet, gratiam Christi, æternamque salutem omnibus sine exceptione propositam esse, & ita quicumque per naturæ vires ad fidem & baptismum accesserint, eam, qua salvi fieri possint, gratiam consequerentur; Prædestinationem, per quam Deus nullis præcedentibus meritis aliquos eligit, & aliquos in massa perditionis relinquit, esse omnino rejiciendam tanquam à Patribus alienam, & fatalis necessitatis inductivam; Deum per legem, vel per prædicationem omnes homines ad salutem vocare, sed sicut illi, qui vocationi non obediunt, hoc ex libero solùm faciunt arbitrio, ita & qui obediunt, & hoc pacto tantam vim ad bonum habere, quantam ad malum, ita ut si eligant bonum, subsequentis gratiæ donum mereantur, si malum gratiæ subtractione mulctentur; Aliquos infantes merito proprio baptismum suscipere & salvos fieri, aliquos nequaquam, quia qui baptismum suscipiunt, suscipiunt ob præmium bonorum operum, quæ facturos fuisse Deus prævidit, si vixissent, alii è contrario, quod & asserebant rationem reddentes, cur ad unam Provinciam Evangelii gratia perveniat, ad aliam minimè. Christum æqualiter mortuum esse pro omnibus, & æqualiter Deum velle, omnes homines salvos fieri, unde salutis consequutio non ad Divinam prædestinationem, sed ad proprium spectabat arbitrium, atque ex hoc fiebat, quod, cum ad salutem requireretur obedientia hominis, & gratia Dei, prius esset hominem obedire, quam Deum gratiam elargiri, & sic voluntas hominum sibi Divinam opem com-

comparaset, non gratia humanam disponeret ac sibi subderet voluntatem. De hisce omnibus per epistolas Prosperi & Hilarii admonitus Augustinus de prædestinatione Sanctorum, & dono perseverantiæ libros scripsit, sed frustra; cum Semipelagiani correcti non sint, immo defuncto Augustino ita ejus doctrinam voce ac scripto persequi ausi sunt, ut Prosperum & Hilarium hæreticos appellaverint, qui cum ipsorum pertinaciæ resistere non valerent, ad Celestinum Papam Romam confugerunt, à quo ad Episcopos Galliæ datæ sunt epistolæ, in quibus Augustini doctrina commendatur, ac Semipelagianus error damnatus fuit, quod & factum in secundo Arausicano Concilio per 25. Canones & tandem à Concilio Tridentino. Et hæc satis dicta sint tam ad agnoscendas hæreses, earumque diversitates, quàm ad clarius ea decernenda, quæ in hoc opere statuenda erunt. Verum ad aliis faciliorem viam parandam ad aliam partem hujus quæstionis progrediamur.

ARTICULUS III.

Explicantur diversi status naturæ humanæ.

15. NOmen hoc *status* multifariam accipi solet, prout diversæ materiæ postulat ratio. Si juxta sensum juris civilis loquamur, significat conditionem personæ vel servi, vel ingenui &c. ut habetur §. de statu hominum; si juxta morem Theologiæ moralis, exprimit rationem quamdam vivendi cum aliqua speciali obligatione, & sic appellatur status Matrimonii, Religionis &c. Neutro tamen modo inpræsentiarum usurpatur, sed præcisè ut explicat conditionem & modum, quo se habet humana natura per ordinem ad suum ultimum finem secundum Divinæ Providentiæ consilium, quemque definivit Scot. in 1. dist. 3. qu. 3. art. ult. *Stabilem permanentiam legibus Divinæ Sapientiæ firmatam. Legibus* inquam, nam, cum homo liberi arbitrii facultate in utramque partem verti possit, necesse est, ut in aliquo statu certa lege firmetur, ex qua in natura humana stabilis & permanens obligatio progrediatur.

16. Generatim loquendo duplicem statum hominis distinguunt Theologi, nimirum termini & viæ, idest statum hujus vitæ, qua ad acquirendam beatitudinem labores impendimus, & statum patriæ, qua beatitudinem acquisitam jam possidemus, atque hic antonomasticè dicitur status, quia solus est omnium bonorum aggregatione completus, & perfectam præsefert stabilitatem, ut ait Boetius. (Statum damnationis hìc non recenseo,) nam licet hic etiam sit status termini, attamen cum non sit gratiæ capax, ad rem nostram non facit. De statu beatitudinis nihil dicendum occurrit, cum de hoc sermo contingat, ubi de beatitudine pertractatur. Statum vero viæ veteres Theologi duplicem assignarunt, videlicet illum innocentiæ, in quo conditi fuerunt primi parentes, & illum naturæ lapsæ, in quo post originale peccatum ipsi cum suis posteris permanserunt. Recta quidem divisio, si status illos velimus complecti, qui revera fuerunt, diminuta vero, si illos non velimus omittere, qui vel esse possunt, vel potuissent, proinde à Theologis nostrorum temporum quinque status communissimè inferuntur, idest, justitiæ originalis, gratiæ gratum facientis, naturæ integræ, naturæ lapsæ, & naturæ puræ.

17. Status justitiæ originalis habetur per rationem perfectè subjectam Deo ut fini naturali ac supernaturali, & per sensum perfectè subjectum rationi, ita ut ex hujus ordinis perfectione non solum habeatur gratia gratum faciens cum habitibus infusis virtutum Theologicarum & Moralium, sed etiam immunitas à quacumque molestia & dolore, immo immortalitas, non quidem

dem positivè ita ut mori non posset, sed negativè, ita ut posset non mori; Qui tamen effectus, quantum ad corpus attinet, permanente ipsa originali justitia separari possunt, ut constat in Beatissima Virgine & ipso Christo Domino contigisse.

18. Status gratiæ gratum facientis, qui dici solet novæ Legis ac Evangelii, est quasi integralis perfectio justitiæ originalis, ab ipsa tamen distinguitur, cum communis sit tam homini in origine justo, quàm etiam justo post lapsum, atque hujus status perfectio explicabitur, cum de gratia habituali agendum erit. Appellatur etiam status naturæ reparatæ, & libertatis, cum in eo liber evaserit homo à servitute & Dæmonis potestate, sub qua miserrimè detinebatur.

19. Status naturæ integræ sumitur hìc strictè, non scilicet pro integritate naturæ juxta perfectiones sibi naturaliter debitas in sensu Durandi, sed prout habet quamdam specialem perfectionem residentem in carentia fomitis & rebellis concupiscentiæ, seù in subjectione appetitus sensitivi rationali. Ex hoc plures Theologi cum S. Thom. 1. 2. qu. 106. art. 1. & 2. Sot. lib. 1. de nat. & gr. cap. 5. naturam integram ab innocente originaliter non distinxerunt. Illi verò qui distinguunt, ut communiter fit, vel dicunt, hoc esse discrimen, quod natura origine innocens ultra naturam integram involvit etiam pactum & promissionem transfundendi in posteros naturæ integritatem; vel quod justitia originalis haberet indefectibilem ordinem subjectionis, quam integritas naturæ non habet; vel quod (& hoc asserere magis placet) naturæ integræ non sit necessario annexa gratia sanctificans aut aliquod donum in substantia supernaturale, è contra justitiæ originali, & sic hæc illam includat, non ab opposito, & ita fiat distingui ad instar includentis & inclusi, ut inquiunt.

20. Status naturæ lapsæ ita appellatur post Adæ peccatum transfusum in omnes homines, vi cujus tota natura humana remansit infecta; requiritur autem hujusmodi transfusio ad talem denominationem, & ideo licet plures Angeli peccaverint, non dicitur lapsa natura Angelica, quia peccatum Luciferi non fuit in alios transfusum. Per hujusmodi lapsum remanet nunc natura humana destituta donis integritatis, immortalitatis, & gratiæ sanctificantis, quibus intrinsecè ad supernaturalem beatitudinem tendebat, remanet tamen adhuc ordo ad illum finem antecedentem.

21. Status naturæ puræ explicatur per hoc, quod natura humana habeat omnes perfectiones sibi naturaliter debitas, concursum ac providentiam generalem, nihil tamen illi sit superadditum boni vel mali in linea morali saltem in sui primordiis. De hoc autem quæritur, utrum esse potuerit. Quapropter.

ARTICULUS IV.

An potuerit homo in statu naturæ puræ creari à Deo.

22. ETsi à quæstionibus, quas de possibili instituunt Theologi, summoperè abhorream, aliquæ tamen ex istis sunt, ex quarum resolutione multa utilia, immo & necessaria colliguntur. Hujusmodi est proposita difficultas, ex qua clarius apparebit illorum donorum dignitas, ex quorum destitutione natura pura consurgeret.

Quod inquiritur, à Deo ut authore supernaturali fieri posse, certissimum est apud omnes Doctores, cum in hoc nulla appareat repugnantia. Posse etiam creari hominem in natura à quocumque peccato libera, ita de fide censendum est, sicut Dogma Fidei est Deum esse non posse authorem peccati, & ideo condendo naturam, ipsi non potest culpam infundere, quæ solum vel ab

ab aliqua radice infecta, vel à propria voluntate proficiscitur. Quæstio igitur reducitur ad Deum, ut authorem naturalem, & ad puritatem naturæ juxta carentiam donorum spectantium ad integritatem, immortalitatem, & gratiam gratum facientem ad supernaturalem finem conducentium.

23. Dixi in titulo, *an potuerit*. Nam si loquamur de eo, quod factum est, nulla fuit intellectualis natura, quæ ordinem ad finem supernaturalem non habuerit, proinde caruerit mediis ad eumdem conducentibus, hæc enim à Deo condita, vel fuit angelica, vel humana, de illa autem loquitur Sanctus Augustinus 12. de Civit. cap. 9. quod *Deus simul erat in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Et fundamentum desumitur ex Scripturis illis, quas in tractatu de Angelis Theologi congerunt; De humana vero legitur Ecclef. 7. *Deum fecisse hominem rectum*, & Trid. sef. 5. in decreto de peccato originali inquit: *Adamum peccando amisisse sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat.*

24. Sed si etiam revocari posset in dubium, utrum primo creationis instare gratiam hanc ipsis Deus fuerit elargitus, attamen in puris perfectionibus naturalibus non fuisse conditos, certissimum esset existimandum; Siquidem, etsi gratia habituali sanctificante caruissent, attamen ad finem supernaturalem assequendum fuerunt creati, debuerunt ergo habere auxilium paratum, & vim proximam ad gratiam consequendam, per quod auxilium, & per quam vim potuissent non peccare, & gloriam promereri, si voluissent. His prænotatis tamquam certis.

25. Dicendum. Potuisse à Deo, ut authore naturali produci statum naturæ puræ. Est contra Bajum & Jansenium, tum contra Estium & Contensonium, qui tamen diversis innituntur fundamentis.

Prob. Potest Deus hominem creare sine donis gratiæ, integritatis, immortalitatis, & ordine positivo ad finem supernaturalem, sed ita homo esset in statu puræ naturæ, ergo. Prob. maj. Potest Deus creare hominem absque omnibus præfatis donis, si hæc non sint homini connaturalia & debita, sed hæc non sunt homini connaturalia & debita, ergo. Minor plures amplectitur partes, singulæ probandæ sunt.

26. Prob. prima, quæ est de dono gratiæ, quam esse beneficium singulare, & omnino à creatione distinctum, docent contra Pelagium Sancti Patres, præsertim S. August. ep. 95. & ubique; ratione sic. Si gratia esset donum connaturale & debitum homini, etiam amicitia Dei, jus ad gloriam, & beatitudo æterna essent aliquid connaturale & debitum, cum hæc omnia vel sint effectus, ut ajunt, formales primarii gratiæ, aut gratiæ consectaria, sed illud non est dicendum, ergo. Prob. min. Primo quia eo admisso, jam error Pelagii tutissimè subsisteret, ac merito dici posset, hominem solius naturæ viribus hæc sibi comparare, sicuti quia facultas visiva est ipsi connaturalis, dicitur viribus suæ naturæ videre. Secundo quia Dei filiatio, & vita æterna non bene dicerentur in Scripturis *gratia Dei, & quidem in Christo Jesu*. Nec teneret quod ait August. contra Maximum cap. 55. *Homo ad Dei similitudinem factus non est verus filius, & ideo fit gratia filius, quia non natura*. Nec quod inquit Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 13. *Creatura, cum serva sit, solum voluntate Patris ad supernaturalia elevatur*. Justè propterea damnata fuit à Pio V. & Gregorio XIII. hæc propositio 21. Baii. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.*

27. Prob. secunda pars primæ minoris, quæ est de dono integritatis, quod connaturale homini esse fatentur duo authores citati in oppositum, & juxta

juxta hoc sententia nostræ contraria non est censuræ obnoxia, sicut in sensu Baii & Jansenii. Donum integritatis est perfecta sensus rationi subjectio, & rationis Deo, ita ut concupiscentiæ motus rationem non præveniat, & magis homo non moveatur ab objecto purè delectabili, & ab honesto retrahatur, sed hujusmodi subjectio non est homini connaturalis, ergo neque donum integritatis. Prob. mi. Connaturale est homini percipere delectabile immediatè per sensum; honestum vero mediatè per rationem sensuum ministerio, ergo connaturale est magis, quia immediatè, moveri à bono delectabili, minus vero & mediatè ab honesto. Hæc est doctrina Sancti Augustini dicentis lib. 4. contra Julianum cap. ult. *Gratia magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat*. Hinc, quemadmodum delectabile fere semper opponitur honesto, ita sensus in sui natura spectatus opponitur rationi, proinde illius subjectio nequaquam connaturalis censenda est.

28. Prob. tertia pars, quæ est de dono immortalitatis, idest perpetuæ animæ corporisque conjunctionis, si enim de immortalitate animæ dissereramus, hæc procul dubio, utpote substantia spiritualis, immortalitate gaudet, ut probatur in tractatu de anima, & tamquam Dogma Fidei est definitum. Animam à corpore separari, quod est hominem mori, est omnino connaturale homini, ergo non est ipsi connaturalis immortalitas. Prob. ant. Animam à corpore separari exigitur à principiis intimis naturæ constitutivis, etenim si loquamur de principio substantiali, hæc est materia, quæ ubicumque sit, semper est principium corruptionis, si de principiis accidentariis & quodammodo extimis. hæc sunt primæ qualitates, quæ naturaliter inter se pugnant, & subjectum ad corruptionem & interitum disponunt. Ergo. Hæc est Sanctorum Patrum doctrina, Sancti Augustini 13. de Civit. cap. 30. de Adami immortalitate dicentis: *Qui status ei de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur*. Et Sancti Cyril. 1. in Joan. cap. 15. hæc habentis. *Homo à Deo productus, quia natura sua incorruptibilis, atque perpetuus esse non poterat, spiritu vitæ signatus immortalitatis bonum supra naturam suam consequtus est*. Justissimè propterea damnata fuit hæc propositio Baii. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*. Tandem pro quocumque ex hisce donis à naturæ legibus excludendo, valet axioma illud Theologicum acceptum à S. Dionys. 4. de Div. Nom. nimirum. *Naturalia hominis & Angelorum post peccatum integra permansisse*. Atqui nec gratia, nec integritas, nec immortalitas permanserunt, ergo quia non sunt homini connaturales.

29. Quod probat primam partem minoris probat & quartam; sed advertendum est, duplicem finem posse ac distingui debere, supernaturalem unum, alium naturalem; Ille consistit in æterna beatitudine, & intuitiva Dei visione, de qua dicitur 1. ad Corint. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* quem ve non nisi gratiæ virtute possunt homines comparare, *gratia enim Dei vita æterna*. Naturalis vero collocatur in cognitione naturali & mediata Dei habita per creaturas. Iste conveniret homini in statu puræ naturæ, non ille, & ita convenirent media servantia proportionem cum uno, nequaquam cum alio. Sicuti vero cognitio in naturalem & supernaturalem distinguitur, ita & distinguitur amor, qui naturam sequitur cognitionis, propter quod damnata fuit illa propositio Baii. *Distinctio duplicis amoris, quo amatur Deus, ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut glorificator, vana est & commentitia*. At-

Atque hoc ſatis colligitur ex Concil. Trident. quod ſeſs.6. Can.3. definiens, auxilium Spiritus Sancti neceſſarium eſſe ad diligendum Deum ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur, indicat alium amorem præter ſupernaturalem poſſibilem eſſe.

30. Hæc prætermiſſa non ſunt, ut occurramus primo argumento, quod promoveri ſolet, videlicet, in homine eſſe connaturalem ordinem ad Dei viſionem & beatitudinem, quod tamen ſic magis contra doctrinam datam proponitur. Primo quia etiam in ſtatu puræ naturæ eſſet ſervanda lex, & reſiſtendum graviſſimis tentationibus, immo agenda pœnitentia, ut oportet, ut à culpa liberarentur qui peccaſſent, & Deus ſuper omnia diligendus, atqui hæc omnia ſine gratia haberi non poſſunt, ergo etiam huic ſtatui fuiſſet gratia connaturalis. Secundo; quia beatitudo naturalis præcisè ultimus finis hominis eſſe non poteſt, ſiquidem in ultimo fine debet homo perfectè quieſcere, at in ſola naturali beatitudine quæ perfecta quies? Carens ſupernaturali, maximo bono careret, & tanto creſcit animi anxietas, quanto creſcit bonum, cujus carentiam experitur. Tertio quia ex S. Th. 3. contra gen. cap.6. & Scoto in 4. diſ.49. qu.9. eſt in homine appetitus naturalis videndi Deum intuitivè, qui appetitus in naturæ capacitate conſiſtit, ergo debent eſſe in homine naturaliter media, per quæ hujuſmodi appetitus expleri non prohibeatur.

31. Sed contra ad primum. Ea omnia vera ſunt, ſed ſemper in linea naturali, ad hæc autem non requiritur gratia ſupernaturalis, de qua ſermo noſter, ſufficit naturalis, quæ nequaquam extraheret naturam illam à ſua puritate, præſertim quia non eſſet ad inſtar qualitatis permanentis, ſed merè auxilii actualis. Quod dico de naturali gratia, dico etiam de actuali peccato, quod eſſe potuiſſet in ſenſu compoſito ejuſdem naturæ, non enim peccatum illud eſſet lapſus à gratia ſupernaturali, & cum dicitur natura pura quacumque gratia & peccato carere, intelligitur quantum ad ejuſdem primordia, non ad totius vitæ decurſum, cum deficere & peccare connaturale ſit cuicumque naturæ defectibili & peccabili. Ad ſecundum; in beatitudine naturali perfectiſſimo modo juxta propriæ naturæ exigentiam illa natura quieſceret, & quidem tamquam in bono increato ſed naturaliter ſe explicante, neque carentia beatitudinis ſupernaturalis aliquam animi anxietatem affert, tunc enim ſolum privatio boni torquet ac angit, cum bonum cognoſcitur & amatur, in noſtro autem caſu Deus ut author ſupernaturalis neque cognoſceretur, neque amaretur. Ad tertium dico, dari hunc appetitum innatum in natura, quæ de facto eſt, vel eſſe appetitum innatum, ſed tantummodo remotum, ſitum in non repugnantia, in quo ſenſu dici poſſet, creaturam etiam appetere unionem hypoſtaticam, & ſcientiam per ſe infuſam, quod ad rem noſtram non eſt. Suarez tamen, aliique Doctores abſolutè negant.

32. Opp. ſecundo. Subjectio ſenſus rationi debet naturaliter convenire creaturæ rationali, ergo integritas eſt donum connaturale. Antecedens multifariam oſtenditur. Primo quia naturaliter creatura ſubjicitur Deo, ergo etiam ſenſus rationi. Secundo quia natura poſtulat, inferiorem ſubdi ſuperiori. Tertio quia, etſi appetere bonum delectabile rationi contrarium proprium ſit appetitus ſenſitivi, ut ſenſitivus eſt, non tamen, ut hominis eſt. Quarto ex S.Th.1. 2. qu. 82. art.3. ad 1. *Quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiſcere eſt homini connaturale, in quantum eſt ſecundum rationem, concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam*. Ergo.

33. Reſp. tria priora argumenta vera eſſe de ſubjectione phyſica & civili,

vili, non morali perfecta, & dispotica: Subjectio enim moralis, quæ est ad rem nostram, commensuratur amori, amor autem in Deum naturalem est imperfectus & cum reluctantia; Est insuper sensus, ut docet S. Th. 1. par. qu.81. art.3. ad 2. subjectus rationi sicut Civis Principi, & fœmina viro, non vero sicut servus Domino, datur itaque in eo facultas resistendi, ipsamque præoccupandi, præsertim ubi agitur de proprio bono. Auctoritati S. Th. aliisque similibus, quas habet S. August. lib.6. contra Jul. cap.5. dicendum; ibi sermonem esse de concupiscentia, quæ à peccato originali ortum deduxit, & per respectum ad naturam à Deo in justitia originaria creatam; ait enim S. Doctor immediatè post exposita verba. *Et talis est concupiscentia originalis peccati*. Ubi est etiam advertendum, hujusmodi concupiscentiam in natura pura non futuram fuisse aut culpam aut pœnam, quia ut inquit idem Doctor in 2.dist.31. art.2. ad 3. *Hæc ex principiis naturæ consequitur, non tamen iste defectus in se rationem culpæ vel pœnæ habuisset, quia non per voluntatem causatus esset*. Atque ita fit, concupiscentiam pro hoc statu non propriè tribuendam esse Deo tanquam authori, sed ipsi naturæ, quæ utpotè secundum se finita, defectibilis, & corporea exigit divisionem inter partem inferiorem & superiorem, aut si posset tribui Deo, esset tantùm in sensu negativo, quatenus Deus noluit à natura hujusmodi defectus removere, sed nihil mirum, non enim tenetur Deus ad id, quod est melius ex parte objecti, alioquin debuisset etiam creare naturam sine facultate peccandi, quod tamen neque in creatione Angelorum, nec hominis in statu innocentiæ, non evenit.

34. Oppon. 3. Status naturæ puræ, ut dictum est, excludit peccatum, ergo etiam pugnam inter carnem & spiritum, consequentia tenet, nam sensui contra rationem insurgenti connaturale est peccatum. Secundo. Si &c. potuissent post primum creationis instans excitari motus contrarii, tunc ratio vel fuisset superior, vel non, si primum, hoc gratiæ beneficio factum esset, & sic natura pura non fuisset; Si secundum, jam peccasset, & sic lapsa esset, ergo. Tertio. Concupiscentia est aliquod vitium cum ad malum inclinet, sed naturæ puræ nequit esse connaturale aliquod vitium, ergo neque concupiscentia. Quarto. Natura rationalis, cum in se bona sit, nequit connaturaliter habere materiem justæ erubescentiæ, quæ tantum de malo est, sed concupiscentia seù divisio &c. est justa materies erubescentiæ, ergo. Tandem motus concupiscentiæ essent naturæ consentanei, non esset igitur laudabile illos reprimere, quod dici nequit.

35. Responsio jam data est utrique argumento; Sed potius dici deberet, connaturalem esse facultatem peccandi. quàm peccatum, & quidem in linea purè naturali, ut discrimen sit inter naturam puram, & lapsam, quæ nunc est; Si vero ratio fuisset superior, per gratiam actualem in linea naturæ fuisset; quod si inferior, natura evasisset lapsa, sed solummodo à justitia naturali, atque ita fuisset in natura mutatio tantum accidentaria, non in substantia, & in ordine. Quod si etiam per hujusmodi lapsum destrueretur status naturæ puræ, non ideo impossibilis probaretur, alitèr etiam status justitiæ originalis impossibilis fuisset, cum tam brevi duraverit; ratio autem esse potest, quia ad rationem status requiritur posse permanere, non autem necessario permanere, cum semper habeatur libertas. Constat pariter, quid respondendum sit tertio, idest, concupiscentiam esse quodam vitium physicum naturæ juxta doctrinam Sancti Thomæ superius adductam; quod si ad malum inclinat, hujusmodi inclinatio ad malum non determinat, sed contra ipsam agendi facultatem relinquit. Ad quartum, Si defectus

fectus physici sunt justa materies erubescentiæ, nego majorem, & concupiscentia convenit naturæ, non ut bona est, sed ut necessario defectibilis est, ut à Divina distinguatur; & pariter ejusdem motus non sunt naturæ consentanei juxta id, quod boni est in natura, sed juxta id, quod est defectus, & ideo laudabile censeri debet, si motus isti cohibeantur; Per quod refellitur ultimum.

36. Oppon. 4. Ubi nullum est peccatum, neque mors, hæc enim per peccatum, tanquam peccati pœna, intravit in mundum, sed in natura pura non est peccatum, ergo neque mors, est igitur immortalitas donum connaturale & debitum. Hæc est doctrina Concilii Arausicani 2. Can. 2. definientis, injustitiam Deo tribuere asserentes, homines morituros quamvis non peccassent. Præterea. Morerentur ergo homines in illo statu, inquiritur: resurgerent ne corpora? Si affirmetur, ergo fuisset opus aliquod miraculo adscribendum, & supernaturale, sicut est resurrectio mortuorum, quod est contra dicta; Si negetur, ergo homo non erit capax neque beatitudinis naturalis, immo anima erit semper in statu violento, semper cum ordine ad corpus, & nunquam corpori reunienda.

37. Resp. in presenti rerum dispositione mortem esse pœnam peccati; quia natura condita fuit à Deo cum dono immortalitatis, & justitiæ originalis; atque in hoc sensu loquuntur Apostolus & Concilium, attenta verò sola conditione naturæ, mors non est pœna peccati, sed quid consequens ipsam naturam, uti probatum fuit; Hoc pacto dicendum foret, neque sitim neque famem naturæ secundum se convenire. Quod igitur homines non essent morituri, si non peccassent, non erat ex naturali jure, sed solùm, ex pacto inito à Deo cum Adamo, quando dixit, quacumque die comederis, morte morieris. Ad 2. respondent aliqui, corporum resurrectionem in eo statu non fuisse futuram propter rationem in argumento adductam, & beatitudinis capacitatem esse in anima à corpore separata non conjuncta, qua propter anima post separationem non esset in statu violento, neque servaret ordinem connaturalem ad corpus, cum non esset amplius ejus forma; Quod si dicatur, corpus fuisse pœnarum particeps in via, proinde etiam debere esse consolationum in termino, inquiunt, corpus fuisse tantùm instrumentum, non causam liberam, meritoriam, & principem. Aliqui verò dicunt, etiam tunc futuram resurrectionem, sed à Deo ut authore naturali; Si enim Deus ut author naturæ potuit corpus & animam creare, cur etiam non poterit corpus, & animam separatam iterum unire? Quod si in præsenti providentia resurrectio miraculo adscribitur, & supernaturalis saltem quo ad modum existimatur, non miror, cum directa sit ad finem supernaturalem, & ad Divinam Fidem confirmandam, quod in statu puræ naturæ non evenisset. Admissa autem hac resurrectione traheretur natura ad statum integritatis, immortalitatis, immo & impeccabilitatis, quæ dotes ipsi convenirent, non quia natura est, sed quia in termino est, ut constat etiam in natura lapsa. Utraque responsio sufficiens est.

38. Oppon. ultimo. Quamvis hujusmodi dona non essent debita aut ex merito creaturæ, aut ex naturæ dignitate, fuissent tamen debita ex voluntate & munificentia Creatoris; & sicut non obstat gratiæ, hanc debitam esse titulo promissionis Divinæ, ita non obstat naturæ, illam debitam esse titulo munificentiæ conditoris; decebat enim creaturam innocentem participem fieri naturæ Divinæ, & factam ad imaginem Dei suum aliquando exemplar posse videre, dedecebat verò, ipsam tot miseriis atque ærumnis obnoxiam esse, quas secum affert carentia integritatis ac immortalitatis. Hinc generatim loquendo

do inquiunt Sancti Patres, hujusmodi dona connaturalia fuisse, & Celestin. in ep. ad Episc. Galliæ ait: *Homines in prævaricatione Adæ naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse*.

39. Resp. argumentum jam ex se ipso corruere; si enim hæc dona sunt ex munificentia Creatoris, potuit sine istis natura creari; neque in hoc aliquid actum esset, quod Divinæ tribueretur imperfectioni, ut supra dictum fuit; non obstat autem gratiæ ordini debitum ex Divina promissione resultans, quia cum ipsa promissio ex actu Dei gratuito oriatur, ad gratiæ ordinem spectat, obstaret autem naturæ puræ debitum ex Divina munificentia derivatum, quia si vellet Deus gratuitè quidem ipsi dona dicta conferre, jam amplius natura pura non esset. Particeps sit ista naturæ Divinæ, & ad Dei imaginem facta suum videat exemplar, sed modo sibi consentaneo, ut dictum fuit. Neque verò quid in oppositum probant ærumnæ, quibus hæc natura subjecta foret, siquidem naturales essent, & debitæ substantiæ corporeæ, sicut fuit probatum. Sanctis Patribus respondet Sanctus Thomas inquiens, aliquando id naturale dici, quod natura recepit incipiens, & in hoc sensu vera est etiam propositio Celestini; Nunc autem naturale id intelligimus, quod non solum incipit cum natura, sed etiam ab ipsa natura exigitur, nec singulari gratiæ tribuitur; Nos ab Apostolo vocamur natura filii iræ, nec tamen hoc convenit naturæ, ut natura est.

Dices. Cur ergo Augustinus pluribus in locis contra Julianum ex ærumnis & morte probat, peccatum originale in omnes derivasse? Argumentum hoc nullum esset, si essent debitæ naturæ. Dico, bene Augustinum probare, quia loquebatur in suppositione etiam admissa à Juliano, nimirum hominem fuisse conditum in justitia, quæ si perseverasset, ærumnæ nullæ fuissent.

QUÆSTIO II.

De Homine in statu Innocentiæ.

ARTICULUS I.

An Adam habuerit rerum omnium scientiam.

1. CUM quælibet perfectio à Deo clementissimo conditore Adamo concessa in ipsius intellectu & voluntate refulserit, ut ipsam in medium producamus, ejusdem intellectum & voluntatem necesse est consideremus. Hinc primo inquirimus, quod in titulo exposuimus.

Sentiendum affirmativè. Quod quidem colligitur, ex pluribus Scripturæ locis. *Adduxit enim Deus omnia animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea*. Gen. 2. Ipse autem imposuit nomina juxta eorumdem proprietates, quod sine eorum cognitione evenire non poterat. Ecclesiast. 17. legitur: *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit eis*.

2. Si autem ratio quæritur; hæc primo affertur ex parte Dei, cujus perfecta sunt opera, si autem condidit Adam perfectum secundum corporis perfectionem, multo magis secundum animæ dotes, quas licet temporis decursu potuisset acquirere, attamen magis congruum fuit à principio infundere, sicut licet corporis statura annorum processu comparari possit, & arbores juxta

juxta anni temperiem fructus valeant producere, attamen ipſum conſtituit in ſtatura perfecta, & plantas cum fructibus procreavit. Affertur ſecundo ex parte ipſius hominis, factus enim erat Adam non ſolùm quantum ad corpus, ut alios poſſet homines generare, ſed etiam quantum ad animam, ut homines poſſet inſtruere & gubernare, atqui ut alios generare poſſet, habuit in ipſa creatione perfectam virtutem, ergo ut alios poſſet inſtruere & gubernare habuit in ipſa creatione perfectam ſcientiam.

3. Eſt tamen diſtinguenda cum Sancto Thoma hic qu.49. art.3. in corp. duplex ſcientia, una neceſſaria ad vitæ gubernationem, alia nequaquam. Prima data fuit Adæ etiam ſecundum ea, quæ vim naturalem excedunt, cum Deus non deficiat in neceſſariis; Secunda minimè, ut ver.gr. ſunt lapilli in flumine, arenæ in mare, & cogitationes in hominibus, cum Deus non impertiatur ſuperflua, immo nec iſta efficiat.

4. Cum autem res ab homine cognoſcibiles ſint in triplici ordine, nimirum materiales, ſummè immateriales, ut eſt Deus, & mediæ inter materiales & immateriales, ut ſpirituales creaturæ, quæri poteſt, utrum circa iſtas omnes infuſa fuerit Adæ ſcientia, & jam quantum ad primas patet ex dictis; Quantum verò ad Deum, nullam video dubitandi rationem, cum enim poſſit Deus naturaliter cognoſci, immo ſit præcipuum humanæ cognitionis objectum, hanc procul dubio Adamo conceſſam eſſe contendo. Talis autem fuit ejus ſcientia, ut ſpecie cum noſtra conveniret, quamvis in perfectione accidentaria multum excederet præſertim in actuali conſideratione, cum ea non ferret impedimenta, quæ in nobis experimur; atque hinc eſt, quod ait S. Thom. *Non impediri per res exteriores à clara & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat*; niſi forte hoc ſit explicandum de ſupernaturalium rerum cognitione, de qua infra dicemus. Cœterum quod habetur in Scriptura, *Deum nemo vidit unquam* cum ſit propoſitio univerſalis, etiam ad Adamum referendum eſſe, non eſt cur ambigamus. Quod ſi Deus ad formandam Evam immiſit ſoporem in Adam, quem aliqui explicant pro elevatione mentis ejus ad claram Dei viſionem, dico, hanc explicationem omninò gratis afferri, nec ullum fundamentum habere vel in Scriptura, vel in Sanctis Patribus.

5. Quantum verò ad Angelos fortaſſe magis dubitari poſſet, quia licet homo minus diſtet ab Angelis, quam à Deo, tamen in cognitione magis diſtat ab Angelis, cum res creatæ non ab Angelis pendeant, ſed à Deo, & ideo in Dei notitiam, non in Angelorum cognitionem promovere poſſunt. Attamen Affirmativam ſententiam amplecti debemus; Si enim de facto ex motu Cœlorum cognovit Ariſtoteles intelligentias motrices & ſubſtantias ſeparatas ſupra Cœlum habitantes, ut ex 1. de Cœlo colligitur, hoc potiori jure concedendum Adæ videtur.

6. Immo adeo excellentem tum Dei, tum Angelorum cognitionem Adę aliqui exiſtimarunt, ut tam Deum, quàm Angelos per eſſentiam vidiſſe protulerint. Utraque tamen pars tanquam falſa eſt rejicienda; Et primo, ſi Adam cognoviſſet Deum per eſſentiam, nequaquam peccaſſet, nam fuiſſet Beatus, & per talem viſionem ita homo conſtituitur & in Dei amore ſtabilitur, ut vel formaliter, vel radicaliter ſaltem, juxta diverſorum principia, peccare non poſſit; peccavit autem Adam, adeoque Deum per eſſentiam non vidit, quod quidem clarè colligitur ex Apoſtol. 1. ad Corint. 15. ubi ait: *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale* maximè autem ſpirituale eſt Deum per eſſentiam videre. Quod ſi Adam in illo felici ſtatu beatus nuncupatur, ut habetur ex S. Auguſt. 4. de Civit., non eſt ſermo de illa beatitudine, in quam tranſ-

transferendus erat, & quam ab essentię Divinę visione progredi affirmamus, sed solummodo secundum quemdam modum, idest, secundum integritatem & perfectionem naturalem, ut tradit idem S. August. 11. super Gen. ad lit. Nec obstat, Adam vidisse Deum sine medio, ut innuit Magis. Sent. in 1. dis. 4. & sine aliqua obscuritate, ut docet S. Aug. 15. de Trinit. cum hæc obscuritas introducta sit per peccatum; Duplex siquidem medium distinguendum est; Unum, per cujus notitiam in aliquod ignotum devenimus, sicut est in demonstratione, & secundum hoc primus homo Deum non vidit, cum non oporteret in Dei cognitionem per demonstrationem sumptam ab aliquo effectu procedere; Aliud, in quo simul videtur quod per medium videri dicitur, ut homo qui videtur per speculum, & simul cum speculo, & secundum hoc primus homo vidit Deum, cum in ipsis effectibus ipsum suo tamen modo cognosceret. Duplex etiam obscuritas est distinguenda; Una, quæ ortum duxit à peccato, prout homo abstractus à sensibilibus impeditur à consideratione intelligibilium, & sine hujusmodi obscuritate fuit Adami cognitio; Alia, quæ oritur ex conditione cujuslibet creaturæ, quæ censetur quodam obscurum si claritati Divinæ comparetur, & sic Adam vidit obscurè Deum, quia per effectum creatum.

7. Dicendum etiam, Adam per essentiam non cognovisse Angelos, nam anima ejus erat in eadem specie, in qua nostra, sed nostra non cognoscit Angelos per essentiam, ergo neque anima Adami; ratio autem est, quia anima primi parentis erat accommodata ad tribuendam corpori vitam, quapropter dicitur, factus est homo in animam viventem; prout autem est ita accommodata, dependet in sui cognitione a conversione ad phantasma, proinde apta non est ad cognoscendas per essentiam res spirituales, sicut sunt Angeli.

8. Cognovit utique Adam Angelicam substantiam perfectiore modo, quàm nos cognoscamus, cum iis impedimentis, quibus nos detinemur, non teneretur, ejusdemque notitia esset magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia, propterea ait Gregor. IV. Dial. *Hominem in Paradiso verbo Dei perfrui, bonorum Angelorum spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse*. Neque officit, unam substantiam separatam cognoscere aliam cognoscendo se ipsam, nam hoc est verum, si in alia non detur excessus: sicut certum est, Angelos se ipsos cognoscere, nec tamen cognoscendo se ipsos cognoscunt per essentiam Deum propter majorem excellentiam, quæ reperitur in Deo; Quod si corpus Adæ nullo gravamine ipsius animam afficiebat, hoc non probat, nam carentia cognitionis non oriebatur ex corpore animæ non subdito, sed ab objecto longè excellentiori, & à phantasmate nimis remoto; in nobis autem propter utrumque contingit.

9. Nunc de scientia Adæ circa res supernaturales aliquid definiendum; Qua in re plura nostræ fidei mysteria sunt recensenda; neque verò ea placet asserere ita nota Adę, ut ipsorum scientiam habuerit, sed tantummodo revelationem, seù evidentiam, ut inquiunt, in attestante, alioquin fides esset ab eo excludenda, quod consonum non videtur, nam Adam in statu innocentiæ placuit Deo, & justus fuit; *Justus autem ex fide vivit* 2. ad Hebr. 10. &, *sine fide impossibile est placere Deo* ad Hebr. 11. &, *dum sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus*. Adam autem verè fuit in corpore & viator. Sed posset etiam excludi ab Adamo evidentia in attestante, primo quia non spectat ad fidem haberi necessario per externam loquutionem, sed haberi etiam potest per interiorem inspirationem, juxta illud psal. 83. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Secundo quia potuerunt manifestari mysteria

steria per Angelum; tertio quia licet fuissent à Deo immediatè revelata, non videbat clarè personam loquentem, quæ omnia dicta sunt, ut fidem asseramus in Adamo, licet componi non posset cum evidentia in attestante, ut plurium fert Theologorum opinio, contra quos nos diximus in fidei tractatu.

10. Incipiendo autem à Divinitatis Mysterio, dicendum, hanc primi parentis cognitioni fuisse concessam; nam quod ait Apostolus: *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, fuit omni tempore ad salutem necessarium, ergo etiam Adami in statu innocentiæ. Si vero de Trinitatis Mysterio fiat sermo, clara est authoritas Epiph. contra hæres. in præf. *Novit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Propheta enim erat, quia novit, quod Pater dixit Filio. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quod si hoc valet pro toto tempore vitæ Adæ, ut plures Epiphanium intelligunt, multo magis pro statu innocentiæ, non enim concedendum est majus privilegium ipsi in natura lapsa, quam in natura integra.

11. Magis dubitare possumus, utrum etiam mysterium Incarnationis fuerit primo parenti revelatum. Videtur enim negativè sentiendum pręsertim in illorum sententia, qui dicunt ante Christum fuisse prędestinatum, tum aliorum, asserentium Adamo non peccante Verbum Divinum non fuisse carnem assumpturum; & tandem quia sicut gratia Adæ non fuit ex meritis Christi, ita neque fuit ex fide.

12. Rationes tamen istæ non movent; nam quantum ad primam consultius dicimus, si dicamus Christum fuisse primum prædestinatum, & caput omnium prędestinatorum, ut passim colligitur ex Epistolis S. Pauli, & nos in tract. de Verbi Divini incarnat. ex instituto probabimus. Quantum ad secundam, jam in primis falsum est dictum juxta Scotistarum principia, quæ à me propugnantur; deinde dico, Incarnationis mysterium fuisse Adę revelatum, non quatenus ordinem servabat ad liberationem à peccato, sed quatenus tendebat ad gloriæ consummationem, & in hoc sensu etiam gratia Adę fuit ex meritis Christi, unde patet ad tertiam. Concludamus ergo cum S. Prosp. in primo cap. de prædes. & promis. Dei. *Sacramentum magnum Christi & Ecclesiæ fuisse promissum Adæ, quod promissum ipse speravit*. Si autem speravit, planè cognovit & credidit; inquiit enim Adam. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit Uxori suæ*, in quibus verbis jam Christum & Ecclesiam prenuntiavit juxta Apost. ad Ephes. 5. dicentem, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico de Christo & Ecclesia.

ARTICULUS II.

An homo in primo statu decipi potuisset.

13. Cum in antecedenti dictum fuerit de scientia Adæ, merito modo inquiritur, utrum tanta fuerit, ut in aliquam deceptionem, seù errorem potuisset incidere, seù aliis terminis, utrum Adam non tantum habuerit perfectionem cognoscendi veritatem, sed etiam evitandi falsitatem. Qua in re distinguendum est judicium certum, & determinatum ab incerto, dubio, vel opinativo, neque enim quando rem aliquam judicamus ex conjecturis vel levibus rationibus tunc erramus, vel decipimur, sed ulterius ad errorem & deceptionem debemus rem aliquam judicare alitèr quàm sit in se, nostroque judicio determinatè firmiterque assentiri. Cum Adam circa res omnes evidentem non habuerit cognitionem, ut dictum fuit, potuit quidem de re aliqua dubitare, vel opinari, attamen errare non potuisse, vel decipi, sentio cum

cum S.Th.1.par.qu.94. art.4. cum S.Bonavent. in 2. dis. 23. art. 2. qu. 2. quod quidem multo ante tradidit S. August. lib.3. de lib. arbitr. cap.18. dicens: *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

14. Verbis illis, *ut erret invitus* fortasse ductus P. Molina in tract. de opere 6. dierum dis. 26. duplicem deceptionem erroremque distinxit; voluntarium scilicet, ac involuntarium. Primum inquit potuisse in Adamo contingere, ita ut pro libera sui determinatione decipi potuerit; atque ita evitat difficultatem illam quæ promovetur, ex quo de facto serpens deceperit Evam; Secundum verò negat; Sed quidquid sit de hoc, assertum meum ita suadeo.

15. Atque in primis dixi, potuisse Adamum de re aliqua dubitare, vel opinari, quod licet neget P. Suarez, cum, ut ipse inquit, quamvis non sit deordinatio culpæ, sit tamen magna imperfectio, & malum quodam naturæ, attamen id apertè docet S. Th. loco citato dicens: *Quantum ad ea, quorum scientiam non habebat, decipi poterat, longe accepta deceptione pro existimatione qualicumque sine assensu credulitatis, quia existimare falsum in rebus non est noxium boni* proinde non est imperfectio, nec malum quodam indebitum statui innocentiæ.

16. Nunc verò positivè ad aliud punctum devenio. Intellectus non potest decipi, vel errare circa proprium objectum, nisi hoc falsò, & cum deceptione ipsi reprehesentetur, sed in statu innocentiæ non poterat falsò & cum deceptione reprehesentari, ergo. Prob. min. Non poterat falsò & cum deceptione reprehesentari, nisi per facultatem inferiorem, puta phantasiam; sed non per hanc, ergo. Prob. min. In statu innocentiæ facultates inferiores erant subditæ superioribus, nec istæ per illas poterant impediri, ita poscente dono integritatis, ergo.

17. In re nostra argumentatur etiam S. Augustinus inquiens, omnem deceptionem esse malum hominis pertinens ad pœnam, quæ ante culpam nequaquam infligitur; Et si homo perseverante illo statu nullum malum passus esset in corpore, non famem, non sitim, non ægritudinem, non mortem, potiori ratione nullum malum sensisset in anima, proinde nullam deceptionem.

18. Nunc verò proponamus argumenta, quæ in oppositum possent afferri; & primo. Quamvis B. Virgo nullius peccati labe foret infecta, attamen & ipsa decepta fuit, quando Luc.2. existimavit Christum fuisse in comitatu, cum revera esset disputans cum Doctoribus in Templo, ergo quare non potuerunt decipi primi Parentes etiam in statu innocentiæ? Secundo ex Apostol. 1. ad Corint. 2. *Mulier seducta in prævaricatione fuit*. De qua loquens Magis. Sent. lib. 2. dis. 21. inquit, ideo Mulierem non timuisse serpentis sermonem, quia loquendi munus à Deo accepisse putavit, quod tamen falsum erat. Tertio. In somniis contingunt deceptiones plures, & interdum similitudinibus, & apparitionibus tanquam rebus adhæremus, sed Adam in statu innocentiæ, sicut comedisset, ita etiam dormiisset, ac somniatus esset, ergo. Quarto. Cum Adamo non fuisset indita notitia futurorum, potuisset tunc aliquis ipsi dicere falsum circa futura, & tunc Adam credendo fuisset deceptus. Tandem. Cum natura oculi non sit per peccatum infecta, sicut nunc errat circa rem visam, ita potuisset ante peccatum, consequenter &c.

19. Ad primum. Solummodo de Sancto Josepho, ita ut per Sinecdochen numerus pluralis pro singulari sumatur, potest illud explicari; deinde propter mysterium potuit Christus hanc Matri veritatem occultare; Tandem, verbum illud *existimantes* non explicat judicium falsum, aut erroneum, sed præcisè opinionem, aut dubium; quod atten-

attentis circumſtantiis ad prudentiam ſpectabat, non ad deceptionem. Ad ſecundum, acceptando doctrinam Molinæ ſuperiùs adductam, quid reſpondendum ſit compertum eſt; Sed adhærendo authoritati Sancti Auguſtini 11. ſuper Geneſ. ad lit. *Mulier verbum ſerpentis non crederet, niſi jam ineſſet menti ejus amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio*. Quare ante deceptionem jam in animo præceſſit peccatum; Unde ait S.Th. qu. cit.art. eodem in fine, *jam præceſſerat peccatum in animo, & ad Divinum auxilium recurſum non habuit*; quod dicendum etiam de Adamo. Rationi adductæ ex Magiſtro Sententiarum reſpondet S.Th. in hac parte ejus ſententiam ſequi, neceſſarium non eſſe. Ad tertium; Si aliquid per ſenſum, vel phantaſiam primi hominis fuiſſet reprehesentatum, quod revera non eſſet, per rationem veritatem dijudicaſſet; per quod refellitur ultimum. Ad quartum. Adam non credidiſſet, ſed rem eſſe poſſibilem ad ſummum judicaſſet, in quo judicio nullum errorem contingere quiſque percipiet.

ARTICULUS III.

Utrum homo fuerit creatus in gratia.

20. HOminem ante prævaricationem ſanctificantis gratiæ dono fuiſſe Dei liberalitate inſignitum, habendum eſt tanquam certum. Hoc enim diſertè Sancti Patres docuerunt, quorum ne innumeras ſententias proferam, afferam ſolummodo illam Auguſt. lib.6. Gen. ad lit. c. 24. ubi ait: *Renovamur ſpiritu mentis noſtræ ſecundum imaginem ejus, qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit, gratiam amittendo*, & lib. de corrept. & gr. cap. 11. *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? immo vero magnam*. Sufficiat verò pro omnibus Patribus omnibuſqueConciliis, quæ poſſent afferri, Trid. ſeſ.5.can.1. dicens: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuerit transgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, anathema ſit*.

21. Ex his tamen non ſatis probatur, Adam primo creationis inſtante gratiam accepiſſe, & ſi rationem aliquam placeat nobis afferre, hæc tantum congrua exiſtimabitur. Quamobrem non defuerunt plures Theologi, inter quos Ricchar. Ægidius, immo Scotus, S. Bonavent., & Magiſter Sentent. in 2. diſ.24. dicentes, collatam quidem fuiſſe gratiam primo parenti ante peccatum, non tamen in ipſa creatione, contrarium docet S. Thom. 1. par. qu. 95. artic. 1. Alber. Magnus in 2. diſ. 24. artic. 1. Suarez lib. 3. de op. 6. dierum cap.17.

22. Rationes ſubdam utriuſque ſententiæ, nam utramque ſatis probabilem puto, & primo pro ſententia prima produci poſſunt plura Sanctorum Patrum teſtimonia, præſertim Sancti Cypriani ep.74. ad Pomp. *Ut ſpiritum jam natus accipiat, ſicut in primo homine factum eſt*. Ex quo textu eruitur etiam ratio, nimirum, ut gratia recipiatur, debet prius eſſe quod recipiat, ſed ita jam priùs eſt homo, quàm ſit in homine gratia, ergo Adam priuſquam gratiam reciperet, jam erat, S. Auguſt. lib.2. contra Manich. cap.8. ubi poſt infuſionem animæ, per quam homo naturaliter vivit, ádjungit. *Nondum tamen hominem ſpiritualem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viventem; Tunc enim ſpiritualis effectus eſt, cum in Paradiſo, hoc eſt in beata vita conſtitutus præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei conſummaretur*. Ex quo apparet, quod, cum homo creatus fuerit extra Paradiſum, & gratiam in Paradiſo receperit in primo creationis inſtanti illi collata non fuerit; & ſic etiam non tenet reſponſio Sancti Thomæ explicantis authoritatem Cypriani ſupe-

rius adductam de prioritate temporis, non naturæ.

23. Alia etiam momenta pro hac parte militare videntur. Primo; Quia quemadmodum priùs intelligitur gratia, quam gloria, ita priùs intelligi debeat natura, quam gratia, & ſicut pro eodem inſtanti non ſunt gratia & gloria, ita pro eodem inſtanti non ſunt gratia & natura; Secundo. Quia cum per gratiam fiat ſpirituale matrimonium inter Animam & Deum, debet eſſe conſenſus ex parte recipientis gratiam, ſed ſic debet præcedere, ergo.

24. Pro ſecunda Sententia ſunt etiam authoritates Scripturæ, ac Sanctorum Patrum; Scripturæ inquam, nam Eccleſ. 7. legitur: *Deus fecit hominem rectum* rectitudo autem ſumitur pro juſtitia juxta illud Cantic. 1. *Recti diligunt te*. Et pſalm. 32. *Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio*. Atque Auguſt. explicans primum textum 14. de Civit. cap. 11. inquit: *Creaſſe hominem rectum, ideſt bonæ voluntatis, bona autem voluntas non ſit niſi per charitatem, quæ gratiam comitatur*. Sanctorum Patrum inquam, nam idem Auguſtinus 12. de Civit. cap. 9. dicit: *Deus erat ſimul cum eis condens naturam, & largiens gratiam*.

25. Ratio autem ſic promoveri poteſt. Homo creatus fuit cum ea rectitudine, ut ratio ſubderetur Deo, & ſenſus rationi, ſed hujuſmodi rectitudo, & ſubjectio ſine gratia haberi non poterant, ergo creatus fuit in gratia, Prob. min. Hujuſmodi rectitudo, & ſubjectio non poterant eſſe à natura, alioquin remanſiſſent etiam poſt peccatum, nam omnium Theologorum ſuffragio, ut dictum ſæpe fuit, naturalia integra permanſerunt; ſed poſt peccatum non remanſit, ut experimur, ergo.

26. Secunda ratio deſumi poteſt ex parte Dei producentis. Deus enim creaturas condidit in ſtatu perfecto pro ferendis actibus proprio fini conſentaneis, quod ſi hoc valet de creaturis etiam irrationalibus, multo magis de homine, ergo cum finis hominis eſſet ſupernaturalis, illum præmunivit gratia ad eumdem finem neceſſaria. Tandem. Si Adam non peccaſſet, ejus filii in gratia fuiſſent geniti, ergo & ipſe in gratia fuit productus, nec enim parens filiis deterior.

27. Placet modo utriuſque ſententiæ fundamenta diſſolvere; ibi loquitur Cyprian. de ſanctificatione per Baptiſmum, quæ præcedere debet plenitudinem Spiritus Sancti per confirmationem; & exemplum non tenet in omnibus, nam prioritas creationis Adæ reſpectivè ad gratiam illi collatam non fuit niſi naturæ, cum gratia fuerit concreata; per quod patet quid reſpondendum ſit rationi deductæ, quod magis oſtenditur exemplo (veniam peto ab iis qui ſunt extra Scholam Peripateticam.) Si Deus crearet materiam, & immediatè ipſi formam uniret, materia reciperet formam, nec tamen materia exiſteret ſine forma, quod factum eſſe in prima creatione docent Thomiſtæ. Magis urgere videtur teſtimonium Auguſtini; attamen ibi non loquitur Sanctus Doctor de gratia ſecundum eſſe, ſed ſecundum modum, & indicat, ſolummodo in Paradiſo Adam habuiſſe gratiam pleniorem, quod etiam innuitur per illud verbum, *conſummaretur*.

28. Primę rationi reſpondeo, gloriam conferri ut mercedem, proinde nil mirum, ſi debeat gratia pręſupponi, gratia autem confertur gratuito, & ideo non repugnat ſimul cum natura conferri; Unde aptè dicit S. Th. nos mereri gloriam per actus procedentes à gratia, non ſic mereri gratiam per actus procedentes à natura. Ad ſecundum præſto eſt S. Th., quod cum actus voluntatis non ſit continuus, nihil prohibet, etiam inſtanti ſuæ creationis primum hominem gratiæ conſenſiſſe; deinde dico, ſufficere conſenſum poſt gratiæ receptionem.

29. Ita ad diluendum quod pro prima

ma ſententia proponebatur; nunc ad refellendum quod pro ſecunda. Ad primam authoritatem; vel ſenſus eſt tantummodò materialis, vel ſi formalis, ſermo eſt de rectitudine in actu primo, non in actu ſecundo, in quo ſenſu ſumuntur aliæ Scripturæ teſtimonia. Ex hoc explico ſecundam Sancti Auguſtini; nimirum feciſſe hominem rectum, & bonę voluntatis in actu primo, ideſt, ſecundum diſpoſitionem & aptitudinem ad recipiendam gratiam, & ita erat condens naturam & largiens gratiam, ideſt diſponens & aptans ad gratiam. Verum ille textus eſt ſingillatim pro Angelis, quibus ſi alicubi Sancti Patres comparant primum parentem, de iſto jam in Paradiſo exiſtente loquuntur.

30. Per doctrinam expoſitam ſolvitur etiam ratio, dicendo, Adam creatum fuiſſe cum rectitudine, per quam pars inferior ſuperiori ſubderetur, & ſuperior Deo juxta aptitudinem proximè complendam per gratiam; vel talem rectitudinem habitam fuiſſe per donum integritatis, quod eſt diſtinctum à dono gratiæ ſanctificantis, & gratum facientis; vel tandem naturalia phyſica integra permanſiſſe, non ſic naturalia in genere moris, in quo continebatur ea rectitudo. Ad ſecundum non eſt neceſſe, conferantur media pro primo inſtante, ſed ſatis eſt, ſi conferantur; deinde dici poteſt, Adam creatum eſſe in natura elevabili ad finem ſupernaturalem, ſed pro primo inſtante non fuiſſe in natura elevata.

ARTICULUS IV.

An in primo parente fuerint paſſiones animæ, omneſque Virtutes.

31. Quemadmodum reperitur bonum, quod proſequamur, & malum, à quo fugiamus, ita inveniuntur animæ paſſiones, quæ ſunt circa bonum, & aliæ, quæ circa malum verſantur. Primę ſunt v.g. amor, deſiderium, & gaudium, ſecundæ odium, timor, & dolor; Cum autem pro ſtatu innocentiæ nullum malum adeſſet, vel immineret, jam planè compertum ſit, neque doloris, neque timoris in Adamo fuiſſe paſſiones. Illas verò fuiſſe, quæ ſunt circa bonum habitum, vel ſuo tempore habendum, ut deſiderium & ſpem abſque tamen aliqua animi afflictione, quia appetitus ſenſitivus perfectè ſubjectus erat rationi, nullam in oppoſitum efficacem rationem intueor. Non ita verò in ipſo fuerunt, ſicut in nobis, nam plerumque in nobis rationis uſum præveniunt, in illo verò rationis uſum ſequebantur; Unde ait S. Aug. 14. de Civ. *Erat in eis amor imperturbatus in Deo, & quædam aliæ paſſiones*. Quibus verbis tota doctrina propoſita confirmatur.

32. Atque ex dictis refellitur quidquid opponi poſſe videretur; Cum enim per animæ paſſiones caro concupiſcat adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, cum in primo parente non fuerit hæc concupiſcentia, neque paſſiones fuiſſe concluditur, quod tamen verum eſt tantùm de paſſionibus uſum rationis prævenientibus. Pariter, ſicut corpus Adæ erat impaſſibile, ita etiam animam ſine paſſionibus fuiſſe, declaratur, quod tamen ſolummodo probat, quod, ſicut corpus erat impaſſibile ſecundum ea, quæ removent diſpoſitionem naturalem, ita animus erat ſine paſſionibus rectam rationem impedientibus. Tandem; Si in Adamo erat perfecta virtus moralis, ad hanc non ſpectat paſſiones auferre, ſed moderari ac dirigere; ut enim ait Philoſ. 3. Ethic. *Temperati non eſt non concupiſcere, ſed concupiſcere ſicut oportet, & quod oportet*.

33. Pro ſecunda tituli parte advertendum eſt, virtutes eſſe in duplici claſſe, alias, quæ nullæ ſunt imperfectioni admixtę neque ex parte materię, ut charitas & juſtitia, alias vero, quæ ſaltem ex parte materiæ aliquam explicant imperfectionem, ut pœnitentia & miſericor-



cordia; prima enim respicit malum, de quo doleat, secunda miseriam, quam sublevet; Istas non fuisse in Adamo ex felicissima illius status conditione tanquam certum existimo, tunc enim nullum erat malum vel peccatum, miseria nulla, quod tamen valet de virtutum actu, non de habitu, siquidem Adam erat dispositus ad pœnitentiam, si peccatum fuisset, dispositus ad misericordiam, si fuisset miseria, in quo sensu loquitur Philos. 4. Ethic. *Verecundiam esse in homine studioso sub conditione, quatenus ad ipsam est dispositus, si aliquid turpe committeret.*

34. Illas vero fuisse in Adamo non solum quantum ad habitum, sed etiam ad actum, non video cur possit negari; homo enim fuit rectus cum perfecta subjectione appetitus inferioris, ad quam quidem subjectionem complendam virtutes institutas esse ex ipso nomine virtutis aperitur. Hinc Ecclesiast. 17. legitur: *Deus creavit hominem, & secundum se vestivit illum virtute.* Et August. apud S. Thom. hic. *Princeps vitiorum vicit Adam pudicitia armatum, temperantia compositum, charitate splendidum.* Hoc idem dicendum de fide, & spe, nam, ut dictum fuit, Adam non habuit claram Dei visionem, neque in fruitione ultimæ beatitudinis erat constitutus.

ARTICULUS V.

De dominio hominis in statu innocentiæ.

35 PLura quæruntur in titulo, sicut plura sunt, circa quæ dominium potest haberi; primo an Adam habuerit dominium supra animalia; secundo supra cœteras res creatas; tertio supra alios homines.

Quantum ad primum; Scriptura Sancta, in qua dicitur Gen. 1. *Præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, omnique reptili quod movetur in terra*, ambigendi locum non relinquit. Hujus autem ratio desumitur ex eo, quod sicut homo subditur Deo, ita animalia subduntur homini, & ex quo homo factus est inobediens Deo, etiam animalia facta sunt inobedientia homini. Triplici autem titulo dominium hoc homini conveniebat. Primo ex ordine à natura statuto, ut imperfectiora perfectioribus subjiciantur, quod etiam apparet in rerum generatione, siquidem materia est propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem; Qua de re optimè ajebat Philos. in 1. Polit. venationem animalium sylvestrium justam esse, hominique naturalem, quia per eam homo sibi vindicat quod suum naturaliter est. Secundo ex lege Divinæ Providentiæ, per quam à superioribus inferiora reguntur, unde cum homo factus ad imaginem & similitudinem Dei superior omnibus animalibus factus sit, hæc illius regimini dominioque subdantur, necesse est. Tertio tandem, quia si qua prudentia in aliquo actu in animalibus relucet, hæc est per participationem prudentiæ, quæ est in hominibus, sicut quod est in creaturis est per illius participationem quod est in Deo, & ipse Deus; Omne autem, quod est per participationem inservit illi, quod tale est per essentiam, ut creaturæ inserviunt creatori, ideo &c. Ex quibus probatur, etiam post lapsum tale dominium remansisse, diverso tamen modo, nunc enim est quædam reluctantia subjectionis in bestiis, tunc è contrario erat naturalis & spontanea servitus, seù, ut ajunt, ad nutum hominis subjiciebantur.

36. Quantum ad secundum; ex eodem laudato textu facile colligi potest pars affirmativa, cum ibi subdatur, *& præsit omni creaturæ*. Ingeniosam hujus rationem insinuat S. Th. nam in ipso homine quatuor considerari possunt, nimirum, ratio, vires sensitivæ, vires naturales; & ipsum corpus. Per rationem convenit cum Angelis, & quia ad rationem dominari pertinet, non servire, homo

homo in illo ſtatu Angelis non dominabatur. Per vires ſenſitivas convenit cum animalibus, & quia ad iraſcibilem & concupiſcibilem ſpectat rationi ſubeſſe, homo in illo ſtatu animalibus præerat; Per vires naturales convenit cum plantis, & per corpus cum rebus inanimatis, & quia viribus naturalibus ſuoque corpori homo dominabatur, ideo etiam plantæ, reſque inanimes ipſi ſubdebantur; non quidem per tale imperium, ut poſſet res illas immutare, ſed præcisè ipſis abſque aliquo uti impedimento.

37. Antequam tertium punctum reſolvatur, advertendum eſt in re noſtra, duplex diſtingui dominium, uno modo prout opponitur ſervituti, & ſic qui ſubditur, dicitur ſervus; alio modo prout eſt in aliquo habente officium alios dirigendi & gubernandi. In primo ſenſu cenſetur aliquis dominari, quando in propriam transfert utilitatem rem illam, cui dominatur, & ita, in primo ſtatu non habuiſſet homo dominium ſuper alium hominem, quia ſicut unuſquiſque in proprium bonum inclinatur, ita dolet, ſi proprium bonum alteri cedat, ideoque eſſe nequit ſine ſubjectorum pœna. In ſecundo autem ſenſu dominium hominis ſuper hominem ſtatui innocentiæ non erat inconveniens, nam ſic aliquis alteri dominatur, illum vel in bonum proprium vel commune dirigendo; Hoc vero duplici titulo exigebatur, primo quia tunc homo fuiſſet, ſicut nunc eſt, animal ſociabile, ſocialis autem vita multorum eſſe non poteſt, niſi aliquis præſideat, qui ad bonum commune intendat, multi enim intendunt ad multa, unus ad unum, quare Philoſ. in princ. Polit. dicit: *Quando multa ordinantur ad unum ſemper invenitur unum ut principale & dirigens*. Secundo quia tunc fuiſſet aliquis gaudens ſupereminente ſcientia, & juſtitia actuali, inconveniens autem fuiſſet, niſi hac uſus eſſet in aliorum utilitatem. Breviter; Dominium hominis ſuper hominem non fuiſſet ad imperandum, ſed ad dirigendum juxta id quod ait Aug. 19. de Civit. *Juſti non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi*. Per præfatam dominii diſtinctionem habetur quid reſpondeamus alteri auctoritati Auguſtini ibidem dicentis: *Hominem rationalem ad imaginem ſuam factum non voluit niſi irrationabilibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecudi*. Tum etiam reliquis, quæ opponi poſſe videntur.

ARTICULUS VI.

De Præcepto impoſito in Paradiſo.

38. PRimo inquirendum eſt de hujuſce præcepti materia, quæ, ſicut in cœteris, diſtingui debet in remotam conſiſtentem in arbore ſcientiæ boni & mali ejuſque fructu, & in proximam conſiſtentem in actione comedendi; De prima autem quærunt expoſitores, cujus ſpeciei fuerit arbor illa; Qua in re dixerunt aliqui, fuiſſe malum propter verba Cantic. 8. *Sub arbore malo ſuſcitavi te*, quod tamen leviſſimum fundamentum cenſendum eſt, & quia nomen illud generatim accipi poteſt, & quia plures Doctores illud intelligunt metaphoricè, videlicet de arbore crucis. Aliqui verò exiſtimarunt, fuiſſe frumentum vel vitem, quod longè improbabilius eſt, frumentum enim non eſt fructus, qui ſumptus ex ſegete ſtatim comedi poſſit, nec ita delectabilis eſt, neque vitis propriè arbor appellari poteſt; Communior opinio apud veteres fuit cum Iſidoro Peluſ. lib. 1. ep. 51. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 27. quos ſequitur Baron. tom. 1. ann. Dom. 34. fuiſſe ficulneam reprehesentatam in illa, quam Dominus maledicendo exſiccavit, præſertim quod ex ejus foliis primi parentis propriam nuditatem operuerunt; Verùm nec opinio iſta prorſus arridet, primo quia arbor illa deſcribitur aſpectui pulcherrima, quod de ſiculnea dici

non

non posse videtur; secundo quia probabile est, ut notavit Abulen. in cap.13. Gen. qu. 164., primos parentes ob tam grave damnum inde exortum ad illam accedere perhorruisse; tertio, quia mulier, postquam comedit, tulit ad virum ut comederet, ex quo colligitur, tunc Adamum distasse ab arbore, ex qua fructum Eva decerpsit; Unde folia ficus ad se operiendum acceperunt, vel quia ea propter magnitudinem & firmitatem erant aptiora, vel, ut inquit Iren.lib.3. cap. 37. erant asperiora, ducti affectu pœnitentiæ.

39. Neque vero dijudicandum est, arborem illam dictam esse scientiæ boni & mali, quia noxiam aliquam haberet in se ipsa qualitatem, qui enim fecerat omnia valde bona, aliquid mali non constituerat; vel quia virtutem contineret hujusmodi scientiam impertiendi, sed tali nomine fuit appellata, vel quia fructus ille sub specie boni oblatus mali experientiam induxit, vel quia serpens per illius esum scientiam fraudolenter promisit; vel quia eventus declaravit, Adamum experimento cognovisse bonum, quod amisit, & malum, in quod incidit, & hæc ratio frequentius à Sanctis Patribus adducitur.

40. Dixi, materiam proximam præcepti fuisse actionem comedendi, quæ per illa verba, *ne comedas* vetita fuit, quæ quidem verba ad literam sunt accipienda.

41. Secundo inquirendum est, quibus personis impositum fuerit dictum præceptum, scilicèt, an soli Adamo, aut etiam Evæ, sicut putarunt Cajet.Perer. & Ruper. cum Eva dixerit, *præcepit nobis Deus*. Attamen, si sermo fiat de immediato præcepto, magis probabile censeo cum S. August. 8. Gen. ad lit. cap. 17. S.Ambros. lib.de Parad. cap.12. Soli Adamo fuisse demandatum, quod inde transiit ad Evam, omnesque posteros, si innocentiæ status perseverasset. Ratio primi est, quia Deus dixerat in singulari, *ne comedas* non in plurali, *ne comedatis*. Unde si dixit Eva: *Præcepit nobis Deus*; hoc intelligendum est per promulgationem ipsi factam à Marito. Ratio secunda est, quia in eodem Textu dixit Deus: *Ex omni ligno Paradisi comede, & de ligno scientiæ boni & mali ne comedas*, ergo sicuti facultas comedendi non solum erat Adamo concessa, sed omnibus posteris, ita, non soli Adamo, sed omnibus facta fuit comedendi prohibitio. Præterea; finis præcepti non tantum à primis parentibus servandus erat, sed ab omnibus; pertinebat enim ad obedientiæ virtutem & religionis erga Deum, ergo etiam præceptum datum omnibus fuit. Tandem; in pœnam transgressionis omnibus indictum fuit, *in quacumque die comederis, morte morieris* cum non tantum Adam, sed omnes mortui sint, ergo etiam præceptum non tantùm Adæ, sed omnibus fuit impositum.

42. Quoniam vero de transgressionis pœna omnibus inflicta dictum fuit; superfluum non arbitror, si inquiratur, utrum præceptum prohibens esum fructus pactum aliquod includeret inter Deum, & genus humanum; vel absolutè, & ex natura rei omnes afficeret, proùt omnes voluntates continebantur in voluntate primi parentis, non ut personæ particularis, sed omnium posterorum capitis; Omnibus enim impositam esse obligationem præcepti, nemo Catholicorum potest ambigere; Si enim ad Rom.5. *Omnes in Adam peccaverunt*. Jam omnes præceptum adstrinxit, cum nemo contra præceptum, quod non obligat, peccet. De hac igitur obligatione dubium consurgit, quomodo ex tali præcepto ortum deduxerit, an scilicet ex vi & ejusdem natura, an vero ex peculiari Dei pacto & ordinatione.

43. Hanc quidem posteriorem partem probabiliorem existimo, ita ut ex peculiari Dei voluntate processerit, non ex solo præcepto secundum se inspecto, qua in re nullam litem esse arbitror inter authores, quamvis pro opposita

posita sententia afferantur Vasquez & Soto. Ratio autem est, quia lex data primis parentibus ex virtute legis præcisè non potest filios obligare donec sint geniti, rationisque compotes, ut constat in omnibus aliis legibus, sive humanæ sint, sive Divinæ, ergo ut ista lex talem vim obtineret, peculiaris Dei ordinatio fuit necessaria; Hoc magis declaratur, si supponamus, Adamum non peccasse, neque de ligno vetito comedisse, & postea comedisse Cain filium Adami, tunc certe non peccasset Enoch filius Cain per peccatum istius, ergo quia lex illa secundum se tantum inspecta posteros non obligabat; Hoc igitur actum est propter Divinam voluntatem & pactum illi legi affixum. Hinc Eccles. 17. legitur: *Testamentum æternum constituit cum illis*. Verum de hac re accuratius & fusius ubi de peccato originali.

ARTICULUS VII.

Utrum homines in statu innocentiæ fuissent nati perfecti in gratia, justitia, & scientia.

44. ETsi ad innocentiæ statum plura alia pertineant, quæ ad vires sensitivas, filiorumque corpoream procreationem revocantur, hæc tamen à nobis prætermittenda sunt, cum hic tantum de donis illis, quæ à gratia proficiscuntur, atque ad illam specialiter spectant, sermonem nostrum instituamus. Ut igitur propositam rem prosequamur; sic exordimur.

Omnis perfectio, qua maxime præfulget anima rationalis, à puriore fonte progredi non potest, quam à gratia, quæ donum supernaturale est à Deo specialissimè infusum, & radix omnium perfectionum quæ statum innocentiæ beatissimum constituebant. Hac de re merito primo quæritur, utrum filii fuissent geniti tanti beneficii fulgore præsigniti, quod quidem negare nisi sunt plures ex Sanctis Patribus, præsertim Ugo de S. Vict. lib.1. de Sacram. par.6. cap.23. ubi habet, quod primus homo genuisset quidem filios sine peccato, sed non justitiæ paternæ hæredes, immo Scriptura in hunc sensum devenisse videtur, cum Apost. ad Rom. 5. dicat, gratiam à solo Deo infundi; Suffragatur & ratio, cum enim gratia in anima sit, debet subjecti sui sequi naturam, ita ut quemadmodum anima non traducitur à parentibus, ita nec gratia.

45. Veram tamen existimo sententiam acceptam apud Scholasticos docentem, filios in eo statu procreandos esse cum gratia; ad quod suadendum non desunt plura testimonia Sanctorum Patrum, & Conciliorum, plures Scripturæ auctoritates, plura argumenta à ratione deprompta.

Atque ut à primis incipiam, adduco Iren. qui lib. 3. cap. 20. inquit: *Reparamus in Christo quod in Adam perdidimus* atqui recuperamus gratiam, ergo gratiam perdidimus, ergo si Adam non peccasset &c. Leo ser. 1. de jejun. mensis 10. *Erigitur in Adamo secundo, quod cecidit in primo*, Ansel. lib.de Concep. Virg. cap.10. *Quod simul cum rationalem haberent animam, justi essent quos generaret homo si non peccasset*; ergo. Ex Conciliis afferam Arausic. 2. cap.19. ubi dicit: *Nos perdidisse in Adamo, & per Adamum stolam animæ, quæ gratia est*. Et pro omnibus Trident. quod sess. 5. cap.3. hæc habet: *Sicut revera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ex propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant*. Ergo Adam per peccatum amisit gratiam & sibi, & nobis, consequenter in statu innocentiæ fuissent cum gratia filii procreati. Ex Scriptura vero sufficiat id quod habetur ex Paul.ad Rom.5. dicente: *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum*.

46. Rationem autem profert S. Th. 1. par. qu.100. art. 1. in corp. nimirum, quod

quod ficut homo naturaliter generat fibi fimilem in fpecie, ita naturaliter producuntur ea accidentia, quæ confequuntur naturam ejufdem fpeciei, ita ut in illis filii parentibus affimilentur, nifi contingat error in operatione naturæ, atqui in ftatu innocentiæ nullus poterat error contingere, & gratia, in qua homo conditus fuerat, erat accidens naturæ fpecificæ, tanquam aliquod donum toti naturæ divinitus datum, ergo.

47. Confirmatur hoc magis ex eo, quod fi peccatum originale oppofitum tali gratiæ dicitur peccatum naturæ, unde traducitur à parentibus in pofteros, & in hoc filii parentibus affimilantur, ut dicam in tract. de vitiis, & peccatis, quare gratia fanctificans non fuiffet accidens confequens naturam, ita ut à parentibus migraret in natos? Verum in hoc puncto nulla intima ratio afferri poteft præter Divinam voluntatem, cui placuiffet totam naturam humanam ad ftatum gratiæ ita perducere, ut fimul cum natura omnes homines illam reciperent; nifi Adam conftitutus caput ejufdem naturæ tantæ gratiæ impedimentum appofuiffet; Atque hæc eft diverfitas inter gratiam Adæ, & Chrifti, quod illa collata fuiffet pofteris fine meritis Adæ, gratia vero, quæ nunc confertur, tota eft ex meritis Chrifti, de plenitudine enim ejus omnes accepimus, & hunc propofuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipfius pro peccatis noftris, ut ex Apoft. ad Rom.3. loquitur Trident. fefs.6. cap.2.

48. Omnia fuperius adducta probant, progignendos effe filios in naturæ integritate, hoc eft, in illo dono, quo perfectè fenfus fubdebatur rationi, & ratio Deo; fecit enim Deus hominem rectum, quam rectitudinem non fuiffe tantùm donum Dei perfonæ affixum, fed toti fpeciei commune, affirmat Sanctus Auguft. 14. de Civit. cap. 10. inquiens: *Quam felices erant primi parentes, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum turbabantur incommodis, tam felix universa focietas effet humana.*

49. Refpondeo modo rationibus in oppofitum; Auctoritas vera eft quantùm ad exequutionem actus, non quantum ad habitum; vel non fuiffent paternæ juftitiæ hæredes ex meritis Adæ juxta dicta fuperius. Textus Apoftoli probat, gratiam non traduci ex femine, non tamen non fuiffe conferendam homini ftatim hac habuiffet animam rationalem; Sicut cum corpus eft apte difpofitum, ftatim à Deo creatur anima rationalis; & per hoc folvitur ultima ratio, quæ fi probaret, fequeretur, homines non nafci in peccato originali, quia etiam peccatum originale eft in anima rationali, quæ à parentibus non producitur.

50. Quod autem de gratia dictum eft, videtur afferendum de fcientia, nam qualis fuit Adam, tales etiam filios procreaffet, ergo fi Adam fuit in fcientia perfectus, perfecti quoque filii fuiffent. Præterea; Ignorantia profluit à peccato, fed tunc nullum fuiffet peccatum, ergo nulla ignorantia. Tandem, Juftitia effe non poteft fine fcientia, cum ad illam requiratur id, quod dirigit in agendis, hoc autem foli fcientiæ tribuitur.

51. His tamen non obftantibus dicendum, pueros non fuiffe nafcituros in fcientia perfectos, ut enim ait Ariftotelicum illud, anima noftra per naturam eft ficut tabula rafa, in qua nihil eft fcriptum, ubi autem auctoritas deeft, fequi debemus naturæ conditionem, eft autem naturale homini acquirere fcientiam per fenfus, quod non effet, fi ftatim ab initio fcientiam habuiffet.

Unde ad argumenta in oppofitum; dicendum, effe perfectum in fcientia fuiffe accidens proprium Adæ, quia inftitutus erat ut Pater & inftructor totius generis humani, & fecundum hoc non genuiffet filios fibi fimiles, fed folum fecundum accidentia vel naturalia, vel gratuita, ficut de gratia dictum fuit, alio-

alioquin dici deberet, quod cum Adam habuerit perfectam ſtaturam & vim generandi, etiam pueri debuiſſent naſci perfecti in ſtatura &c. Secundum non probat, nam ignorantia eſt privatio ſcientiæ, quæ haberi debet pro tempore ſuo, hæc autem in pueris non fuiſſet, habuiſſent enim ſcientiam, quæ ipſis conveniebat ſecundum ætatem, & carentia ſcientiæ non potuiſſet propriè dici ignorantia, ſed aliquorum neſcientia, juxta dicta. Tertium non valet, etenim pueri habuiſſent ſufficientem ſcientiam ad ſe dirigendos in operibus juſtitiæ juxta proprium ſtatum; & ſi dicitur, corpus, quod corrumpitur, animam aggravare, hoc probat in nobis pro toto tempore vitæ, quod in eo ſtatu non eveniſſet.

QUÆSTIO III.

De neceſſitate Gratiæ in Homine lapſo.

1. Hucuſque brevi, attamen ad rem noſtram ſufficiente calamo, innocentem hominem expoſuimus. Operæ pretium fuiſſet etiam ejuſdem lapſum proponere, ut inde melius gratiæ neceſſitatem in natura lapſa explicare poſſemus. Quia tamen hujuſmodi punctum in tractatu de vitiis & peccatis proprium ſibi poſtulat locum, ubi de peccato originali, & de e uſdem traductione in Adæ poſteros effusè diſſeritur; ideo hoc à nobis impræſentiarum ſupponendum eſt, nequaquam, probandum.

ARTICULUS I.

An homo lapſus ſit debilior homine in ſtatu naturæ puræ, ſi fuiſſet.

2. Certum eſt, poſt peccatum humanam naturam libero non fuiſſe deſtitutam arbitrio contra Lutherum & Calvinum, definiente Conc.Trid. ſeſ.6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.* Et quidem non ſolum ad malum, ſed etiam ad bonum, cum damnata fuerit à Pio V., & Greg.XIII. hæc propoſitio Baii num. 18. *Liberum arbitrium ſine gratiæ adjutorio nonniſi ad peccandum valet.* Quod ſi aliqui Sancti Patres, inter quos citantur Auguſtinus & Proſper, aliquando dixerint, deperditum eſſe, nec reddi poſſe niſi ab eo, à quo datum eſt, latet æquivocatio in hoc nomine *liberum*. Aliquando enim uſurpatur, prout opponitur ſervituti, & ita ſine gratia liberum eſſe non poteſt, quia ſervus eſt peccati, in quo ſenſu ait Auguſtinus 14. de Civit.cap.11.*Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, quando vitiis peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi.* Et Proſper ad object. 5. Vincent. dixit: *Liberum arbitrium libertatem, quam libertate perdidit, niſi Chriſto liberante, non recipit.* Sumitur interdum, prout peccandi opponitur neceſſitati, non in ſingulis actibus, ſed confusè ac indeterminatè; & ita homo ſine gratiæ auxilio liber non eſt, cum fieri nequeat, quin aliquando ſine gratia non peccet; atque hoc in ſenſu loquitur S. Auguſtinus 6. in Gen. ad lit. cap.17. lib. contra Adim. cap.5. præſertim vero in lib. propoſit. ad Rom. cap.17. ubi ſic: *Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non eſt liberum arbitrium, ut non peccemus, ſed tantùm, ut pec-*

peccare nolimus. Accipitur tandem prout opponitur determinationi ad unum in singulis determinatè actibus; & ita nunquam à Patribus fuit negatum, ut constat ex toto libro, quem de gratia & libero arbitrio idem S. August. inscripsit, cui adhærens S. Bernar. in lib. de gr. & lib. arb. inquit: *Sive Dei simus, sive Diaboli, non tamen similiter desinimus esse nostri, manet enim libertas arbitrii, per quam manet & causa meriti.* Verum de hac re non est, cur plura dicamus, cum difficultas proposita versari debeat inter Catholicos, nequaquam contra hæreticos, contra quos in alio nostro opere ex instituto de hac re pertractabimus; Quod si in homine lapso liberum negaremus arbitrium, etiam in homine puro negari deberet, quia si per peccatum fuisset deperditum, jam non fuisset donum connaturale, proinde naturæ puræ minimè debitum.

3. Secundo præmittendum est; per Concilium Arausicanum & Tridentinum hominem per originale peccatum & secundum corpus, & secundum animam fuisse in deterius commutatum, atque ex pluribus Patribus haberi, non tantum fuisse privatum gratuitis, sed etiam ipsi vulnus inflictum esse in naturalibus. Sed hoc intelligendum esse per comparationem ad statum justitiæ originalis, non autem solius naturæ puræ, tanquam certum existimo. Ratio hujus est, quia tenet illud Dionys. jam prænotatum, quod *in Angelis & hominibus naturalia integra remanserunt*; quod cum indefinitè dictum sit, debet in tota amplitudine sumi, idest, tam pro ipsa natura, quam pro omnibus, quæ naturaliter ab ipsa fluunt, seù naturali vinculo sunt ipsi connexa, alioquin ambiguus esset sensus, & posset pro uniuscujusque placito detorqueri. Vulnus etiam in naturalibus factum non explicatur per hoc, quod donum amissum fuerit naturale, sed quia ablata fuit justitia originalis, quæ pacem ac unionem inter appetitus hominis efficiebat, & auferebat naturalem defectum; læsus propterea & vulneratus fuit in naturalibus, quia soli naturæ dimissus, sanitatem pristinam perdiderat, atque unionem.

4. Hujusmodi explicatio vana ac commentitia censenda non est, sed colligitur ex eodem Concilio Tridentino: quod postquam sess. 5. in Decr. de peccato originali dixerit: *Primum hominem Adam, cum mandatum Domini in Paradiso fuisset transgressus, sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Statim addit, indignationem Dei, mortem, & servitutem sub Dæmonis potestate incurrisse; *& ita secundum corpus & animam fuisse in deterius commutatum*, ex quibus satis evincitur, totam commutationem esse in amissione sanctitatis, & justitiæ, quibus homo etiam in statu naturæ puræ procul dubio caruisset. Hinc Sancti Patres despoliationem donorum à vulnere minime distinxerunt. Accipe S. Ambros. lib. 6. in Luc. *Despoliant quę accepimus indumenta gratiæ spiritualis, & sic vulnera inferre consueverunt.* Accipe & Bedam. *Plagæ peccata sunt, quibus naturæ humanæ integritatem violando seminarium quodam augendæ mortis indiderunt.* Hos duos Patres producere placuit, quia produci solent contra sententiam à nobis statuendam. Omnia vero ad rem nostram explicat S. Thom. 1. 2. qu. 85. art. 3. in corp. dicens: *Ipsa destitutio vulneratio dicitur nostra.* His præmissis.

5. Dicendum. Hominem in statu naturæ lapsæ non esse debiliorem homine in statu naturæ puræ, si fuisset. Hæc est sententia Scoti in 2. dis. 29. qu. unica in fine. Hanc docent communiter celebriores Theol. Cajet. Sot. Suarez Cacheran. contra Alvarez de auxil. disp. 45. Sylv. Joan. à S. Th. Madern. Puteobonel. Exparzam aliosque recentiores, asserentes pro se Sanct. Thom. 1. 2. qu. 85. art. 5. sed quid de hoc Sancto Doctore sentiendum sit, infra dicam. Est etiam sententia nostra opposita Gregor. in 2. dis. 30. qu. 1. art. 2. & Gabriel. ibidem, con-

contendentibus per peccatum originale produci quamdam qualitatem, quam morbidam appellarunt, per quam ad bonum inclinatio minuatur, quo tamen fundamento nullus ex aliis Doctoribus utitur, immo ait Suarez proleg. 4. de statibus naturæ humanæ cap. 8. num. 11. opinionem de qualitate morbida, ut impossibilem, incredibilem, & sine fundamento fictam, antiquatam, ac ab omnibus relictam esse.

6. Ne tamen prorsus omittatur; sic eam rejiciendam esse declaro. Hujusmodi qualitas à quo esset? An à natura? Minimè, quia nihil sibi contrarium, & si à natura esset, ubicumque cum natura esset; an ab ipso actu peccati? Neque, alioquin ex quolibet actu peccaminoso qualitas ista proflueret; an à Deo? Absit, ipse enim nec author peccati esse potest, nec alicujus habitus vitiosi; an tandem à pomo & à flatu venenoso serpentis? Hoc in primis risu excipiendum esset; deinde, qualitas hæc, utpote afficiens animam, quodam spirituale esset, non potest autem spirituale à materiali produci, & si posset, non fieret nisi per elevationem, quæ proinde Deo foret tribuenda, ergo.

7. Prob. modo sententia nostra contra alios. Natura non potest reddi debilior, & minui ejusdem inclinatio ad bonum, nisi per subtractionem alicujus rei, vel per appositionem alicujus contrarij, ut manifestum est, sed in natura lapsa nihil fuit subtractum, vel appositum, quod in natura pura non fuisset, ergo. Prima pars min. probatur. Si aliquid subtractum fuit, vel erat ab anima, ejusdemque facultatibus, vel ex perfectionibus ipsi animæ & facultatibus concessis, sed primum dici non potest, quia substantia animæ, ejusdemque facultatum indivisibilis est, nec acquirere vel deperdere potest; neque secundum est verum; & sic probo; Intellectus, & idem dicendum de voluntate, est sicut tabula, ex Philosophorum sententia, in qua nihil, ergo nihil ab anima & ejus facultatibus detrahi potuit; Corpus etiam in sui structura, sensuum & organorum dispositione ex vi solius peccati originalis immutatum non est, cum per semetipsum, & ex suis intrinsecis corruptibile sit, & mortale, ut probatum fuit, ergo.

8. At neque aliquid contrarium appositum fuit, quod in natura pura non fuisset; ac si probo secundam partem primæ min. Hæc alicujus contrarii appositio vel esset alicujus intrinseci, vel extrinseci, sed neutrum, ergo. Prob. prima pars min. Si esset alicujus intrinseci, esset vel alicujus qualitatis à peccato originale progredientis, vel ipsum originale; non primum, ut patet ex dictis num. 6. non secundum, & sic probo. Si esset ipsum peccatum originale, aut esset ob privationem gratiæ; aut propter culpabilitatem, vel propter debitum subeundi Divinam indignationem, sed neutrum, ergo. Prob. min. Non propter privationem gratiæ, quia hæc fuisset etiam in statu puræ naturæ, cum hoc discrimine, quod in natura lapsa esset mera privatio, in natura pura fuisset negatio, ex quo potius inferretur, debiliorem esse naturam puram, cum plus sit habere negationem, quàm privationem; non propter culpabilitatem, cum hæc sit tantùm aliquid morale habens respectum ad peccatum comissum voluntate aliena, proinde non est aliquid activum impediens bonum, vel inclinans ad malum; non propter debitum subeundi indignationem Divinam, cum hæc non conferat ad vires intrinsecus, sed satis exerceatur in privatione finis, ad quem Deus hominem promoverat; & quia plura alia demeretur homo propter peccatum, quibus tamen privatus non est, Deus enim solem suum oriri facit super bonos & malos; Quare ex quo per originale peccatum pluribus homo factus indignus sit, quibus in natura pura non fuisset, non tenet argumentum, ergo non habet; neque in hoc aliquid statuere possumus, cum ne-

neque in Scripturis, neque in Patribus aliquod fundamentum inveniatur. Ergo.

9. Præterea, Peccatum originale, ut tradit S. Th. qu. 5. de malo art. 2. & alibi, consistit in sola aversione à Deo, non vero etiam in conversione ad creaturam, seù ad bonum commutabile, ergo neque minuit inclinationem ad bonum honestum, neque auget ad contrarium; ideo docet idem S. Doctor loco citato ab adversariis, ipsum peccatum actuale non minuere bonum naturæ per solam privationem, sed addendo aliquam inclinationem virtuti contrariam, quando scilicet inducit habitum, & per semetipsum male afficit potentiam; Atque ex his collige, in quo sensu loquutus sit Angelicus, quando dixit, per peccatum minui bonum naturæ, nimirum per peccatum actuale; ait enim ibidem in corpore, *per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus*, quod certe de peccato originali dici non potest, & art. 3. in corp. inquit: *Inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet*.

10. Sunt vero plures Theologi, qui admittentes hominem lapsum non esse debiliorem homine puro, si considerentur vires intrinsecæ, asserunt tamen oppositum, si causæ extrinsecæ considerentur; hujus ratio ex eo desumitur, quod sit in natura lapsa mutata moraliter Divina providentia ab ea, quæ fuisset in statu naturæ puræ, atque ita fit, ut homini lapso indebitus sit ille modus, quo Deus se habuisset ad operationes hominis puri; quod quidem confirmari etiam potest Sanctorum Patrum testimoniis, præsertim vero Fulgentii de Incarn. & grat. cap. 13. ubi ait: *Peccans ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo, quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem*. His existimo addi posse, quæ nos adduximus circa debitum contractum ab homine lapso subeundi Divinam indignationem; sed hæc quanti habenda sint partim constat ex dictis, partim ex dicendis patebit, asserimus enim eandem fuisse Divinam providentiam & concursum in natura lapsa, qui fuisset in pura; & authoritatem Fulgentii omniumque aliorum Patrum explicandas esse de homine lapso comparato innocenti, non sic puro, ut jam superius præmonuimus. Juvat tamen argumenta in oppositum afferre, ex quorum solutione doctrina nostra fiet certior.

11. Ob. 1. ex illa parab. Luc. 10. *Homo quidam incidit in latrones &c. & plagis impositis abierunt semivivo relicto*. Quibus verbis homo lapsus indicatur, sed homo vulneratus & semivivus debilior est homine non vulnerato & ex integro vivo, sicut esset homo purus, ergo.

Resp. juxta doctrinam expositam ante conclusionem; ad quod magis declarandum adverto, aliquem dici posse vulneratum vel formaliter tantùm, vel simul etiam connotativè. Vulnus formalitèr est in partium divisione, vulnus autem etiam connotativè est in partium divisione earum tamen præsupposita unione. Hoc dato, homo purus formaliter est vulneratus, quia ut probatum fuit, in statu naturæ puræ non fuisset integritas, sed pugna inter partem sensitivam & rationalem: Homo vero lapsus est vulneratus formaliter per partium divisionem præsupposita tamen earum unione, quia prius integritatis dono erat insignitus; Hac ratione homo purus trito satis exemplo comparatur homini nudo, lapsus vero homini nudato, esse enim nudum postulat nunquam habuisse vestes, quibus operiretur, nudatum vero illis aliquando fuisse indutum, at rogo, quid discriminis inter hominem nudum ac nudatum? Sit etiam aliqua Civitas prius validissimis mænibus præmunita, & sit alia nullo circumdata muro, destruantur illius mænia, erit ne ista infirmior, ut hostibus facilior aditus pateat? Pares erunt

erunt omnino, ita in noſtro caſu. Pariter, quod homo dicatur ſemivivus relictus, indicat fuiſſe prius ex integro vivum, & ideo comparatus homini in juſtitia originali conſtituto ſemivivus appellatur; è contrario homo purus ſemivivus relictus dici non poſſet, quia nunquam habuit perfectam vitam, ſed ſemper obnoxiam corruptioni, dici tamen poſſet ſemivivus creatus, quia ubi corruptio & mortalitas, ibi ſemivita juxta illud Gregor. hom. 27. *Temporalis vita æternæ vitæ comparata mors eſt potius dicenda, quàm vita*, & hoc propter quotidianum corruptionis defectum.

12. Ob. 2. Non tam ex adductis capitibus in probatione noſtra, quàm ex alio oritur major infirmitas hominis lapſi. Prob. Homo lapſus eſt averſus à Deo etiam ut fine naturali, homo purus non ita, ſed homo averſus à Deo infirmior eſt homine non averſo, ergo, Prob. min. Homo averſus à Deo ut fine &c. eſt etiam averſus à mediis conducentibus ad finem, finis enim in practicis ſe habet, ut prima principia in ſpeculativis, ergo ſicut alienus à primis principiis eſt etiam alienus à concluſionibus, ita averſus à fine erit etiam averſus ab aliis operibus; & quidem homo lapſus eſt averſus culpabiliter; homo verò purus, etiamſi averſus eſſet, inculpabiliter eſſet, averſio autem culpabilis infert deteriorem diſpoſitionem ad finem, quàm inculpabilis, ergo.

13. Si diceremus, lapſum non eſſe averſum à Deo ut fine naturali niſi connexivè & identicè ſatis aptè diceremus; immo etiam dici poſſet, nullo pacto eſſe averſum à Deo ut fine naturali, quamvis enim poſitiva converſio ad Deum ut finem ſupernaturalem non habeatur ſine converſione ad ipſum etiam ut finem naturalem, attamen poſitiva averſio à Deo ut fine ſupernaturali haberi poteſt ſecundum ſe ſine averſione à Deo ut fine naturali, & ratio diſcriminis eſt, quia converſio ad Deum ut finem ſupernaturalem eſt quid poſitivum & ſuperius includens & perficiens id quod inferius eſt, & ideo converſus ad Deum ut finem ſupernaturalem eſt etiam converſus ad ipſum ut finem naturalem, è contrario averſio à Deo ut fine ſupernaturali eſt quid negativum, & ſuperius quidem, ſed non deſtruens naturale, quod ex dictis in ſui integritate remanſit, proinde averſio à Deo ut fine ſupernaturali non infert averſionem à Deo ut fine naturali. In hujuſmodi doctrina ſuſtinenda, eſto peculiaris appareat, nihil difficultatis adinvenio, præſertim cum in ſententia infra ſtatuenda poſſit homo lapſus ſine ſpeciali gratia diligere Deum ut authorem naturalem ſuper omnia. Nihilo tamen minus, ne ab aliorum tramite recedere videamur, dicimus, hominem lapſum eſſe averſum à Deo etiam ut fine naturali ſolum negativè, quatenùs converſus non eſt, & in hoc ſenſu eſſe etiam averſum hominem purum, qui ſolum per proprios actus converti deberet, æquali itaque modo uterque ſe habet; nec quidquam facit ad rem averſio culpabilis vel inculpabilis, cum ſit tantum culpa aliena voluntate commiſſa, ex qua nihil poſitivi relinquitur. Hoc autem totum oſtenditur per doctrinam ſuperius traditam ſignanter num. 9. non enim excogitari poteſt averſio poſitiva ab uno, quin habeatur converſio ad aliud, ſed peccatum originale ab aliis contractum non eſt converſio ad creaturam, ſed ſola averſio à Deo per privationem gratiæ, ergo non eſt averſio poſitiva, ſed ſolum negativa.

14. Ulterius ad oſtendendam propoſiti argumenti infirmitatem, cui tamen unicè opinionem ſuam commendat Puteobonellus, etiam admiſſa hujuſmodi averſione poſitiva in homine lapſo, & negata in homine puro, adhuc nihil ex illa probatione concluderetur; falſum namque eſt, finem in practicis ita ſe habere ad media, ſicut prima principia ad concluſiones. Primo quia licet in finis intentione contineatur intentio

tio mediorum, attamen media non continentur in fine, sed sunt extra ipsum, è contrario in primis principiis continentur omnes conclusiones. Secundo, quia finis in practicis comparatur per media, prima autem principia nunquam demonstrantur per conclusiones; itaque eadem ratio in utrisque non est.

15. Admissa tamen illa distinctione aversionis positivæ, quam negamus in homine lapso, & aversionis negativæ, quam tam in homine lapso, quàm in puro concedimus, occurrit instantia; ergo infantes decedentes sine baptismate non carebunt Deo ut fine naturali, immo neque supernaturali. Prob. Si infantes ante usum rationis decessissent in natura pura non caruissent Deo, ut fine naturali, ergo à pari. Consequentia tenet, nam ita est aversus homo lapsus, sicut homo purus.

16. Vides, dato hoc argumento adhuc assertum meum in sui robore permanere; nam licet uterque sit negativè aversus, attamen purus esset inculpabiliter; lapsus culpabiliter cum debito subeundi indignationem Divinam, & ideo prior non careret Deo ut fine naturali, careret secundus, sed hoc nihil confert vel ad augendas, vel minuendas vires operativas sicut dictum fuit; præsertim cum debitum hoc fundetur in aliquo tantum morali, vires autem sunt in aliquo physico. Quid autem futurum esset in ea providentia, in qua fuisset conditus homo purus, nihil certi à nobis definiri potest. Aliqui dicunt, Deum non permissurum fuisse, aliquem decedere ante sufficiens rationis usum, & ideo quilibet per proprios actus potuisset se ad Deum ut authorem naturalem convertere; Aliqui docent, Deum collaturum fuisse beatitudinem naturalem, non ex conditione operis creaturæ, sed ex ordinatione Dei operantis, quasi supplendo id, ad quod, si homo adultus fieret, teneretur.

17. Instabis. Ex doctrina tradita infertur, in natura lapsa esse aliquid morale, quod non esset in natura pura, ergo etiam aliquid physicum; Prob. consequentia. Omne morale suum fundamentum habet in physico, & morale diversum in physico diverso, ergo. Sed contra. Verum est de physico præterito vel præsenti; proprio vel alieno, non autem semper præsenti, & semper proprio; fundamentum autem habet in ipso Adæ peccato transfuso in posteros, quod physicè fuit, & nunc moraliter perseverat.

18. Ob. 3. Homo lapsus facilius deberet peccare, quàm homo purus, ergo. Prob. ant. Homo lapsus subdi debet majoribus Dæmonum tentationibus, dicente Tridentino, hominem per peccatum constitutum esse sub Dæmonis potestate; rursus in eo concupiscentia est magis indomita, & effrænis, ergo; ut etiam ait S. Anselmus lib. de concep. Virgin. cap.5.

19. Resp. Argumentum hoc nihil concludere, nam si duo sint, quorum unus plures habeat adversarios, alius paucos, ille succumbat, iste non, nequaquam inferri potest, ergo ille est debilior isto; ut manifestum est; ad probandam virium inæqualitatem oportet ipsis æquales vires opponi. Nihilo tamen minus ne. ant. ad prob. quantum attinet ad concupiscentiam dico, non esse majorem, quàm fuisset in statu puræ naturæ; atque ita appellari à Sancto Anselmo aliisque Patribus facta comparatione cum justitia originali, in qua nulla erat, & per integritatis donum tanquam fera vincta subdebatur; vel etiam factam esse magis indomitam & effrænem non præcisè per peccatum originale, sed per peccata personalia. Quod vero dicitur de Dæmonum tentationibus; certum est hominem lapsum esse sub Dæmonis potestate, quia, si peccatum non expiaverit, æternas sub ipsius jugo debet pœnas exsolvere; sed hoc nihil refert ad rem nostram. Si vero intelligatur, subdi etiam Dæmoni tentatori; hoc in primis dici potest non con-

contingere in pœnam peccati, siquidem tentavit hominem Dæmon etiam ante peccatum, & licet primi parentes in gratia permansissent, adhuc reliqui homines fuissent tentati, & plures peccassent; immo cum tunc habuissent homines majorem virtutem ad resistendum; vehementius Dæmones tentassent. Prætcrea; Dæmonem tentare, per accidens est ad naturam lapsam, hæc enim esse potuisset, quin vel fuisset aliquis Angelus, vel aliquis Angelus peccasset. Tandem; In illa providentia potuisset Deus creare Dæmones, qui propter peccatum naturali fine caruissent, tunc ab eodem homines contendissent avertere, sicut modo à supernaturali fine removere conantur. Verum quid fuisset in statu puræ naturæ circa Dæmonum tentationes aliquid certi neque à nobis, neque ab adversariis potest definiri, & ideo ex hoc capite nec ipsi firmum argumentum, nec nos firmam responsionem possumus afferre. Hoc tamen certum est, quod si homo lapsus majores patitur Dæmonum tentationes, validiori etiam Angelorum custodia roboratur.

ARTICULUS II.

Utrum homini lapso sit necessaria gratia ad cognoscendas omnes veritates naturales.

20. DUm gratiam dico, donum aliquod distinctum à generali concursu, quem statuit ordo providentiæ præsentis intelligo: Dum de veritatibus naturalibus inquiro, de gratia naturali secundum substantiam, quæ altiorem vindicat locum, nequaquam difficultatem instituo. Hujusmodi autem veritates in duplici classe distribuuntur; Aliquæ sunt tantùm speculativæ, quæ intellectum perficiunt, aliæ practicæ, quæ voluntatem movent, & si movent ad affectum opusque bonum, practicæ morales appellantur, universales quidem, si aliquid universale respiciant, v. g. *dandum esse unicuique suum*. Particulares vero, si aliquid particulare, v.g. *hic, & nunc est restituendum.* Rursus hujusmodi veritates perpendi possunt, vel secundum divisionem, vel secundum collectionem; Rem prius quantum ad speculativas resolvemus, non quidem à sensibus remotas, ut sunt cordis secreta, vel reconditas; ut numerus stellarum, sed sensuum ministerio reprehesentabiles, & modo perceptas. De practicis vero postea stabilietur.

21. Fuit aliquorum sententia præsertim Gregorii & Capreoli, quos sequi videntur Vasquez & Meracius, hominem lapsum nullam sine errore assequi posse veritatem, nisi specialis gratiæ fulciatur adjutorio; His adduntur alii, qui, distinguentes gratiam Christi & gratiam Dei, affirmant sine illa hominem posse non solum cognoscere omnes veritates naturales divisim sumptas, sed etiam collective; negant vero sine ista non solum omnes collectivè, sed etiam singulas seorsim. Communissima tamen Theologorum opinio cum S. Th. Scot. Suarez, Cacher. Alvarez &c. oppositum sustinet, & cum istis.

22. Dicendum primo. Ad cognoscendas veritates naturales speculativas divisim sumptas non est necessaria specialis gratia. Et certè ab hac necessitate excludendam esse gratiam Christi, illud sufficere potest quod docet Augustinus epist. 101. videlicet; illam gratiam nobis conferri propter Christum, pro qua obtinenda Christus mortuus est; mortuus autem est, ut essemus à peccato liberi & fideles, non autem ut evaderemus Philosophi, aut Astronomi, ergo. Excludendam autem esse etiam gratiam Dei.

Prob. Ad cognoscendas veritates naturales speculativas divisim sumptas non est necessaria specialis gratia, si sufficit solus generalis concursus, quem Deus præbet cœteris rebus, sed iste sufficit, ergo. Prob. mi. Si iste non sufficeret, intellectus humanus esset imperfectior quacumque alia forma, & facul-

tate naturali, sed hoc non est dicendum, cum sit facultas immaterialis, ergo. Prob. maj. Aliæ facultates, v.g. visiva & augmentativa per solum generalem concursum suos actus proferunt & effectus ergo si &c. Hæc est ratio, quam affert S. Thom. in 2. dis. 28. qu. 1. art. 5. & quam insinuat S. Prosper 22. contra collat. inquiens. *Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquiis?* Proponatur itaque intellectui objectum naturale, excitentur in ipso species, quod procul dubio naturaliter fit, quid deerit ne intelligat? Si neges; deerit ergo etiam proposito objecto suo aliquid oculo ne videat, & ita contra experientiam loqueris.

23. Dices disparem esse rationem, quia facultas visiva est determinata ad objectum suum, quod est color & lux, at intellectus non est determinatus ad verum, cum interdum feratur in falsum, quod judicat verum, ergo si absque errore objectum percipit, gratia Dei est censenda. Sed contra. Tam intellectus secundum naturæ exigentiam est determinatus ad verum, quam oculus sit determinatus ad colorem & lucem, sed quia oculus, utpote sensitiva facultas, solum externa & sensibilia percipit, intellectus vero intima & abscondita, fit, oculum in colore, ut color est, nunquam in deceptionem incidere, intellectum vero aliquando errare, judicando quæ falsa sunt, tanquam vera; at hoc non contingit juxta intellectus ipsius exigentiam, sed præter, immo contra; Proinde quod feratur in objectum, ipsum veraciter cognoscendo, ex gratiæ specialis privilegio oriri non debet. Sed demus, intellectum, quia deficere potest, indifferentem esse ad verum & falsum, quid inde concludi poterit, ergo ex gratia speciali verum pertinget? Nequaquam; & sic argumentor ab opposito. Non fit injuria specialis intellectui, quod intellectus falso cognoscat, ergo neque fit gratia specialis, quod cognoscat cum veritate; inferri tantummodo potest, Deum liberè cum ipso concurrere vel ad actum verum, vel ad actum falsum, sed sive sit actus verus, sive falsus, semper est concursus generalis debitus ejusdem naturæ, & magis quidem debitus ad verum, quia ad hoc propria natura tanquam ad sui perfectivum inclinatur, & ad falsum solummodo ex accidente deflectitur, nimirum ex aliquibus impedimentis, quæ etiam sine speciali gratia removeri possunt, & de facto in pluribus removeri contingit.

24. Hac tamen in re adnotandum existimo; varia esse hominum ingenia. Aliqua ea solertia prædita sunt, ut vel industria propria, vel alieno magisterio facillimè rerum veritates percipiant; Aliqua Mediocri pollent Minerva, ut tamen labore studioque difficultates evadant; Aliqua tandem tam rudia, & impolita, ut nec labore proprio, nec alieno aliquid pertingere possint. Si de illis loquamur, non est ad gratiam specialem confugiendum, cum solis inspectis causis secundis, & providentia ordinaria suum finem assequi ipsis concedatur. Si vero de postremis, specialem gratiam non inficior, sed ad rem nostram non est, cum ea sint præter intentum naturæ, cui debitum est habere sub se individua, quæ ex vi providentiæ sibi datæ veritatem objectorum penetrent, ac speculentur. Quod si naturaliter cognosci potest per res visibiles existentia Dei, ut dicitur de Deo Uno, cur cognosci non poterunt aliæ veritates, quæ in primis principiis continentur, & ex ipsis inferuntur?

25. Oppositum tamen censendum est, si de veritatibus speculativis collectivè sumptis sermo instituatur. Hoc autem multiplici ratione suadeo; Prima desumitur ex intrinseca naturæ nostræ conditione, quæ tot incommodis & periculis obnoxia est, ut mentem in plura distrahi necesse sit; Adde somni, victusque necessitatem, adde morbos, frequentesque vel capitis, vel stomachi alio-

aliorumque membrorum dolores, quibus impediri, ne res omnes penetrare possit, quis est, qui non videat? Dictum propterea Sap. 9. *Terrena inhabitatio aggravat animam, & deprimit sensum multa cogitantem*. Secunda proponitur ex impedimentis extrinsecis contentis in illo Galeni aphoris. *Ars longa, vita brevis, experimentum difficile &c.* Ex omnibus istis oritur in homine moralis impossibilitas ad omnes collective veritates comparandas, unde factum est, ut nullus inter tot homines, quamvis, & ingenio vividos, & labore imperterritos, usque modo omnem hanc collectionem assequutus sit, quod est optimum argumentum ad inferendum, non esse in natura hanc vim, & facultatem, immo neque ad eam Deum gratiam elargiri; Propter quod contra Pelagium asserebat S. Hieronym. dial. 1. requiri gratiam specialem ad vitanda omnia peccata, quia nulli unquam sine gratia ea evitasse contigerit; de qua re alibi.

26. Ob. contra primam. Potest quis prudenter orare, ut pro aliqua veritate cognoscenda auxilium obtineat, & pro auxilio obtento gratias Deo rependere, sed ita veritatem cognoscere est gratiæ speciali tribuendum, ergo. Maj. experientia comprobatur; Minor vero traditur à S. Augustino ep. 95. *Oratio est clarissima gratiæ testificatio*. Et ep. 107. *gratiarum actio est certissimum signum beneficii gratuiti*.

27. Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. dum pro obtinenda aliqua veritate preces effundimus, vel hoc contingit, non ut absolutè obtineamus, sed ut facilius, vel ut ipsam consequamur ad Dei gloriam, nostrumque meritum; Neque semper verum est, orationem referri ad gratiam strictè sumptam, cum experientia compertum sit, Patres orare pro filiis obtinendis, aliquando potius pro masculis, quàm pro fœminis; nos ipsos orare vel pro serenitate, vel pro pluvia, nec tamen aut filiorum procreatio, aut serenitas & pluvia pertinent ad concursum gratiæ specialis, sed ad generalem providentiam, fallibiliter quidem attamen contingenter debitam, si non pro tali determinato tempore, saltem pro aliquo, quod sufficit ad excludendam gratiam specialem, quod enim etsi fallibiliter debitum est, gratia non est, cum hæc nullo modo sit debita. Oramus etiam agimusque gratias pro nostra conservatione, & pro pane quotidiano, & tamen conservationem & panem quotidianum ad generalem providantiam spectare, quis negat? Ita se habet in nostro casu; Tendit quidem intellectus fallibiliter in objectum, ipsi tamen debitum est aliquando infallibiliter tendere, si non pro tali determinato individuo, saltem pro aliquo, proinde non est expectanda gratia specialis. Habetur ex his, quare quis non orat, nec gratias Deo agit, ut ignis v. g. comburat, non enim hoc evenit, quia ad combustionem factam, aut faciendam sufficiat concursus Dei generalis, sed quia est infallibiliter determinatus ad combustionem, posito quod aptetur subjecto disposito.

28. Dices. Licet juxta præsentem providentiam debitum sit intellectui posse cognoscere objectum cum veritate, attamen actu non cognoscet nisi per gratiam specialem, ergo nulla doctrina. Prob. ant. Licet juxta providentiam, qua homo elevatus est ad finem supernaturalem debitum sit alicui auxilium efficax ad salutem, attamen quod uni tribuatur, alteri non, est gratia specialis, immo præstantissimum donum; ergo. Aliis etiam terminis. Ex providentia generali electionis infertur homines posse salvari, quod tamen actu salventur specialis gratiæ donum est, ergo licet juxta præsentem providentiam debitum sit intellectui posse cognoscere cum veritate, attamen actu cognoscere est per gratiam specialem; Illud quidem in ordine supernaturali, hoc vero in ordine naturali.

29. Sed contra; negatur antecedens

dens paritatis; etenim ex elevatione hominis ad finem supernaturalem, ut contenta in illa voluntate generali salvandi omnes, tenetur Deus ad conferenda tantum auxilia sufficientia, non verò efficacia, cum hæc possit non conferre, & quando confert, tamquam dona gratuita conferat, dixi: *Ut contenta in illa voluntate generali*; Nam elevatio ad finem supernaturalem & voluntas salvandi omnes est tantum antecedens & inefficax; vel consequens & efficax; Si primum, valet quod dixi; Si secundum, nego auxilia efficacia esse distincta à dono elevationis, cum sine illis ista nequaquam haberi possit, & ideo sicut ista nemini debita est, ita nec illa alicui debita sunt. Ad secundum; argumentum nimis probat, cùm idem fieri posset loquendo etiam de facultate v. g. visiva, & de quacumque alia causa; ratio igitur desumitur ex dictis; quia in ordine supernaturali duplex est providentia & elevatio, in ordine autem naturali providentia generalis naturæ debita non solum est ad posse agere, sed etiam ad ipsam actionem, ut inductione patet, proinde &c.

30. Ob. 2. Posset aliquis homo servata providentia generali quacumque veritatis cognitione semper carere, ergo quod aliquam veritatem cognoscat à providentia generali non provenit, sed à gratia distincta. Probat. ant. Posset Deus servata providentia generali causas secundas ita disponere, ut per suum cursum & ordinem naturalem, hominem semper in errorem inducerent, ergo.

Resp. ant. ad summum verum esse de aliquo determinate propter aliqua impedimenta præter exigentiam, & intentum naturæ, quod nostræ non opponitur conclusioni, vel in alia providentia in qua facultas intellectiva & sensitiva esset valde deterior, non autem in ista, in qua hominis lapsi facultates naturales eamdem habent perfectionem, quam haberent facultates hominis puri, proinde proportionem servant ad veritates naturales.

31. Ob. 3. Si homo lapsus sine speciali Dei gratia posset aliquam veritatem agnoscere, haberet aliquid quo posset gloriari, contra illud Pauli 1. ad Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo. Atque hoc est, quod docuit Concil. Milevit. cap. 4. asserens illud ps. 93. *Qui docet hominem scientiam*, & Arausic. cap. 22. inquiens. *Tam veritatem, quam justitiam esse ab illo fonte, quem in eremo sitimus.*

Resp. ne. maj. quæ si vera esset, etiam ad videndum ambulandum, & quæcumque alia opera necessaria foret gratia specialis, alioquin aliquid haberet homo, quo posset gloriari; ratio est, quia ad veritatis agnitionem licet non requiratur specialis gratia, haberi tamen non potest sine Dei adjutorio, non quidem specialiter concurrente, sed agente ut authore naturæ concursu ipsi debito, posito, quod illum velit in sui conditione conservare; Nihil igitur habet homo quod non acceperit, diverso tamen modo, quædam enim accipit per providentiam generalem & naturalem, quædam vero per particularem, & naturæ ordinem excedentem. Neque ita dicendo, Pelagii errori aliquo pacto assentimur, nam iste negabat quamcumque gratiam supernam ad quemcumque actum; immo, ut probat Abul. qu. 178. in 19. Mat. Bellarm. lib. 4. de gratia, Suarez &c. contra Jansenium, negabat etiam concursum generalem ad actus liberos, & pro hoc sufficere posset illud Hieron. in ep. ad Cresiph. ubi hisce verbis Pelagii doctrinam recenset. *Sic philosophatur & disputat &c. Frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non potero, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quę alerius ope indiget.* Et ibidem loquendo de aliis actionibus. *Audite quæso, audite sacrilegum; si inquit voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare &c.*

sem-

semper mihi auxilium Dei erit necessarium. Ergo Pelagius negans hoc auxilium, etiam concursum generalem negavit. Conciliis adductis responsum dabitur in sequenti.

32. Contra secundam nihil producendum censeo, argumenta philosophica sint, & in tractatus decursu resolvenda contingent.

ARTICULUS III.

Utrum necessaria sit gratia specialis ad veritates practicas.

33. Veritates practicæ aliæ sunt, quę artibus inserviunt, aliæ, quæ ad mores disponunt, quatenus accommodant objectum modo sufficiente, ut voluntas possit honestè operari. De primis nullum dubium est apud Doctores, constat enim sine gratia speciali homines posse vel plantare vineas, vel telas contexere &c. De secundis vero ita sentiunt authores citati contra primum nostrum assertum in antec. stabilitum, sicut de veritatibus speculativis, & potiori ratione, ut manifestum est, immo Puteobonellus nobis assentiens in eodem, ipsorum in hoc sententiam defendit. Sunt verò alii, qui in intellectu practico duplicem actum distinguunt, unum pertinentem ad judicium de re agenda, an sit conveniens, nec ne, alium ad imperium, quo intellectus movet voluntatem ut velit, & agat. Illum asserunt sine gratia haberi posse, istum nequaquam; Cui dicendi modo videntur adscribendi illi, qui distinguentes cognitionem honestam in sufficientem, per quam potest voluntas actum moraliter bonum habere, attamen non habet; atque in congruam, per quam non solùm potest habere, sed habet, ad illam asserunt gratiam non requiri, è contra ad istam. Sed utcumque se explicent.

34. Sentiendum cum S. Th. Scot. Duran. Richar. Suarez, Cacher. aliisque Theologis, hominem lapsum sine gratia speciali posse cognoscere plures veritates naturales practicas.

Prob. primo authoritatibus ps. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Et respondet Propheta. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Qui textus licet pro materiæ diversitate diversis modis ab expositoribus explicetur, attamen de naturali lumine intelligendum esse docent August. & Cyril. lib. 1. in Joan. cap. 4. debere autem intelligi de agendis in particulari ex eo constat, quod bonum ostendere actio est, actiones autem singularium sunt, & parum prodesse cognitionem universalem demonstrat experientia. Ad Rom. 1. *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*. Ubi ostendit Apostolus, nihil excusationis fuisse in Gentilibus, qui per notitiam à creaturis habitam cognoscentes Deum, ab idolorum cultu se non abstinuerint. Ut nos sentimus, senserunt Patres; Paucos adducam, in hisce etenim rebus plerumque labor solius calami est; *Simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum & non faciendorum*. Ita Chrysost. hom. 54. in Gen. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus hominum veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Ita August. in ps. 57.

35. Reponere posses, hæc omnia vera esse de homine in statu innocentiæ, sed isto deperdito hæc simul periisse, male reponis, si quæ in antecedentibus dicta sint perpendes, pejus vero, si quæ infra dicamus, perspicies. Interim illis admissis, ut admitti debent, quid facilius quam ita cogitare, nolo rapi quod meum est, ergo neque rapi debet, quod alienum est? Atque ex hoc colligitur satis validum fundamentum ad id probandum ratione, quod authoritate statutum est; Sicut enim ex aliquo principio universali speculativo cognoscitur naturali lumine propositio particularis in eo contenta, præsertim si principium universale proximum sit. Ita ex aliquo principio universali pra-

ctico infertur naturali lumine cognitio particularis practica ex eodem dimanans, & aliqua ad summum difficultas esse poterit in ejusdem exequutione, non tamen in cognitione. Plura tamen non addam ad assertum positum confirmandum, cum ex dicendis magis probatum videbitur. Hic tantummodo operæ pretium existimo plura opponere ac diluere, quæ directè contra cognitionem practicam militare videntur.

36. Ob. primo cognitio veritatis practicæ est per ordinem ad honestè operandum, sed hæc haberi non potest sine gratia speciali, ergo. Prob. mi. authoritatibus Scripturæ 2. ad Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*. Et profecto merito hoc dictum est, cum cogitationes humanæ sint addictæ vanitati, & ad malum ex sua natura propensæ juxta illud ps. 39. *Deus fecit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, & illud Gen. 6. *Videns autem Deus, quod cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*. Quæ quantum explicent gratiæ necessitatem, ne hujusmodi sint, nemo non videt.

37. Resp. ne. mi. ad textum Pauli; Hunc intelligendum esse de cogitatione practica & salutari honesta in linea superna, non in sola naturali, explicat S. August. in lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 2. exponens Apostoli verba de cogitatione necessaria ad habendam fidem Theologicam; atque hoc satis aperte innuitur in contextu; nam prius dixerat. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*. Deinde addit; *non quod sufficientes simus &c.* Alius textus, qui continet preces Josaphat orantis Deum, ut se & suos ab hostibus, quibus resistere non valebant, liberaret, probat, in aliqua circumstantia cogitationes practicas haberi non posse sine speciali Dei adjutorio, non tamen semper, si hujusmodi circumstantiæ removeantur. Verba David referuntur ad plurimas hominum cogitationes, non tamen ad omnes, ibi vero loquitur præsertim de illis, qui male de scientia & Providentia Dei sentiebant; eodem modo explicanda sunt postrema, & adde, ita dictum esse per ampliationem, sicut cum dictum fuit; *Omnis quippe caro corruperat viam suam*.

38. Quo pacto autem explicavimus textum Pauli, explicamus & alios, qui possent afferri, vel ex Concil. Milevit. cap. 4. dicente: *Utrumque est donum Dei & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus*. Vel ex Arausic. cap. 9. asserente: *Non solum justitiam, sed etiam scientiam, quæ illam generat, esse ex gratia*. Vel ex August. ep. 105. hæc habente. *Nemo rectè sapit, nisi qui donum intellectus & consilii acceperit*. Vel ex Fulgent. lib. de Incarnat. & gratia cap. 12. fatente. *Hominem peccando facultatem rectè cogitandi amisisse*.

39. Ob. 2. Cogitationes practicæ sunt media ad beatitudinem, sed hæc, utpote indebita homini lapso, quemadmodum ipsa beatitudo, nequeunt haberi sine gratia, ergo neque illæ. Secundo. Per cogitationes practicas acquiritur prudentia, sed hæc sine gratia acquiri nequit, juxta illud proverb. 8. *Mea est prudentia*, ergo.

Resp. esse media solum remota & negativa, hæc autem saltem aliqua esse debita naturæ rationali, cujus facultas, licet per peccatum infirma reddita sit, non tamen extincta; & quamvis etiam beatitudo naturalis indebita esset homini lapso, non tamen indebitæ forent omnes honestæ cogitationes, quæ non sunt medium proximum nisi prout excludunt omnem errorem, sicut actus supernaturales non sunt hujusmodi ad beatitudinem supernaturalem, nisi prout excludunt quodcumque peccatum. Quod si velis esse indebitas, quia homo per peccatum ipsas demereatur, vanum

esse

-esse argumentum dictum fuit superius. Ad 2. parvi prudentiam æstimant, qui ita argumentantur. Prudentia non comparatur per aliquas honestas cogitationes, aut per aliquod exercitium virtutis, necessarius est affectus omnino constans moderatus & permanens, ut etiam in rebus difficilioribus serio & virtuosè quis operetur. Hoc autem sine gratiâ fieri non posse concedimus, sed non est ad rem nostram. Merito itaque dicit Deus: *Mea est prudentia*. Quamquam & hæc distingui posset in naturalem & supernaturalem, & de hac Spiritum Sanctum loquutum esse concludere.

ARTICULUS IV.

Utrum ad quodlibet opus morale bonum sit necessaria gratia specialis.

40. EX propositi quæsiti resolutione pendet potissimum, quod in antecedentibus statutum est; Si enim probatur, posse hominem lapsum sine gratia aliquas operationes bonas & laudabiles in linea moris exercere, procul dubio habere etiam poterit cogitationes practicas & morales, cum nemo bene & laudabiliter agat, nisi prius bene & laudabiliter cogitet, ut manifestum est, & ostendit S. August. de prædestin. Sanct. lib. 1. cap. 2. Proposita tamen difficultas non adeo levis est, ut studium nostrum accuratius sibi non vindicet, cum præsertim catholicum dogma ab hæreticis omnino rejectum contineat. Voluerunt Calvin. Luth. Melanc. & Kemnit. hominem in natura lapsa quomodocumque operetur semper peccare, quamvis si firma fide teneat, à Deo non imputari, nihil nocere, nec tanquam prava opera esse recensenda. De hoc postremo nihil hic dicam, cum, ubi agam de justificatione, satis pertractandum occurret. Primum igitur ad examen vocabitur. Voluit Joan. Hus, ut refert Concil. Constant. sess. 15. ad quodcumque opus bonum requiri gratiam habitualem & sanctificantem, ita ut omnia opera peccatoris essent peccata, cui videtur adhæsisse Catherin. in cap. 3. Genes. super illa verba: *Adam ubi es?* Sed præsertim subscribit Michael Bajus dicens art. 35. *Omne, quod agit peccator aut servus peccati, peccatum est*: & proposit. 50. & 51. ubi asserit: *Omnem motum concupiscentiæ etiam involuntarium esse peccatum*. Et prop. 40. hæc habere non trepidat. *Peccator in omnibus suis actibus servit dominanti cupiditati*. Et prop. 38. inquit: *Omnem amorem creaturæ rationalis, aut vitiosam esse cupiditatem, qua Mundus diligitur, aut laudabilem charitatem; qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Utrum hoc admitti debeat, erit secundum punctum. Voluerunt alii, ad opus bonum saltem necessariam esse gratiam fidei, ita ut ignorantes Deum, sive postea vincibiliter, sive invincibiliter hic non inquirimus, nullum actum bonum proferre possent; & de hoc jam pertractatum est in quæstionibus de fide Divina. Tandem controversia fit inter Catholicos, utrum nulla data necessitate vel gratiæ sanctificantis, vel fidei, requiratur saltem auxilium speciale Dei vel ordinis supernaturalis, vel saltem naturalis, & hoc erit tertium punctum. Ut autem hæc omnia clarè distinctèque stabiliantur, sequentes paragraphos exponemus.

§. I.

Utrum omnia opera hominis lapsi sint peccata.

41. VIX titulum audierunt Hæretici, nec linguam cohibere possunt, ne suam sententiam affirmativam in medium proferant, & sua fundamenta proponant. Quid enim, inquiunt, nobis deest, ne ita debeamus asserere? An Divina Scriptura? Quid ista dicat, audiant Catholici. Eccles. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum,*

& non

& non peccet. Psal.13. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. An Sancti Patres? Sed quid Gregor.9. Moral. cap.14. Quid Bernard. ser.5. de verbis Isaiæ, quid pro omnibus August. lib.9. Confess. cap.13. & alibi? Fatentur hi omnes, in judicio Dei nullam esse justitiam humanam honestam & laudabilem, nisi Deus quodammodo dissimulet. Si vero rationes postulentur; plures non desunt. Homo per peccatum amisit eam facultatem operandi, quam in sui prima creatione accepit, semper igitur peccabit, cum vel dici debeat, adhuc teneri ad operandum cum ipsa rectitudine, vel peccando ab hac lege exemptum fuisse, quod postremum incongruum est existimandum. His adde, præceptum impositum in illis verbis, *non concupisces* nunquam posse adimpleri, cum non sit in hominis potestate effrænis concupiscentiæ motus à fomite progredientes non sentire; nec aliud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum* posse servari propter eamdem concupiscentiæ rationem, per quam vel deordinatè agit, vel retardatur, ne modo consentaneo, & ut ad virtutem requiritur, operetur; Quemadmodum ergo gratia, quæ homini conceditur, nunquam fomitem adimit, ita nunquam sufficiet ad operandum sine peccato, igitur omnia opera erunt peccata.

42. Utinam hæc afferre desinerent Hæretici, ne ita loquentes nova peccata committerent. Cur nos ad Scripturas provocant, qui pro nostra sententia Catholica, & veluti Dogma Fidei tenenda Scripturarum auctoritatibus effluentes sumus? Multa egit, multa passus est Job, multa loquutus est, & tamen Scriptura dicit: *In omnibus his non peccavit Job*. Beatum dixit David psal.1. virum, *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*, & ps.118. agnovit aliquos *immaculatos in via, qui ambulant in lege Domini*; In epist. ad Hebr. 11. an non recenset Paulus plures homines justos, rectèque operantes? An non 2. Petri 1. habetur. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Si dicant Hæretici, textus istos canonicos non esse, jam contra ipsos actum est, ubi de Scriptura à me traditum fuit; Sed necesse erit, negent etiam Evangelium, cum Mat. 5. legatur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Quæ autem opera bona videbunt, si omnia peccata sunt?

Patrum testimonia modo præterimus, cum aliis in locis passim afferentur; sufficiat pro omnibus legere S. Hieron. in dial. contra Pelagian. & S. August. præsertim in lib. de gr. & lib. arb.

43. Non ita vero à rationibus abstinere existimamus. Primo. Si omnia opera hominum sunt peccata, jam nullum est peccatum. Cur enim peccatum erit? Non alio titulo, nisi quia est contra legem æternam Dei, cui homo debet obtemperare, at si neque secundum vires proprias, neque secundum vires à gratia præstandas legem hanc servare posset, nec implere præcepta, procul dubio non peccaret, quo pacto enim obligabitur vel ad faciendum, vel ad vitandum, quod facere vel vitare non potest? Semper ergo peccabit homo, & nunquam peccabit. Secundo. Undenam ista bene operandi impossibilitas progredietur? Non aliunde, quàm ab originali peccato, ex quo vim habuit fomes, & tentandi Dæmon majorem facultatem obtinuit, sed neque peccatum originale, nec fomes, nec Dæmon abstulit ab homine aut naturalem rationem, aut voluntatem, nec per hoc factus est homo incapax adjutorii Divini, quo & fomitem vincere, & Dæmonem superare ipsi daretur; immo si tanta vis Divinæ gratiæ & facultas est, ut possit lapsum justificare, ut contingit in pueris baptizatis, cur etiam non poterit hominem justificatum semper conservare, & efficere, ut non peccet? Tandem, sic ad hominem contra Hereticos argumentor. Hæc fides, per quam inquiunt ipsi, homi-

hominem justum esse, vel est peccatum, vel non est; Si est peccatum, quomodo per ipsam justi fient? Si non est peccatum, ergo homo in quolibet actu non peccat, & si non peccat in actu credendi, quare v. g. peccabit in actu orandi, vel eleemosynam largiendi? Prætereo Concilium Trident. sess.6. can. 16. tum Beatissimæ Virginis perpetuam virginitatem & sanctitatem, ne novas Hæreticorum blasphemias audire contingat.

44. Jam vero ipsorum impietati stultitiæque potius, quam argumentis respondeo. Primus textus non dicit, *qui nunquam* faciat bonum, *& semper* peccet, sed qui faciat bonum & non peccet; idest omnis homo aliquando non facit bonum, & aliquando peccat, quod & nos fatemur, sed non rectè infertur, ergo omnia opera hominum sunt peccata. Peccat igitur quicumque homo, & dictum fuit proverb. 24. *Septies in die cadit justus*. Et Joan. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Sed non semper peccator, qui aliquando peccator, resurgit multoties qui cadit, & in multis fit bonus, qui in multis factus est malus. Secundus textus licet explicetur à S. Augustino de Christo, idest: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* nimirum *præter unum Christum*, attamen non complectitur omnes actus personarum, sed omnes personas, ita ut nulla sit; quæ ex integro faciat bonum, & aliquando non peccet; quamvis & dici posset, id dictum esse per exagerationem, & hyperbolem, sicut in anteced. asserebatur, nisi forte respondere placeat, ibi sermonem esse de hominibus stultis, impiis, & Atheis dicentibus in corde suo non est Deus, quorum in toto illo psalmo fit mentio. Quod attinet ad Sanctos Patres, dedignantur isti ab Hæreticis produci, & tantum abest ipsorum errorem docere, quod semper tradunt oppositum. Sanctus Augustinus adductus lib. 9. confess. cap. 13. orat pro Matre sua, quam appellat sanctam, devotam, optimisque moribus instructam; veritus ne est, etiam orationem suam peccatum esse apud Deum, aut lacrymas Matris suę, pro ejusdem conversione profusas, fuisse peccatum? Si quid igitur ex Sanctis Patribus evinci potest, aliud profecto non est, nisi quod vel justitia hominum non est quandoque per ordinem ad finem supernaturalem, vel comparatam Divinæ justitiam non esse; sed quid mirum? etiam creaturæ omnes in conspectu Dei nihil reputantur, & Deus in Angelis suis reperit pravitatem.

45. Nunc ad rationes. Quantum attinet ad primam; Sicut homines nunquam habuerunt integritatem & naturæ innocentiam, ita nunquam impositum illis fuit præceptum operandi juxta exigentiam, illiusque status perfectionem, eam propterea facultatem nunquam perdiderunt, quia nunquam habuerunt; immo nec Adam habuit præceptum eam recuperandi, quia fieri non poterat; amisit quidem Adam facultatem operandi sine sensus reluctantia, quam innocens habebat, non amisit tamen facultatem operandi cum sensus resistentia, & gratiæ auxilio, ejusque arbitrium evasit infirmum, non tamen periit extinctum. Quantum spectat ad secundam; Si ratio fomitis & concupiscentiæ omnes operationes vitiosas efficeret, hoc certè contingeret præsertim in materia Conjugii; Sed si ita esset, cur Paulus dixit 1. ad Corint. 7. *Si acceperis Uxorem non peccasti, si nupserit Virgo non peccavit?* Attendendum est ergo; aliud esse, hominem concupiscentiæ motibus subdi, & aliud ipsis adhærere. Hoc peccatum est, nequaquam illud, neque præceptum datur ad illos evitandos, quia cum non sint actus liberi, præceptum circa illos versari non potest. Cum dictum fuit, *non concupisces*: Intellige juxta id quod habetur Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas*, & quod scribit Apost. ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obedien-*

diendum concupiscentiis vestris. Sed demus, concupiscentiam & fomitem peccatum esse, nunquid concupiscentiæ motus semper insurgunt? Experientia docet oppositum; Poterit igitur homo saltem pro hoc tempore aliquas operationes habere, quæ non sint peccata. Sed scias, immo ex concupiscentiæ motibus maximum emolumentum proficisci. *Beatus enim vir, qui suffert tentationem*, inquit Jacob. ep. sua cap. 1. & dum conquereretur Paulus, datum sibi esse stimulum carnis, responsum accepit, *sufficit tibi gratia mea*, per quam postea dixit. *Bonum certamen certavi*, sed quomodo bonum certamen certasset, si semper agendo peccasset?

46. Ex his jam tenes, quo pacto non repugnat, Deum super omnia posse ab hominibus diligi; Dilexerunt eum tot Virgines, tot Martyres, qui omnia arbitrati sunt ut stercora, ut Christum lucri facerent, & Apostolus tam constanter dicebat, neque per famem neque per angustias, neque per persequutiones, neque per gladium, neque per vitam, neque per mortem se à charitate separatum iri. Præcipimur præterea Deum diligere præcepto positivo, quod pro omni tempore non obligat, neque ad quodcumque opus bonum Dei dilectio requiritur, ut ostendetur. Gratia itaque Dei fomitem non adimit, fomitem tamen etiam insurgentem vincit; Concupiscit caro adversus Spiritum, sed etiam Spiritus adversus carnem; Si autem Spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus, inquit Paulus ad Rom. 8. frustra autem diceret, si mortificare non possemus. Intelligant hæc Hæretici, nec, ut liberius peccent, semper homines peccare contendant.

§. II.

Utrum ad omne bonum sit necessaria gratia sanctificans.

47. JAm contra Joannem Hus, & Bajum instituitur disceptatio. Causa vero finita esset, si propositiones adductas num. 38. tanquam damnatas à Summis Pontificibus perspectas haberemus; Sed harum damnationem placet omittere, ut quam merito damnatæ sint, & quàm à veritate discesserint, magis compertum appareat.

Dicendum propterea est; ad omne opus bonum non esse necessariam gratiam sanctificantem.

Prob. primo auctoritate Concilii Trident. quod sess. 6. can. 7. ait: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, anathema sit:* Neque vim definitionis evitare possunt dicendo, aliud esse, illa opera non esse peccata, & aliud esse bona, quia esse possunt indifferentia. Primum esse definitum, non secundum; etenim, licet per me non repugnet actus indifferens in individuo, attamen mens Concilii erat, ita excludere ab illis operationibus peccatum, ut in ipsis moralis bonitas inveniatur, siquidem loquitur de illis operationibus, ut non solùm non sint peccata, sed etiam sint quædam dispositiones ad justificationem, sed operationes, quæ non solum non sunt peccata, sed quædam dispositiones ad justificationem, debent esse bonæ & non tantùm indifferentes, ergo. Præterea idem Concil. sess. 6. cap. 6. asserit, hominem disponi ad justificationem per actus provenientes ab excitatione & adjutorio Spiritus Sancti, sed isti actus boni sunt, & sunt in homine nondum justificato, proinde non habente gratiam sanctificantem, ergo. Hoc idem traditum prius fuit in Concil. Arausicano cap. 4. & 5. Quod si velint ad actus indifferentes confugere, ergo tandem tandem

dem concludendum erit, omnia opera peccatorum non esse peccata, quia esse poterunt indifferentia.

48. Hæc profecto fuit omnium Scripturarum doctrina, ubicumqqe peccatores invitantur ad aliquos actus, quibus possint aliquid boni à Deo impetrare vel se ad justificationem disponere, & ita generatim omnibus proponitur oratio Dominica, in qua præter alia dicimus, *dimitte nobis debita nostra*. Cur etiam Christus Luc. 11. & 18. hortatus esset peccatores ad orandum, si oratio ab ipsis facta aliquid boni non fuisset? Rursus; quare ad eleemosinam Luc. 11. *Date eleemosinam, & ecce omnia mundi sunt vobis*. Si hæc ad mundandas peccatorum conscientias non præpararet? Sed quid plura ex Scripturis proferemus? Afferatur exemplum Nabucchi, cui consilium datum fuit Daniel. 4. ut peccata sua eleemosynis redimeret, & iniquitates suas misericordiis pauperum. Afferri posset etiam exemplum Cornelii act. 10. cui dictum fuit ab Angelo. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Cornelium autem nondum fuisse justificatum, tradiderunt Chrysost. Theophilactus, Augustinus; Quia tamen hoc certum non est, nec desunt alii Doctores oppositum sentientes, ideo ex hoc firmiter non probatur assertum nostrum, quod certissimum esse debet.

49. Prob. secundo ratione. Ex nullo capite est necessaria gratia sanctificans ad reddendum opus in se bonum, ergo frustra dicitur &c. prob. ant. Si ex aliquo capite est necessaria, vel in ratione causæ afficientis, vel causæ finalis, quatenus ut opus sit bonum, debeat referri in Deum summè dilectum, sed ex neutro capite, ergo. Prob. prima pars mi. primo quia dantur bona opera ordinis naturalis, quæ nequaquam per se dependent ab habitibus infusis, & hujusmodi opera fuissent etiam in statu puræ naturæ. nec tamen tunc fuisset habitus gratiæ sanctificantis. Secundo quia, sicuti qui haberet habitum intemperantiæ, exercere posset aliquem actum temperantiæ, ut de facto constat, ita qui est in habituali peccato exercere potest aliquem actum virtutis. Tertio; quia etiam loquendo de actibus supernaturalibus, isti haberi possunt per auxilium actuale Dei ex metu gehennæ, ut definivit Tridentinum loquens de contritione imperfecta, ergo. Prob. secunda pars ejusdem minoris. Ut aliquod opus sit bonum, sufficit, si ex natura sua referri possit in Deum, quamvis actu non referatur positivè ex intentione operantis, ut ostendi in tractatu de fide, ergo. Præterea. Opus referri in Deum super omnia dilectum nullum præceptum est, ut probat S. Th. qu. 100. art. 10. & neque ipsi justificati ad hoc semper tenentur, ergo.

50. Opponunt primo ex Divina Scriptura Isaiæ primo. *Ne afferatis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est*. Et rursus. *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Ubi Deus opera hæc, quantumvis bona videantur, detestatur, quia à peccatoribus fiebant. Mat. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Atqui hujusmodi arbor sunt peccatores carentes gratia habituali & sanctificante, ergo.

51. Resp. in primo textu ita dictum esse comparando sacrificia veteris legis sacrificio, quod erat in nova instituendum, & ita certè illorum incensum abominatio est Deo, ut modo contingit in sacrificiis Hebræorum; vel ibi sermonem esse non de sacrificiis secundum se, sed propter sacrificantes, qui sacrificiis contenti cœtera bona opera omittebant, & ita fiebat, aliquid boni ab ipsis exerceri, ipsos tamen pessimos esse. Ita ad secundum textum, præsertim quod si ad malum finem fiat oratio, jam non est bona, & de ipsa dicitur. *Oratio ejus fiat in peccatum*. Textus Mat. plures habet explicationes. Primo sumitur ibi arbor mala reduplicativè ut mala, quamvis vero in peccatoribus semper habituali- ter

ter mala sit, non est semper mala actualiter, idest in omni opere, ut dictum est de intemperante. Secundo excluditur bonitas fructuum per ordinem ad æternam salutem; non præcisè in linea naturali, immo neque in supernaturali disponente ad æternam salutem, nam arbor mala formaliter esse potest bona dispositivè, ut ex Trident. Tertio etsi id verum sit de arbore naturali ac materiali, non tamen de arbore libera, quæ interdum malè, interdum benè potest operari, bonitate relucente saltem in operatione, si non in operante. Quare autem opus dici possit bonum, quamvis alia opera sint mala, non ita dici possit operans bonus, qui semel vel pluries bene operatur, aliquando tamen male, ratio est, quia opus recipitur in operante, & denominatio mali ex quocumque defectu, opus autem unum non recipitur in alio opere. Tandem; sicut arbor bona, ut est justus, potest aliquem fructum malum facere, quia potest venialiter peccare; ita arbor mala, ut est peccator, potest aliquem fructum bonum facere.

52. Opponunt secundo rationem. Actio, quæ non est ad Deum ut ultimum finem, est mala, sed actio quæ non progreditur à gratia sanctificante, non est ad Deum ut ultimum finem, ergo. Prob. maj. Tum quia est illud Apostoli: *Sive manducatis sive bibitis omnia in gloriam Dei facite*. Tum quia aliter dignitas ultimi finis esset in creatura, proinde actio deordinata esset, ergo. Præterea. Quæcumque operatio hominis peccatoris caret perfectione sibi debita, ergo quæcumque est mala. Prob. ant, Quæcumque operatio hominis peccatoris caret ordine ad Deum summè dilectum, cum peccator Deum ita non diligat; & rursus caret justitia, ad quam habendam tenetur, ergo; Quapropter, sicut homo nunc nascitur peccator, quia caret originali justitia, quam debuisset habere, ita quando operatur, malè operatur propter eamdem rationem. Tandem. Omnis actus, qui non est secundum rationem, est malus, ergo etiam omnis actus, qui non est secundum charitatem, est malus, sed actus qui non est ex gratia sanctificante, non est secundum charitatem, ergo.

53. Hisce argumentis jam data responsio est in probatione nostra, juxta quam dist. maj. quæ non est ad Deum neque ex se, neque ex intentione operantis Conc. solum ex intentione operantis præcisivè ne. maj. è contra dis. mi. Illud porro Pauli consilium est, non præceptum, aut si præceptum, sumitur negativè in gloriam Dei, idest nunquam contra gloriam Dei; Verùm minor etiam argumenti absolutè falsa est, etenim actus fidei aliique actus supernaturales sunt ad Deum ut ultimum finem, nec tamen sunt à gratia sanctificante, immo in sententia mea hoc idem dicendum est etiam de contritione. Ad secundum caret ea perfectione, sine qua esse nequit operatio salutaris, non sine qua nequeat esse actio moraliter, vel etiam supernaturaliter dispositivè bona, ut dictum fuit, & in hoc sensu caret etiam ea justitia ad quam habendam tenetur, & pro qua habenda potest se disponere, vel remotè & negativè, si actus sint boni in ordine naturali, vel proximè & positivè, si in ordine supernaturali. Cœterum, sicuti permanere in statu peccati non est semper peccare, ita in ipso operari non est semper peccatum; & quantum ad operandum vel bene vel male est libertas etiam in peccatore, non sic quantum ad nascendum in justitia originali, cum voluntate aliena & ex pacto inito sine ipsa nascamur. Ad ultimum; per me antec. est falsum, cum sit possibilis actus indifferens; ipso tamen admisso discrimen est, quia in alia sententia operari juxta rationem obligat pro semper, & semper, non sic operari secundum charitatem; & operari secundum rationem latius patet, quàm operari secundum charitatem; Hæc enim opera excellentis ordinis respicit, ratio vero

vero etiam ad opera naturalia se extendit, & satis servatur, si fiant ex honestate objecti & finis. Videat ergo Bajus quàm merito ipsius propositiones damnatæ sint.

54. Maximum, quo gloriantur, ad Sancti Augustini mentem reducitur, si pro ipsis præclarissimus Doctor scripsisset. Cujus tamen dictis satis responderemus, dicendo probari per illa, opera sine charitate esse quidem mortua, non tamen mala, ut ex Ambrosii sententia notavimus. Attamen adversantes audiamus. Afferunt primo loco, quod legitur de gratia & lib.arb. cap.18. *Præcepta charitatis tanta, & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Secundo quod legitur lib. 1. de Gratia Christi cap.26. *Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* Tertio quod legitur lib.1. retract. cap.15. *Quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est.* Arbitratur ergo nihil valere, nisi per gratiam sanctificantem, per quam est pia; Rursus ibidem. *In tantum libera est, in quantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas.* Quod autem ait liberatam, intellige justificatam, cum ibi loquatur de liberatione à peccato; unde subdit, *alioquin potius cupiditas, quàm voluntas appellanda est.* Alia hisce similia congeruntur.

55. Hanc tamen non fuisse in Adversariorum sensu mentem Augustini, ut certissimum habendum est. Respondent autem aliqui, interdum charitatem sumi pro dilectione honestatis, ita ut ille ex charitate censeatur operari, qui operatur honeste, & secundum justitiam ejusdemque amore; Moventur ad hoc dicendum, quia Augustinus in iisdem locis ait: *Gratia nos effecit legis dilectores, lex sine gratia prævaricatores.* Ubi plane sentit, idem esse operari ex gratia seù charitate, quod ex dilectione legis & virtutis. Præterea; lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 9. illud opus bonum esse affirmat, *quod fit ex amore justitiæ, seù voluntate benefaciendi*, quam voluntatem charitatem appellat; quo dato facilè explicatu est, quid in duabus primis sententiis indicaverit Doctor; utrum hujusmodi expositio recta sit, minime judico.

56. Si tamen velint, ibi sermonem esse de charitate strictè sumpta, de qua ait Apost. 1. ad Corint. 3. *Quis nos separabit à charitate &c.* hoc libentissime concedam, & videtur colligi ex Doctoris contextu; sed dicam, opus non procedens ex charitate nullo modo fieri bene in sensu Theologico & salutari saltem formaliter; non sic in sensu philosophico & morali, unde in secundo textu non dicit, nullum bonum sit, sed nullum bonum imputatur nec rectè bonum vocatur; & infra addit, *nihil omnino boni sine illa quod ad pietatem pertinet veramque justitiam fieri posse non dubitet.* In tertio textu non dicit, nihil est, sed quantum est, in quo innuit aliquid esse, parum tamen est, & ferme nihil cum ad salutem non conferat; & dum dicitur, *nisi forte si pia est* non debet intelligi tantum de gratia sanctificante, sed etiam de excitante, per quam ad pietatem movetur, seù fit pia dispositivè. In alio textu verum asseritur de libertate à servitute, non de libertate à necessitate; & dum subditur, *alioquin potius cupiditas, quàm voluntas est appellanda.* Non inferas necessario hominem trahi à concupiscentia, cum interdum possit contra operari, sed adeo parum, ut quantum ad denominationem nihil censeatur; Quando enim duo contraria reperiuntur in eodem subjecto, illud absolutè denominat, quod prædominatur, ut patet.

§. III.

§. III.

An ad bene moraliter operandum sit necessaria specialis gratia supernaturalis, vel saltem naturalis.

57. JAM expendimus dubium, quod postremo loco proposuimus, de quo difficultas promovetur apud Doctores Catholicos nobiscum sentientes in iis, quæ in præcedentibus stabilita sunt. Non desunt vero in hac re plures Theologi sustinentes, necessariam esse gratiam specialem ad quodcumque opus morale bonum, vel supernaturalem saltem quo ad modum, vel naturalem. Ita Gregor. in 2. dis. 2. qu. unica sub initio; Capreol. in 2. dis. 28. art. 1. pluresque alii, quos sequitur & citat Vasq. 1. 2. disp. 190. cap. 2. quamvis postea dividantur, ita ut aliqui exigant auxilium specialis gratiæ afficientis intellectum, aliqui afficientis voluntatem. Communior tamen sententia tradita à S. Th. Scoto, cœterisque, asserit hominem posse aliquod opus morale bonum exercere, quin aliqua specialis gratia suum præstet influxum illum excitando, vel adjuvando, & nihil plus requiratur, quàm generalis providentia & concursus Dei, qui certè gratia est, non tamen specialis, quia non distincta à gratia creationis, & conservationis.

58. Hæc & nostra sententia est, & pro ipsa nihil loquar de gratia supernaturali, nam si probem, neque necessariam esse gratiam naturalis ordinis, potiori jure excludetur gratia supernaturalis etiam quo ad modum. Insinuatur autem hoc nostrum assertum in primis per doctrinam Conc. Trident. quod cum sess. 5. can. 1. definiat, hominem suis operibus, quæ per naturæ vires fiunt, justificari non posse, supponit, aliquas operationes bonas per naturam suam posse exercere; tum etiam per propositionem Baii 36. damnatam, quæ dicens: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducat, agnoscit* fundamentum validum inferendi præbet; ergo ex solis naturæ viribus potest boni aliquid naturalis agnosci.

59. Probatur attamen directè sic. Si ad quodlibet opus morale bonum requiritur specialis gratia, vel requiritur propter cognitionem progredientem ab intellectu, vel propter prosequutionem progredientem à voluntate, sed ex neutro capite, ergo. Prima pars min. quamvis probata sit art. 3. hujus quæstionis, adhuc sic magis probatur. Non requiritur gratia specialis propter cognitionem progredientem ab intellectu, si hujusmodi cognitio, licet non sit debita singulis determinatè individuis speciei humanæ, sit tamen debita aliquibus & pluribus indeterminatè, aliter deberemus etiam asserere, sanitatem, pulchritudinem, & divitias esse per gratiam Dei specialem, atqui hujusmodi cognitio est debita saltem alicui, & pluribus indeterminatè individuis speciei humanæ, ergo. Prob. mi. Quando sunt plura principia indifferentia ad hanc vel illam operationem, ad hanc, vel illam cognitionem, est debita ipsis indeterminatè diversitas in operando & cognoscendo sic vel aliter, bene vel male, sed individua naturæ humanæ sunt principia indifferentia ad hanc vel illam operationem, ad hanc vel illam cognitionem, ut compertum est, ergo. Hæc ratio tanti valet, ut si aliter diceremus, dicendum foret, hominem sine gratia vel semper cogitare malum, vel ad summum indifferenter, & contra utrumque jam dictum est. Prob. modo secunda pars primæ minoris primo positivè, per quod etiam magis declarabitur altera pars jam probata. Per Adæ peccatum non est amissum aut extinctum liberum hominis arbitrium ut dictum fuit art. 1. hujus quæst. ergo aliquid boni poterit ex viribus propriis; alioquin tantum valeret ad malum juxta aliam propositionem damnatam ibidem adductam.

60. Dixi

60. Dixi prob. primo positivè, nam aliter negativè eamdem partem demonstro. Si requiritur gratia specialis propter prosequutionem boni progredientem à voluntate, non alia ratione requiritur, nisi propter divisionem & pugnam inter rationem & sensum, ita ut propter peccatum sensus sit prædominans & ratio infirma, sed ex hoc nihil evincitur, ergo. Prob. mi. Sensus in omni actu non est contrarius rationi, quamvis actus sit secundum rationem proinde honestus, ut se habet parentibus obsequi, filiis providere, pauperi subvenire, ergo ex divisione inter sensum & rationem atque ex illius prædominio rectè non infertur necessitas gratiæ ad quodcumque &c. Adde, aliquando esse posse opus honestum consonum rationi & sensui, ut sunt actus eutropeliæ, amicum redamare, debitum reddere Marito, & hujusmodi. Præterea; non est tantum prædominium sensus, ut ratio vires suas prorsùs perdiderit, aliquid ergo secundum se poterit, at quid posset, si nullum opus honestum in linea naturali posset? Horum autem omnium ratio reducitur ad illam, quam affert S. Th. quæst. 24. de verit. art. 14. inquiens: *Bonum autem, quod est humanæ naturæ proportionatum potest homo per liberum arbitrium explere*. Et profert exemplum actus, quo quis eleemosynam pauperi elargitur.

61. Plures ad probandam illam minorem paritatem adstruunt, & existimant subtiliter. Quamvis in statu innocentiæ ratio esset prædominans, attamen sensus remansit superior, ergo quamvis in natura lapsa sensus sit prædominans, attamen ratio potest remanere superior; At profectò non advertunt, nequaquam sensum in illo statu hujusmodi futurum fuisse, nisi fuisset tentatio; ex quo sic argumentor. Quando ratio erat prædominans sensui, sensus non vicisset, nisi fuisset tentatio, ergo quando, ut modo est, sensus est prædominans rationi, ratio non vinceret, nisi esset gratia.

62. Pauca sunt, quæ opponi possunt, & sunt illis simillima, quæ jam rejecta fuerunt art. 2. & 3. hujus quæstionis. Hic tantum subjiciam Concilium Arausicanum cap. 22. ubi ait: *Nemo habet de suo nisi peccatum & mendacium*, & can. 2. ubi: *Nulla bona facit homo, quæ non præstet Deus ut faciat homo*. Denique Augustinum serm. 13. de verbis Apost. cap. 11. dicentem: *Agis quidem illo non adjuvante, sed male*. Quæ omnia vera non essent, si absque speciali gratia posset homo bene moraliter operari. Verum propositiones istæ dictæ sunt contra errorem Pelagii, proinde probant, hominem per ordinem ad salutem & actus supernaturales nihil habere boni, sed tantum peccare, nisi auxilio Dei roboretur; constat enim ex propositione damnata adducta ante probationem, assertum nostrum omnino alienum esse à Pelagio.

ARTICULUS V.

Utrum ad diligendum Deum super omnia necessaria sit gratia specialis.

63. SI sermo fieret de amore supernaturali, quo diligitur Deus, ut summum supernaturale bonum, à quo omnia supernaturalia dona proficiscuntur, nulla quæstio esse posset inter Doctores Catholicos, & tantum contra Pelagianos esset disceptatio. Certum enim est, hujusmodi amorem non nisi ex speciali gratia haberi posse, cum & ex Divinarum Scripturarum testimoniis, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, & Conciliorum definitionibus id colligamus. Plura fortasse expectatis? Mea non interest pluribus, quæ idem significant, volumen augere. Pro Scripturis sufficiat id, quod habetur 1. Joan. 4. *Charitas ex Deo est*. Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Pro Sanctis Patribus sufficiat S. Augustinus dicens lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum,*

non

non est nisi à Deo, & ep.107. habet evulgatam sententiam illam; *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Quod certè viribus naturalibus intelligendum est, aliter non esset sententia Catholica. Pro Conciliis afferam Arausic. can. 15. inquiens: *Prorsus donum Dei est diligere Deum*. Et præ cæteris sit Trident. sess.6. can.3. statuens, anathema esse qui dixerit, posse hominem sine prævenientis Spiritus Sancti inspiratione Deum diligere, sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, proinde ut authorem supernaturalem.

64. Difficultas est igitur de dilectione erga Deum ut authorem naturalem, quæ proinde dilectio naturalis nuncupatur, atque istam dari posse, evincitur ex propositione Baii damnata, art. 4. primæ quæstionis num. 24. neque vero sit quæstio de dilectione utcumque, idest, vel simplicis complacentiæ, vel conditionata, vel inefficaci, sed benevolentiæ, absoluta, & efficaci, cum si de prima sermo contingat, solius liberi arbitrii viribus haberi posse communis sit Theologorum doctrina, qua de re nullam pro hac parte censeo afferendam esse rationem.

65. Amorem benevolentiæ illum dico, quo diligitur Deus propter Deum, idest amore amicitiæ, de quo actum est in mea Morali Philosophia. Absolutum illum appello, quo non tantum quis vellet diligere, sed revere diligit. Efficacem tantum illum agnosco, quo voluntas prompta est ad quidquid agendum vel patiendum propter Deum, ità ut nihil Deo, Deus omnibus præferatur. Duplex porro efficacia esse potest, una, quæ affectiva dicitur, alia, quæ effectiva nuncupatur. Hæc secunda exigit actualem observantiam totius legis, exactamque omnium tentationum victoriam, & hanc, tanquam certum existimandum est, per solam specialem gratiam haberi posse, ut ex dicendis declarabitur. Prima verò consistit in actu voluntatis, quo hic & nunc rebus omnibus præhabeatur Deus, quamvis, dum vel gravis tentatio urget, vel aliquod præceptum obligat, nec vincatur tentatio, nec præceptum servetur. Non est autem necesse, quando hujusmodi actus exercetur, examinet diligens Deum impedimenta, incommoda, tentationes; & rursus fieri potest, nullam tentationem insurgere, aut motivum retrahens, dum quis in talem actum dilectionis prorumpit.

66. Communis Theologorum sententia, quam tradere dicitur S. Th. p. 2. qu. 109. art. 3. quem sequuntur Joan. à S. Th. Gonet. Suarez, Alvarez, Bellarmin. Esparz. Cacher. Puteobon. &c. docet, dilectionem erga Deum ut authorem naturalem solummodo per gratiæ specialis vires haberi posse. Pro opposita referuntur ex Thomist. Cajet. to.1. opusc. tract. 4. qu. 1. Sot. lib.2. de natura & gr. cap. 14. & Can. de pœnit. p. 5. §. *Tertio etiam*. Hanc docuerunt Durand. in 3. dist.29. qu.2. Hanc Molina & Ariaga, immo Scot. in 1. dist. 17. qu. 2. & 3. aliisque in locis, quamvis hanc non fuisse mentem expressam Subtilissimi, Vega contendat. Propter hoc primam sententiam amplecti cogitaveram, & libentissimè eam propugnassem, nisi Doctorum argumenta perpendens, ea magni ponderis non esse comperissem; nec ea displicerent, quæ ferme hæreditario jure evulgantur, auditoribusque traduntur. Quapropter.

67. Sentio, ad dilectionem Dei super omnia in sensu explicato non esse necessariam gratiam specialem.

Prob. Si impossibilitas diligendi Deum super omnia non oriatur ex defectu physico, vel morali impedimento, ex naturæ viribus possibilis est hujusmodi dilectio, atqui impossibilitas diligendi Deum super omnia neque oritur ex defectu physico, neque ex aliquo morali impedimento, ergo. Prob. mi. Actus iste dilectionis in se spectatus est actus naturalis, homo non semper tentatur ne in hunc actum prorumpat, immo conside-

ſiderans Divinam bonitatem etiam naturalem ad hujuſmodi amorem excitatur, ergo impoſſibilitas diligendi Deum ſuper omnia neque oritur ex defectu phyſico, neque &c. Quod ſi poſſumus naturaliter diligere hominem, ne quidquam contra ipſum faciamus, & pro ipſo omnia patiamur, cur ita non poſſumus diligere Deum, quem naturaliter cognoſcimus eſſe diligendum, & naturali præcepto ad ipſum diligendum tenemur? En profecto aliud argumentum. Quod Deus diligatur eſt naturale præceptum, ergo naturaliter poſſumus Deum diligere, alioquin præceptum eſſet ultra vires naturæ; & quemadmodum, quia tenemur ad diligendum Deum, ut authorem ſupernaturalem, Deus dat omnia auxilia ſufficientia gratiæ, ita quia tenemur ad diligendum Deum, ut authorem naturalem, dedit Deus omnibus vires ſufficientes naturæ.

68. Dices. Rationem hanc non probare, etenim tenemur etiam ad ſervandam totam legem naturalem, nec tamen hanc ſervare poſſumus niſi ex viribus gratiæ, ut infra oſtendetur, & omnes concedunt; Sed contra; ideo ad ſervandam totam legem naturalem, & quidem pro diuturno tempore, neceſſaria eſt gratia, quia moraliter fieri non poteſt, hominem aliquando graviter non tentari, & quia in humana voluntate eſt inconſtantia & vertibilitas, non vero quia ex ſe obſervantia totius legis naturalis naturæ vires excedat, & hoc fatentur ipſi Doctores adverſantes, præſertim Suarez, ut dicam in proprio loco. Ergo cum in noſtro caſu unius actus dilectionis nulla ſupponatur tentatio, nec locum habeat inconſtantia & vertibilitas voluntatis, inſtantia facta non urget.

69. Dices ſecundo; habito lumine fidei cognoſcimus Deum eſſe diligendum ut authorem ſupernaturalem, & tenemur ad ipſum ſic diligendum, ergo non requiretur ulterior gratia; ſed hoc eſt contra Patres & Concilia, ergo licet naturaliter cognoſcamus, Deum, ut authorem naturalem, eſſe diligendum ſuper omnia, & teneamur ad eum ſic diligendum, attamen requiretur gratia ſpecialis.

Sed contra. Conc. totum antec, & ne. conſ. argumentum ipſum ſibi reſpondet; nam ſicuti non poſſumus cognoſcere Deum ut authorem ſupernaturalem, niſi per gratiam, ita non poſſumus à fortiori amare Deum ut authorem ſupernaturalem: niſi per gratiam, magis enim, ut ſæpe docet Angelicus, corrupta eſt natura quantum ad appetitum boni, quam ad appetitum veri; ergo ſicuti poſſumus cognoſcere Deum ſine gratia ut authorem naturalem, ita & poſſumus ſine gratia eum diligere, niſi aliunde probatur oppoſitum, non poteſt autem probari niſi ex capitibus à nobis adductis in probatione, ergo. Hæc autem major corruptio naturæ ad appetitum boni ſatis ſervatur, quando adveniunt tentationes, & occurrunt præcepta hìc & nunc ſervanda, quæ omnia non eſt neceſſe perpendat, qui actum dilectionis habet etiam efficacem, immo aliquando prudenter conſulunt Confeſſarii, ne quis, vel in amando Deum, vel in peccatorum deteſtatione proponat ſibi difficultates & pericula, quæ occurrent. Neque obſtat, in illo actu dilectionis contineri virtute & implicitè propoſitum efficax vincendi omnes tentationes, totamque legem ſervandi; etenim hoc eſt verum ex parte actus, non tamen ex parte agentis reflexè, proinde ipſi nihil additur difficultatis. Non concludit hoc argumentum; propono vitare omnia peccata lethalia, ergo eadem gratia requiritur ad proponendum, quæ ad vitandum, experientia enim compertum eſt, plures proponere & quidem efficaciter, paucos tamen evitare; quare hoc? Quia plura ſe offerunt vincenda, dum vitari debent, quàm dum vitatio proponitur; ita non tenet hoc aliud, dum diligo Deum ſuper omnia, ſtatuo mihi ſervandam totam legem, ergo ſicut non

non possum servare totam legem sine gratia, ita non possum diligere Deum super omnia sine gratia; concludet quidem, si dum diligo Deum, aliqua tentatio objicitur, sed hoc non est ad rem, nec probat absolutè; præsertim cum propositum hoc non sit expressum, nec necessario in positiva intentione agentis. Minus vero contra nos probat, amorem hunc efficacem, quandiu perseverat, esse connexum cum totius legis observantia, omniumque tentationum victoria. Nam ad efficaciam alicujus actus non est necessaria actus continuatio, & hoc probaret ad perseverantiam amoris gratiam necessariam esse, non ad productionem, illud autem non nego; nam etiam ad perseverandum diu in gratia plus gratiæ requiritur, quam ad habendam gratiam; Tandem; posset etiam pro aliquo tempore amor hic perseverare sine gratia, quia posset pro aliquo tempore nullum peccatum vitandum occurrere, posset nulla tentatio ad peccandum impellere.

70. Rationi nostræ propositæ n. 67. accedit argumentum petitum ex doctrina S. Th. 1. p. qu. 60. art. 5. nimirum, ultra præceptum diligendi Deum, inveniri etiam inclinationem in humana voluntate, qua naturaliter trahatur ad amandum Deum super omnia; inquit enim S. Doctor quamlibet rem naturaliter inclinari ad amandum etiam super bonum proprium bonum commune, & capitis, atqui bonum, quod est Deus, est bonum commune, & capitis, ergo. Hinc Sancti Patres, & præsertim Bernardus, inexcusabilem dicunt etiam infidelem, si ex toto corde non diligat Deum, quare? An quia ipsi parata sit gratia ut diligat? Minimè; sed quia naturalis ratio hoc suadet. En illius verba in lib. de diligendo Deo. *Clamat innata, & nota rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debet, cui se totum debere non ignorat.* Tantum propterea abest, hominem natura sua Deum diligere non posse, quod potius, si non diligit, contra naturalem inclinationem & exigentiam agit.

71. Confir. conclusio. Potest quis solis naturæ viribus efficaciter velle servare hoc præceptum naturale; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Proinde diligere proximum sicut semetipsum, quando nullum motivum contrarium opponitur, nec ulla tentatio, ergo etiam potest quis solis naturæ viribus servare hoc aliud, *diliges Dominum Deum tuum.* Proinde etiam diligere Deum supra se ipsum, quando nullum motivum contrarium &c. ut fieri potest; Consequentia tenet, nam certè plus amabilitatis & honestatis reperitur in Deo, quàm in quocumque alio objecto. Rursus. Potest quis naturaliter solum detestari unum peccatum super omnia detestabilia, ergo etiam potest quis naturaliter solum amare Deum super omnia amabilia. Consequentia valet, nam plus est bonitatis in Deo, quàm malitiæ in peccato. Tandem. Reprehenduntur Philosophi, quia cum cognovissent naturaliter Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ergo quia potuerunt naturaliter glorificare, & per consequens naturaliter diligere.

72. Opp. primo ex Scripturis & Patribus, in quibus sæpissime legimus, dilectionem Dei esse donum Dei, per ipsam totam legem impleri, & ab omnibus damnantur dicentes, hanc esse posse ex nobis, & non à Deo, ergo. Antecedens ostenditur ex Sancto Augustino de grat. & lib. arbit. cap. 18. lib. 12. de Civit. cap. 9.

Resp. argumentum hoc satis infirmum esse. Scripturæ enim & Patres loquuti sunt in eo sensu, in quo definitum fuit à Conciliis Arausic. & Trident. nimirum, dilectionem Dei sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, esse donum Dei, per ipsam impleri totam legem, non solum prout se extendit ad præcepta naturalia, sed etiam supernaturalia, non solum quantum ad substantiam, sed etiam ad modum, atque ita non

non posse esse ex nobis, sed ex Deo; Dilectio autem Dei præcisè ut authoris naturalis, quamtumvis efficax, non est sicut oportet, neque sufficit ad justificationem vel inchoandam, vel conferendam, ergo de hac nihil stabiliunt; immo ex ipsis videtur esse oppositum inferendum; nam dicendo, impossibilem esse sine gratiæ adjutorio dilectionem, sicut oportet, innuunt, possibilem esse aliam dilectionem, quæ non est sicut oportet, sed hæc est dilectio naturalis etiam efficax, ergo hanc supponunt possibilem, aliter superflua esset illa particula. Hinc falsò nobis opponitur, sententiam nostram Pelagiano errori adhærere, etenim Pelagius quamcumque dilectionem, etiam sicut oportet ad salutem æternam, & diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum naturæ viribus haberi contendebat, & ideo damnatus fuit. Nos autem ab hoc prorsus alieni sumus.

73. Opp.2. Homo lapsus, ut Deum diligat super omnia, averti debet à bono commutabili, & ad Deum super omnia converti, sed non potest averti à bono commutabili sine gratia nec ad Deum sine gratia converti, ergo. Prob. mi. Si posset sine gratia averti à bono commutabili &c. jam sine gratia posset sanari, sed hoc non, ergo. Quamobrem vel maneret simul aversus & conversus, vel per illum actum auferretur aversio & culpa, utrumque autem falsum est. Præterea. Per hujusmodi dilectionem disponeret se ad gratiam vel proximè vel saltem remotè, immo aliquo modo, saltem ex titulo gratitudinis, obligaretur Deus ad illi gratiam conferendam, sed neutrum dicendum est, ergo.

74. Resp. rationem hanc esse nimium limitatam; etenim de homine lapso justificato nihil probat, & falsa est major, & ideo saltem iste posset naturæ viribus Deum super omnia diligere; deinde nimis probat, nam sequeretur, peccatorem etiam per auxilium gratiæ actualis non posse diligere Deum ut authorem naturalem propter rationem ibi adductam, quia, vel maneret simul aversus, quia peccator, & simul conversus, quia diligens Deum, vel per illum actum deberet statim remitti peccatum, quod affirmari non potest. Directè respondendo dis.maj. debet averti à bono commutabili &c. sistendo in linea naturali conc. per ordinem ad finem supernaturalem ne. & sic ad prob. quia sanaretur sanitate secundum quid, idest naturali, non vero simpliciter, idest supernaturali, & hac ratione remaneret aversus absolutè, nec auferretur culpa, quia hæc est contra Deum ut finem supernaturalem. Verùm, quomodo homo lapsus sit aversus à Deo, patet ex dictis art. 1. hujus quæstionis, ubi etiam dictum fuit, hujusmodi maculam & aversionem non minuere vires ad operandum nisi in linea supernaturali. Ad reliqua negatur major; non enim disponeret proximè ad gratiam habitualem, quia non convertit ad Deum, sicut oportet; non remotè, quia non disponit proximè ad aliquam gratiam actualem, cum sit semper ordinis inferioris, unde ad summum disponere posset remotè negativè, in quo sensu minor est falsa. Quod dicitur de titulo gratitudinis, nullam vim facit; hæc enim in Deo locum non habet; & ad summum Deus conferret huic actui aliquod naturale præmium, quod non negamus.

75. Dices contra primum. Fieri nequit, hominem lapsum esse conversum ad Deum ut finem naturalem, & esse aversum à Deo ut fine supernaturali, ergo si per dilectionem naturalem esset conversus primo modo, esset etiam secundo, vel si non isto, neque illo; & sicut aversus à fine naturali, est etiam aversus à fine supernaturali, ita è contrario conversus ad Deum ut finem naturalem, est etiam conversus ad Deum, ut finem supernaturalem.

Sed contra. Instantia ista valet, sive dicamus, requiri gratiam, sive negemus; etenim etiam admittentes, ne-

cessariam esse gratiam, per hujusmodi dilectionem converti hominem ad Deum ut finem supernaturalem, sustinere non possunt; idcirco est immediatè juxta doctrinam Baii excludentis duplicem amorem, de qua jam dictum est supra; remanet propterea dicendum ut supra, hujusmodi hominem absolutè esse aversum à Deo, & secundum quid conversum; in præsenti autem rerum ordine, in quo homo est elevatus ad finem supernaturalem, nisi detur supernaturalis conversio, naturalis nihil prodest; Vel dici posset, antecedens esse verum connexivè, non formaliter, per accidens titulo elevationis, non secundum se. Paritas postrema inanis est; nam qui se reddit indignum fine inferiori, magis se reddit indignum fine superiori, non è contra; ideo aversus à Deo ut fine naturali, est etiam aversus ab ipso ut fine supernaturali, non vero conversus ad Deum ut finem naturalem, est etiam conversus ad ipsum ut finem supernaturalem.

76. Opp.3. ex doctrina S. Th. loco citato. Si natura lapsa posset ex virtute sua diligere Deum super omnia, posset habere actum in naturali ordine perfectissimum, nam sicut charitas supernaturalis est inter supernaturales actus maximus actus, ita charitas naturalis est inter actus naturales actus excellentissimus, sed hoc non est dicendum, ergo. Prob. mi. natura lapsa, utpote natura infirma & corrupta, nequit tanto prædita esse vigore, ut possit quod est in natura maximum, aliter ubi esset hæc infirmitas, & corruptio? ergo. Potest quidem infirmus aliquem naturalem motum exercere, non tamen excellentiorem. Hinc debet prius sanari, aut saltem aliunde robur accipere, quod contingere non potest, nisi per auxilium gratiæ. Addidi ego illas particulas, *aut saltem aliunde robur accipere*. Alioquin si ad solam sanitatem, ut contendit S. Th., argumentum reducatur, nullum est, quia probaret, quod quemadmodum per solam gratiam habitualem sanatur, ita ad diligendum Deum necessaria sit gratia habitualis, quod nullus ex Doctoribus Catholicis asserit; Ratio autem Sancti Doctoris ad hoc punctum revocatur, quod natura corrupta tendit in bonum proprium, proinde non potest ex se ferri in Deum propter Deum.

77. Resp. conc.maj. ne.mi. ad prob. ne. ant. in sensu nostræ conclusionis, quando videlicet nulla urgeat tentatio, nec sit impedimentum morale. Ubi autem sit hæc infirmitas & corruptio, jam dictum fuit; debet ergo sanari, aut aliunde robur accipere in ea linea, in qua est infirma & corrupta, est autem in linea supernaturali, & per respectum ad naturam in origine sanctam, non tamen in linea naturali, & per respectum ad naturam ut naturam; in ea linea, in qua appetitus sensitivus in rationem exurgit, at hoc non semper contingit; & patet ex dictis. Per quod & solvitur summa rationis S. Thomæ. Et constat ulterius, quia quis potest sine speciali gratia restituere quod alienum est, quamvis sit contra proprium privatumque bonum, de quo nemo dubitat.

Opponerem ultimo argumentum validius, quo utuntur prorsus omnes adversantes cum Suarez, nimirum in actu dilectionis Dei super omnia includi observantiam omnium mandatorum &c. sed satis contra hoc jam à nobis dictum est. Hinc arbitror, sustinentes nobiscum hominem lapsum non esse debiliorem homine puro, & post peccatum omnia naturalia integra remansisse, nullo pacto defendere posse, necessariam esse specialem gratiam ad dilectionem Dei, ut authoris naturalis. Atque ex responsionibus nostris validissima possunt argumenta desumi.

ARTICULUS VI.

Utrum ad vincendas tentationes sit necessaria gratia specialis.

78. Quemadmodum tres anima patitur hostes, Dæmonem, Mundum, Carnem, ita in triplici genere tentatio potest contingere, scilicet à concupiscentia propria, ab hominibus, à Dæmonibus. Prima intra hominem est, aliæ extra hominem sunt. A' Deo autem vel ab Angelis Sanctis nulla tentatio ad malum inducens esse potest, ut dicit Jacob. cap. 1. sed dumtaxat est tentatio probationis, sive tribulationis, ut homines digniores efficiat, juxta illud, *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos se*. Porro quælibet ex hisce tentationibus esse potest vel levis, vel gravis, non quia versetur in levi vel gravi materia, quatenus inclinet ad peccandum leviter vel graviter, sed propter modum, quo quis tentatur. Levis igitur appellabitur illa, quæ ex parte intellectus modicam vim habet ad suadendum, ex parte voluntatis tenuem impulsum, aut quamvis admodum valeret ad suadendum & impellendum, attamen brevissimo tempore, & ut dicam momentaneo, sentitur; gravis autem dicetur illa, quæ & pertinaciter intellectum suadet, & vehementer voluntatem inclinat, & pro diuturno tempore suadere & inclinare persistit. In hac tamen re non adeo facilè statui potest, quænam sit levis vel gravis tentatio, cum inspicienda sint plura, vel ex complexione, vel ex ingenio, vel ex moribus subjecti, quod enim uni leve videbitur, erit alteri grave.

79. Triplici modo tentatio vinci potest, quia ex triplici motivo. Primo ex motivo supernaturali non solum resistendo, seù non peccando, sed etiam actum oppositum habendo, quo æternæ vitæ præmium comparetur, & hæc est perfecta victoria, de qua dicit Augustin. 21. de Civit. cap. 16. *Tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur* cui subscribunt S. Th. in 2. dis. 28. qu. 1. art. 2. Bonavent. & Richard. Secundo ex motivo turpi & peccaminoso; ita ut aliquis unum peccatum vitando in aliud incidat, quemadmodum se habet v. g. qui vel avaritia, vel inani gloria ducti luxuriæ non indulgent; & in hoc nulla est resistentia vel victoria, *cupiditas enim carnalis, qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur*, ait August. lib. 3. contra duas epis. Pelag. c. 4. & quamvis hoc Sanctus Doctor non dixisset, satis ex ipsis terminis compertum habetur. Tertio tandem ex motivo naturali honesto, ita ut aliquis vel suspendat actum, ad quem tentatio inducit, si tamen hoc fieri potest, vel ex naturali honestate opposito modo operetur. In primo sensu nulla est controversia, cum contra Pelagium cum Scripturis & Patribus oppositum sentiat Ecclesia; sed neque in secundo; quia gratia ad peccandum requiri non potest, neque Deus adjutorium præbere; Vitium autem autem propter vitium vitare peccatum est; Itaque ad tertium tota quæstio revocatur.

80. Fuerunt Doctores aliqui, quibus tribuitur sententia defendens etiam ad levium tentationum victoriam, seù saltem resistentiam (hoc nomine victoriam pro hac quæstione appellabimus) requiri gratiam specialem; citantur pro hac Gregorius, omnesque illi, qui negant sine speciali gratia haberi posse opus morale bonum, quibus adduntur Petrus Soto in instit. Sacerd. sect. 16. de pœnit. Abul. in cap. 19. Mat. immo & Bellarmin. lib. 5. de lib. arbitr. cap. 7. quamvis isti revera ita non senserint, nisi ex quadam incidentia, seù aliquo verbo, quod parvi faciendum est; Quod si alia fuisset eorum mens.

81. Conclusio prima. Ad vincendam tentationem levem non est necessaria specialis gratia. Hanc docent Sot. lib. 1. de nat. & gr. cap. 21. Henric. quodl. 5. qu. 20.

qu. 20. Vega opusc. de justific. qu. 12. præsertim vero S. Bonavent. in 2. dist. 28. art. 2. qu. 2. & communissimè Theologi cum Suarez, Cacher. Puteobon. Alvarez, Medina &c.

Prob. primo auctoritatibus 1. ad Corint. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, idest ubi natura deficiet, vires porriget gratia, ly autem *supra id quod potestis* supponit naturam aliquid posse, nihil autem posset, si nec leves tentationes vincere posset. Ibidem; *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* hoc est, ex Chrysost. *brevis, parva, moderata*, hanc ergo vinci posse naturæ viribus existimat Paulus; subdit autem laudatus Doctor hom. 24. quærens ad quas tentationes vincendas sit necessaria gratia, respondet; *ad omnes ut ita dicam*, ex qua limitatione satis colligi potest, aliquas esse tentationes, quæ per liberum arbitrium vinci possunt, & prosequitur loquens de levibus. *Neque humanas licet facile ferre absque Divino auxilio*, ergo Divinum auxilium datur ad facile hujusmodi tentationes, non vero ad absolutè vincendas. Agnovit hoc & Concilium Trident quod sess. 6. cap. 11. inquit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis*, quibus verbis fatetur, hominem aliquid posse, & aliquid non posse nisi per gratiam, nihil autem posset, nisi tentationem levem vincere posset. Sed quidquid sit de hisce testimoniis, quæ parum probantia affirmo, affero postremo loco propositionem trigesimam Baii damnatam à sępius memoratis Pontificibus, quæ est ista: *Fures sunt & latrones &c. qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, ut in eam non incidat, vel ab ea non superetur*. Ergo ab opposito dicendum est, alicui tentationi resistere posse, ergo saltem levi.

82. Prob. secundo ratione, non quidem desumpta ex quo sicut homo per liberum arbitrium sine speciali gratia potest aliquo modo bene moraliter operari, ita etiam possit aliquo modo tentationem vincere, quo fundamento omnes Doctores utuntur, sed inefficax existimo, quia respondere possent, posse hominem bene moraliter operari, si nulla tentatio sit, & sic semper probandum remaneret, posse vincere etiam tentationem levem. Minus etiam placet argumentatio Suarez lib. 1. de neces. gratiæ cap. 23. num. 22. qua contendit, hominem ex viribus naturæ habere sufficientem potestatem ad resistendum, alioquin non resistendo non peccaret, quia non tenetur ad impossibile, nam idem dici posset, quando urget tentatio gravis, cum etiam tunc habeat sufficientem potestatem ad resistendum, alioquin etiam tunc non resistendo non peccaret. Aliter igitur sic & brevissimè. Potest esse major honestas in objecto, quę ad operandum moveat, quàm vis in tentatione quæ deterreat, ergo potest plus voluntas naturaliter moveri ab honestate, quam deterreri à tentatione, cur ergo istam non vincet? Ex alia parte tentatio levis mentem non perturbat, ne objecti honestatem consideret, & ab ipsa non alliciatur, aliter non esset levis tentatio, ergo.

83. Dices ex Bellarmino. Hoc ipsum, quod levis tentatio sit, est gratia specialis Dei, per quam hostes nostri impediuntur, ne vehementius in nos pugnent, eo pacto quo si essent duo, qui mutuo decertarent, & aliquis impediret, ne unus ex illis aut armis aut omnibus viribus uteretur, si alius vinceret, tribuendum esset gratiæ impedientis.

Sed contra. Tentationem levem esse, gratiæ speciali tribui non potest, ergo nulla laudati authoris doctrina. Prob. ant. quod potissimum est de tentatione Dæmonis, ut fatentur adversantes Doctores; Si tentationem esse levem tribuendum esset gratiæ speciali, tentationem pro aliquo tempore esse nullam, esset gratia specialior, ut rationis paritas locum habeat, sed tentationem pro ali-

quo

quo tempore eſſe nullam eſſet gratia ſpecialior, ut rationis paritas locum habeat, ſed tentationem pro aliquo tempore eſſe nullam non eſt ex gratia ſpecialiori, immo neque ſpeciali, ergo. Prob. mi. primo quia nullum opus morale bonum ſine viribus gratiæ exerceri poſſet; quod eſt contra Bellarm. Secundo quia nullam eſſe tentationem ex naturalium cauſarum concurſu contingere poteſt, & ex quo reprehesentetur objectum tantùm honeſtum, quod ſenſui repugnans non ſit. Tertio quia ſpectat ad generalem Dei providentiam impedire, ne Dæmon tentet, quantum poteſt, aliter totum ordinem univerſi perverteret, aliquando vero provenire poteſt ex Dæmonis malitia & aſtutia, ut vel homo aliquando vincens de ſui victoria glorietur, vel ut ipſum ſecuriorem reddat, & ita facilius in gravioribus rebus illum decipiat; ergo. Non inficiamur tamen, hominem leviter tentari eſſe aliquando, & ſemper eſſe gratiam ſingularem Dei, & ideo à Deo petendum eſſe, negamus tantum tentationem eſſe levem ſemper ex Dei ſingulari gratia derivare, quod ad noſtram rem ſatis eſt.

84. Contra hoc tamen videtur opponi poſſe directè, quod ait S. Auguſt. contra Quin. hom. 23. citatus à nobis art. 1. quæſtionis primæ, in qua deeſſe ſuaſorem, tempus, & locum ad committendum adulterium gratiæ Divinæ tribuitur, proinde deeſſe tentationem ejuſdem gratiæ beneficium eſt. Rurſus lib. 10. confeſs. cap. 31. inquit: *Ebrioſus nunquam fui, ſed ebrioſos à te ſobrios factos ego novi, ergo à te hoc factum eſt, ut hoc non eſſent, qui nunquam fuerunt, à quo factum eſt, ut hoc non ſemper eſſent, qui fuerunt.* Atque in hanc rem facit illud loco ſupracit. *Nullum eſt peccatum, quod facit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo.* Ex quibus concluditur, & eſſe gratiam vitio non aſſentiri, & eſſe gratiam ad vitium non tentari, ergo pari ratione erit gratia leviter tantum tentari. Hiſce ſimilia habent S. Ambroſius, Proſper, Gregor. Magnus, aliique Patres.

85. Verum advertendum eſt, Auguſtinum Sanctoſque Patres ad hoc præcipue operam ſuam impendiſſe ut error Pelagii confunderetur, & cum iſte tam gratiam, quàm etiam generalem concurſum negaret, ut dictum fuit art. 2. hujus quæſt. illi etiam generalem concurſum gratiam appellarunt; vel ſe ex diametro opponentes, ſicut ille nihil gratiæ tribuebat, ita iſti nihil ſine gratia fieri poſſe affirmabant, quamvis ita revera in omnibus non ſentirent; vel loquutos eſſe de tentationum victoria ſalutari & per ordinem ad finem ſupernaturalem, in quo ſenſu certum eſt, neque levem tentationem ſine gratia vinci poſſe, nec aliquod opus haberi; vel de tentationibus gravibus, ut in ſequenti concluſione ſtabiliemus; Vel tandem, etiam non tentationem, vel tentationem levem tribui poſſe gratiæ Dei, non tamen ſemper & neceſſario. Ex ſecunda explicatione habetur, quomodo intelligenda ſint Concilia, ſi quæ afferantur, ut eſt Arauſic. can. 14. dicens: *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur.*

Prætereo alia argumenta, cum ferme ſint eadem quæ producta ſunt contra punctum ſtatutum art. 2. & 3. hujus quæſtion. Nunc devenio ad tentationes graves, de quibus.

86. Concluſio ſecunda. Sine ſpeciali Dei gratia nullam tentationem gravem vinci poſſe laudabiliter. Aſſertum hoc facilius tenent Doctores adducti contra aſſertum primum, ſed eſt adeo receptum apud Theologos, quamvis ex antiquis non fuerit, qui illud accuratè examinaverit, ut communis ſententia exiſtimetur. Traditur à Soto, Gabriele à S. Vincent. Bellarm. Vega, Suarez, Cacher. Puteob. Alvarez. Non defuerunt tamen plures contrarium arbitrantes præſertim Duran. in 2. diſ. 19. qu. 2. Molina in concord. qu. 14. art. 13. Egid. in 2. diſ. 28. qu. 1. art. 4. Sed quod mirum

rum est, pro hac parte afferuntur S. Th. p. 2. qu. 109. art. 4. & 8. qu. 77. art. 7. & Scot. in 2. dis. 28. q. unica, sed ineptè bona venia Patris Suarez uterque citatur, ut in illis locis videre licet. Sententiam hanc totis viribus Pelagiani defendebant, sed diversis omnino principiis; Siquidem isti victoriam etiam perfectam & salutarem viribus naturæ concedebant, è contra Doctores Catholici solum negativam asserunt, quatenus liberum arbitrium possit ita tentationi resistere, ut non peccet, non tamen ut mereatur sine gratia, proinde errorem omnem evitant.

87. Prob. primo ex Scripturis, in quibus tentationum victoria Deo protegenti tribuitur; juxta illud psal. 27. *In te eripiar à tentatione*, psal. 127. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Mat. 26. *Orate, ne intretis in tentationem*. 1. ad Corint. 10. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Ex quibus evincitur dari aliquam tentationem non humanam vires naturales excedentem. Ista sane fuit omnium Sanctorum Patrum sententia, diuturna series contexi posset, sed, ut frequenter soleo, sufficiat mihi Augustinus. Ecce illius verba ser. 13. de verbis Apost. cap. 9. *Hæc est militia nostra, in hoc agone cum confligimus, Deus habemus spectatorem, in hoc agone dum laboramus, Deum poscimus adjutorem, si enim non ipse nos adjuvet, non dico vincere, sed neque pugnare poterimus*. Et epist. 93. nunc Innoc. I. 26. ad Concil. Milevit. *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium*.

88. Respondent, istas, aliasque innumeras auctoritates intelligendas esse contra Pelagium, ita ut necessaria sit gratia ad vincendas tentationes modo salutari, & opere digno æterna remuneratione. Fateor, explicationem omnino improbari non posse, & satis servare, ne sententia nobis opposita sit error in fide, sicut fuit sententia Pelagii. Attamen si attendamus, Patres omnes in hac re adeo strictè loqui, ut asserant, liberum hominis arbitrium in tentationibus vincendis aut nihil, aut parum posse, ita ut in ipsis non peccet, profecto fatebimur, eos ad hoc scopum habere, ut in ipsis vincendis etiam negativè; idest, ut non peccemus, Dei gratia necessario requiratur. Plura non dicam, sed plura dixerunt S. Th. in 2. dis. 28. qu. 1. art. 2. ad 6. Bonavent. in 2. dis. 28. qu. 2. satis mihi est perpendere verba laudata S. August. *Non dico vincere, sed neque pugnare*. Aliud, *ad resistendum*. Et quantum explicatio allata deficiat, ipse cogita.

89. Propter hoc dixerunt alii, præsertim Guliel. de Rubion. in 2. dis. 28. §. *Quantum ad tertium* posse hominem tentationi resistere, ut non peccet, per hoc præcisè quod non agat, idest per omissionem liberam, singillatim, quando agitur de præceptis negativis; atqui ad non agendum & liberum omittendum actum, non est necessaria gratia specialis, ergo.

Sed neque effugium hoc admitti posse contendo; nam in primis, utrum non repugnet pura omissio libera, penes Theologos est disputatio, & licet absolutè dari posset, non tamen in omni casu, & præcipue dum gravis urgeret tentatio, quia, si voluntas tunc vinci nolit, tenetur ad aliquid faciendum, vel se opponendo tentationi per affectum oppositum, vel petendo à Deo auxilium, vel applicando intellectum sanctis piisque cogitationibus, aliter, nihil agendo, ac ferme dormitando, peccaret, quia morali peccandi periculo sponte se exponeret. Verum transmittam, etiam in hoc casu dari posse hujusmodi omissionem, argumento respondeo distinguendo minorem; atqui ad non agendum &c.

non

non est necessaria gratia specialis ex parte ipsius non actionis conc. antecedenter ad non actionem ne. mi. & conf. debet enim dari aliquid, per quod voluntas consensum cohibeat, & positivè velit non operari, & hoc erit auxilium Dei speciale, vel afficiens intellectum per aliquam immissam considerationem; vel voluntatem per aliquem immissum timorem, aut alio modo.

90. Si rationem pro sententia nostra quis exposceret, multiplicem authores afferre contendunt, ut statim expono.

Probant aliqui, quia si homo per solam arbitrii libertatem aliquam tentationem gravem vincere posset, posset successivè prout occurrunt, vincere quamcumque tentationem, nam post victam primam non est ablata libertas ad vincendam secundam, & tertiam &c. immo est acquisita major virtus, cum per primum actum bonum comparetur inclinatio ad alios actus, sed hoc non est dicendum, alioquin sine gratia posset servare totam legem etiam pro toto tempore vitæ, quod juxta sanam doctrinam concedi non potest, ergo.

Videtur hæc argumentatio vim aliquam præseferre, sed si rectè perpendatur, omnino corruit; idem enim dici posset de tentationibus levibus, & de peccatis venialibus, quæ quidem, si seorsim accipiantur vitari possunt & vinci, non tamen si collectivè, ut suo loco ostendetur. Datur itaque in ipsa tentationum collectione aliqua difficultas, & moralis impossibilitas, quæ non reperitur in una, vel altera.

91. Probant alii, quia cum una tentatio gravis æquivaleat pluribus tentationibus levibus simul, & collective acceptis; sicut ad vincendas plures tentationes leves simul & collective acceptas requiritur gratia specialis, ita ad vincendam unam tentationem gravem; assumptum autem ostendunt, quia tentatio gravis vel talis dicitur, quia diu durat, vel quia vehemens est; si primum, æquivalet tot tentationibus levibus, quot sunt instantia, quibus durat; si secundum, æquivalet pluribus tentationibus levibus, etiamsi omnes simul unirentur. Ergo.

Verum neque ex hoc quidpiam probatur, & est argumentum, ut aranearum tela, subtile forsitan sed inane; nam si velint ita simul accipere tentationes leves, ut efficiant tentationem gravem, remanet adhuc irresoluta quæstio, & revera si tentatio levis diu duret, jam amplius levis non est, ideo semper petitur principium; Quod si tentationes leves sumuntur pro temporis diversitate, omnes vinci poterunt secundum se, si vero omnes simul velis conjungere, ad tentationem levem non spectabunt.

92. Probant alii, necessariam esse gratiam, quia homo per peccatum est aversus à fine honesto, & voluntarie conversus ad bonum delectabile, propter quod est etiam debilior homine puro, ut igitur in bonum honestum feratur per victoriam tentationum, seu per resistentiam, requiritur auxilium, per quod hujusmodi deordinatio & infirmitas auferatur, quod plane erit distinctum à generali concursu, qui naturali cujuscumque rei exigentiæ se accommodat.

Sed neque ex hac ratione aliquid concludi posse videtur; nam in primis valeret tantum in eorum sententia, qui asserunt, hominem lapsum debiliorem esse homine puro, magis autem apud Theologos certum est, requiri gratiam specialem ad gravem tentationem vincendam, quam certum sit, lapsum esse puro debiliorem, proinde certius probatur per incertius. Secundo ex ipsa non potest generatim concludi; nam supponamus, hominem esse tantummodo lapsum per peccatum originale sine aliquo peccato actuali, certe tunc esset quidem negativè aversus à fine honesto, non tamen conversus ad bonum proprium & privatum, ergo in prima gravi tentatione non esset juxta adductum fundamentum ipsi gratia necessaria.

93. Aliter igitur sic probatur conclusio nostra. Urgente tentatione gravi impossibile moraliter est, voluntatem ipsi non assentiri, dico moraliter, quia libertas & potestas physica adhuc perseverat, ergo ne assentiatur, necessaria est gratia specialis. Prob. ant. Licet arbitrium voluntatis per peccatum non sit extinctum, attamen proposito objecto delectabili & honesto inclinatur ad delectabile, non ad honestum ex natura sua, & delectabile, utpote sensibile, præsens, immediatè propositum majorem vim habet ad movendum, quàm habeat honestum mediatè tantùm perceptum, & fere semper futurum; addatur ergo huic naturali inclinationi tentatio, per quam intensè ac vividè reprehesentetur delectabile, remissè verò & vix reprehesentetur honestum, quo pacto voluntas tentationi non assentietur? Si connaturale est operari juxta prævalentem inclinationem, præternaturale erit operari contra, ergo hominem determinari ad operandum oppositum progredietur ab aliquo, quod naturale non sit, ergo ex gratia speciali. Neque valet, voluntatem ex vi suæ libertatis posse prosequi bonum minus relicto majori bono proposito; nam hoc est verum loquendo absolutè, non autem urgente tentatione ad unum, ab alio verò summopere retrahente; verum est relicta facultate tam physica quàm morali, non sic morali sublata; verum est de honesto & honesto, de delectabili & delectabili, non vero de honesto ex una parte, delectabili ex alia.

94. Oppones primo. Per nullam tentationem, vel ut loquitur S.Th. 1. 2. qu. 10. art. 3. per nullam passionem adimi potest arbitrii libertas, quod clarissimè innuit S. Hieronym. lib. 2. in Jovinian. dicens: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, neque damnatio, neque corona est.* Ergo homo per vires suas potest quamcumque vincere tentationem; & ratio est, quia si non posset, non resistendo non peccaret, & deberemus dicere, Deum jubere impossibilia.

95. Respondent aliqui huic argumento, in hypothesi gravis tentationis remanere tum libertatem physicam, tum moralem, & necessariam esse gratiam non titulo libertatis, sed propter inconstantiam & infirmitatem operantis. Mihi tamen magis arridet doctrina S. Th. per quam magis infirmatur hoc, quod Pelagianorum erat. Perpendendum est, quod ut homo dicatur absolutè liber ad vincendas tentationes, non est necesse, eas per vires proprias vincere possit, sed sufficit, si possit ex viribus gratiæ, quam Deus ipsi affert, aut saltem afferret, si ab ipso peteret; quod enim cum Divino auxilio possumus, absolutè possumus juxta illud Aristot. 3. Ethic. *Quæ per amicos possumus, simpliciter possumus*. Qui Catholicus est hoc negare non potest; aut dicet, hominem non esse liberum ad observanda præcepta supernaturalia, & resistendum tentationibus contra ipsa, cum nec illa observare possit; nec istis resistere sine speciali Dei gratia, quod ab Ecclesiæ veritate omnino est alienum. Adde, impossibilitatem moralem esse consequentem, non antecedentem, libertas autem per istam tollitur, non per illam. Juxta hanc doctrinam tradit Trident. quo pacto Deus impossibilia non jubeat, dicens sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*, quam auctoritatem etsi alibi retulerimus, attamen hic referri non dedigneris.

96. Aliter respondet Suarez lib. 1. de neces. gr. cap. 24. docens, etiam sine gratia habere hominem impossibilitatem moralem ad vincendas graves tentationes, & adhuc libertatem servari, supponendo tamen tentationem durare per plura instantia, dicit enim pro omnibus indeterminatè instantibus posse per vires proprias resistere, determina-

tè

tè autem pro nullo. Remaneat responsio tanti Doctoris in suo robore; attamen quid responderet, si tantum pro unico vel duplici instanti duraret, & vehementissima esset? An non pro unico instanti esse potest consensus? Videtur responsio nequaquam universalis, sed solùm ex illa suppositione. Hac utitur Cacheran. qui tamen concedit, non omnes tentationes graves per plura instantia durare.

97. Opp. 2. Quæcumque tentatio sit, oritur ex concupiscentia carnis, dicit enim Jacob. in epis. sua cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Atqui naturaliter ratio potest vincere quod est ex concupiscentia, aliter falsum esset illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ergo.

Resp. jam data est art. 4. q. 1. sistendo tamen in superiori doctrina ne. min. & textus adductus intelligi debet de dominio, quod homini per gratiam conceditur, quia Deus per gratiam suam non patietur ipsum tentari supra id, quod potest, & hoc magis declarabitur, ubi de auxiliis sufficientibus habebitur sermo.

98. Opp. 3. Per tentationem gravem non potest plus homo ad malum induci, quàm sit hominis inclinatio ad conservandam vitam, sed potest quis ex motivo honesto vincere inclinationem ad conservandam vitam, ergo etiam poterit ex eodem motivo vincere tentationem gravem. Prob. mi. exemplo tot hominum, quos referunt & laudant historiæ, qui tormenta & mortem pro Civibus ac pro Republica pertulerunt, immo etiam se ipsos necarunt. Magis roboratur argumentum in Hæretico, qui pro defendendo suo errore, vel aliqua veritate Catholica, quam retinet, mortem non timet; certe ad hoc gratia non conceditur, cur igitur idem non poterit evenire in Catholico pro eadem veritate Catholica sustinenda?

99. Resp. melius diceretur in minore ex motivo humano, quàm ex motivo honesto, ideo negatur illa propositio, & omnes in historiis relati, qui sine gratia vitam dederunt, non laudabiliter sed insane id fecere, politicè forsitan laudabiles, minimè moraliter, ut de Eleazaro dicit Augustinus. Si autem petis, quare possit quis ita mortem eligere ex motivo humano, non honesto, jam tibi satisfacio. Primo dicendo, tentationem vinci ex motivo humano non esse vinci ut prænotavi. Secundo. Motivum humanum, quia pertinens ad delectabile, est magis sensui accommodatum, quam sit motivum honestum rationi, quando præsertim tentatio impedit, ne tota honestas objecti percipiatur; ideo &c. Neque dicas, fieri posse, objectum esse simul delectabile & honestum, proinde simul ex utroque vinci posse; nam si fieri potest hæc conjunctio, dico, quod movet esse delectabilitatem, quæ in objecto tentationis minorem oppositionem adinvenit, honestatem vero de materiali, ut inquiunt, se habere. Brevius tamen & facilius respondeo, in casibus adductis esse tentationem inter duo delectabilia, nimirum inter servandam vitam, & v.g. magnam sui nominis famam posteris relinquendam per mortem; potest autem unum delectabile vincere aliud, non potest vinci ab honesto, si pro delectabili pugnet tentatio. His autem addendum censeo, aliud esse tentationi resistere propter non peccandum, & aliud propter aliquod bonum temporale, & evitandum grave malum, ut contingit in puella, quæ tentata resistit, ut virginale Claustrum servet pro sponso, & ne dedecori sit obnoxia.

100. Ad secundum, quo argumentum instauratur; dico nimis probari, quia sequeretur, quod sicut in Hæretico non daretur gratia supernaturalis pro hujusmodi morte sustinenda, ita neque in Catholico, & sic frustra Martyres coleremus. Illud igitur in Hæretico contingit, quia vel moritur ex humano motivo, vel ex propria pertinacia, quam præfert mortis incommodo; quod si mo-

riatur pro aliqua veritate Catholica, puta ne Christum neget; confessio ista nulla est, bona quidem ex parte materiæ, mala ex parte modi quo creditur Christus, ideo nunquam morietur ex motivo honesto. Mitius tamen me gerere possem, & dicere cum S. August. lib. de pat. cap. 27. id ab ipso non fieri sine speciali gratia, quæ & Hæretico concedi potest. Doctoris sensus est iste. Si Hæreticus credat, negantem Christum esse æternis suppliciis puniendum, & pro ista fide moriatur, bene agit, ac proinde negandum non est, esse donum Dei; intellige ordinis naturalis, quamvis ex peculiari providentia.

ARTICULUS VII.

Utrum sine gratia vitari possint omnia peccata collectivè.

101. SIcuti peccata alia sunt lethalia, & alia venialia dicta, ita de utrisque resolvendum est; & idem quæritur ab aliis sub hisce terminis; an sine gratia possit homo diuturno tempore servare omnia mandata Dei naturalia, ad quæ in substantia reducuntur supernaturalia, & differunt tantum ratione finis.

Suppono primo tanquam certum, posse hominem servare per vires naturales quodcumque præceptum, si divisim sumatur secundum se, nam si per nos potest per ipsas Deum diligere super omnia, poterit etiam quodcumque aliud mandatum adimplere; & ratio clara est, quia jam habet facultatem physicam ad observandum, alioquin non teneretur, & fieri potest nullam esse tentationem per quam auferatur facultas moralis, proinde nihil est, quo specialis gratia necessaria sit.

102. Suppono secundo, hanc non facultatem moralem non explicari per ordinem ad aliquid, quod solummodo difficulter contingat, sed per hoc quod nunquam evenerit, neque eventurum sit. Aptissimum hujusce rei affert exemplum Arist. 2. de Cœlo cap. 11. ubi ait. Talos mille coenses projicere, ita ut omnes reddant vel venerem, vel canem, aut unum talum millies projici, ut semper eumdem numerum reddat, impossibile est. Oritur autem hæc impossibilitas ex collectione, in qua impeditur operandi uniformitas ab aliqua re, quæ ipsam collectionem constituit, & quanto magis crescit collectio, tanto magis crescunt causæ impeditivæ uniformitatis. Quare fit, dari facultatem ad aliquid seorsim acceptum, adimi vero ad idem simul sumptum, non ex quo in se ipso diversum sit, seù ex intrinseca rei natura, sed ex titulo diversæ combinationis, & ejusdem collectionis.

103. Inter eos, qui gratiæ necessitatem ad vitanda omnia lethalia collectivè rejiciunt, citantur Scot. in 2. dis. 26. qu. unica, & Durandus in 2. dis. eadem qu. 3. & 4., sed miror, cum in dictis locis inquirant tantum Doctores isti de gratia operante & cooperante ejusdemque subjecto, immo Durandus nec habeat qu. 4. Quod si alibi gratiam excluderet Doctor Subtilis, ibi sermo esset de gratia habituali, non actuali; atque hoc fit etiam à S. Th. in 2. dis. 28. qu. 1. art. 3. E' contra Alvarez lib. 6. de auxiliis disp. 54. concl. 4. nullum esse inter Catholicos, qui gratiam necessariam esse neget, affirmat; sed quidquid de aliis sit.

Conclusio prima. Ad vitanda omnia peccata lethalia collectivè, per consequens ad servanda omnia præcepta naturalia, necessaria est gratia specialis.

104. Prob. iisdem auctoritatibus & rationibus, quibus in antecedenti demonstratum est, non posse hominem per proprias naturæ vires vincere tentationem gravem, etenim fieri non potest, diuturnum tempus pertransire quin aliquod præceptum observandum sit, sive affirmativum, quod non semper, sive negativum, quod semper obligat, & hominem, qui tot hostes patitur, non

non tentari vel in una, vel in alia materia, quod si non tentari contingeret, hoc speciali Dei gratiæ tribuendum esset, in quo sensu procedit auctoritas Sancti Augustini in antec. producta num.84. Verùm etiam admisso, nullam unquam gravem tentationem contingere, adhuc ex omnium actuum collectione foret moralis impossibilitas aliquando non peccandi, orta ex ipsa conditione naturæ, quæ utpote vertibilis & inconstans vindicat sibi non semper uniformiter agere, sed ex quo naturaliter uniformiter non agat, infertur debere ex se aliquando peccare, ergo, quod vitet omnia peccata lethalia collectivè, non à natura, sed à sola gratia speciali progreditur; Quod & magis confirmatur, si recolantur quæ dicta sunt de cognitione omnium veritatum collectivè art. 2. hujus quæst. num.23.

105. Propter primam rationem, juxta quam impossibilitas vitandi omnia peccata dicitur provenire à tentationibus, quæ semper pro diuturno tempore contingunt, concedit Suarez lib. 1. de necessitate gratiæ cap.27.num.11. quod, si fieri posset, hominem non tentari, fieri etiam posset, totam legem posse servare, ex cujus doctrina colligo, quomodo magis stabiliatur sententia nostra, in qua art. 5. hujus quæst. dictum fuit, haberi posse sine gratiæ specialis auxilio actum dilectionis Dei super omnia, dummodo nulla intersit tentatio, ut potest naturaliter contingere; quamvis enim homo tentationibus subjectus sit, non tamen omni tempore, ut patet experientia.

106. Quid vero dicendum erit de vitatione omnium peccatorum etiam venialium? Jam pro hac necessario requiri gratiam specialem ex dictis colligitur, sed hæc erit ne sufficiens?

Conclusio secunda. Ad vitanda collectivè omnia venialia necessaria est gratia specialior.

Prob. Ubi facilior est lapsus, requiritur specialior virtus ad sustinendum, ne quis labatur, sed loquendo de peccatis venialibus facilior est lapsus, quam in lethalibus, ergo ne quis in ea labatur requiritur &c. Prob. mi. Plures fuerunt, & sunt viri justi, qui Dei auxilio suffulti omnia lethalia evitarunt, quin tamen evitaverint omnia venialia, ut experientia notum est, & ex sacris paginis comprobatur, *septies enim in die cadit justus*. Proverb. 24. *Nec enim est homo, qui non peccet*. Paralyp.6. *In multis offendimus omnes*. Jacobi 3. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* 1. Joan. 1. qui certe Textus non possunt intelligi de peccatis lethalibus, alioquin sibi contradicerent, ergo de venialibus, ideo &c.

Neque tenet Pelagianorum responsio ita dictum esse, quia justi tanta pollent humilitate, ut licet nullius peccati sibi conscii sint, tamen debent se peccatores fateri, & judicare; nam hoc satis rejectum fuit à Concil. Milevit. can.6. ubi habentur hæc verba: *Quod ait S. Joannes Apostolus, si dixerimus &c. quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem debere nos dicere habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit*.

107. Confir. conclusio. Quando aliquod opus infert majorem charitatis excessum, major gratia est ad illud requisita, nam si ad charitatem simpliciter necessaria est gratia simpliciter, pari ratione ad charitatem majorem necessaria est gratia major; atqui per vitationem omnium venialium infertur major charitatis excessus; quam per vitationem omnium lethalium, ergo. Mi. declaratur, quia si quis lethaliter non peccat, fervorem tamen charitatis non habet, si venialiter peccat, licet retineat charitatem, & si quis nec venialiter peccaret, non solum charitatem, sed etiam charitatis fervorem assequeretur. Hinc ex utraque ratione fit, gratiam ad vitanda lethalia non includere gratiam ad vitanda venialia, è contra in gratia ad vitanda venialia includi etiam gratiam

ad

ad vitanda lethalia, sed gratia includens major est inclusa, ergo. Posset tamen major & specialior dici etiam ex alio capite, nimirum, quod cum frequentiores sint occasiones peccandi venialiter, cum dentur minora motiva ad retrahendum &c. necesse est, gratiam nobis frequentius assistere, & id supplere, quod ex objecto, vel ex pœna peccato infligenda haberi non potest.

108. Veritas hæc à nobis probata non potest in dubium revocari, si perpendatur, quod Trident. sess.6. can.23. definivit. En illius verba: *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatissima Virgine tenet Ecclesia, anathema sit* nota particulas illas, *ex speciali Dei privilegio*, quæ ex terminis indicant quid amplius, quam auxilia ad vitanda lethalia, nota limitationem factam ad Beatissimam Virginem, quod innuit quid amplius, quam concessum aliis viris sanctis, qui tamen lethaliter nunquam peccarunt, & nega, si potes, quod à nobis asseritur. Hac de re conclusio statuta circa gratiam necessariam ad vitanda omnia peccata lethalia, quidquid dicant plures Moderni cum Medina, non est de fide, quia Scripturæ & Concilia quæ afferuntur, habent aliquam non improbabilem explicationem quam indicavi art. præced. num. 88. nec pro hac parte habetur aliqua expressa Ecclesiæ definitio, sed solum est conclusio Theologica, ut contraria sit temeraria & errori proxima, alia tamen stabilita de necessitate gratiæ ad vitanda omnia venialia, de fide censenda est. Quia tamen sunt aliqua argumenta, quæ opponi possunt, ideo propono & refello, præsertim cum etiam ad antecedentem difficultatem revocari possint.

109. Ob. 1. Datur præceptum vitandi omnia peccata collectivè; ita ut nullum committatur, ergo debet esse in homine non solum facultas physica sed etiam moralis ad ipsa vitanda. Prob. cons. Præcepta à Deo imposita dicuntur levia, sicut onus ab ipso impositum appellatur suave, jugumque leve, sed si esset in homine tantum facultas physica non moralis, præcepta non essent hujusmodi, ergo si &c. Min. patet, nam si quis mihi præciperet, ut allato exemplo utamur, talos mille projicere, qui essent coenses, rigidè præciperet, ne dicam stultissime.

110. Resp. ut in præced. dictum fuit num. 95. Ut enim Deus justissimè præcipiat, satis est dari facultatem physicam, & haberi moralem ex viribus gratiæ, quæ omnibus datur; & juxta hoc solvitur exemplum adductum, Divinaque præcepta dicuntur onus leve & jugum suave, quam suavitatem nobis dedit Christus dum dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*. Huc tamen referri potest responsio illa Suarez & Cacherani num.96. nimirum, servari plenissimam libertatem creaturæ, perfectamque facultatem etiam moralem, si homo ad præcepta divisive servanda illam habeat; etenim hoc pacto illi non deest potestas moralis ad peccata vitanda prout occurrunt, & ad nullum determinatè impotens est, sed solum ad aliquod in vago, & indeterminatè, quod non sufficit ad auferendam libertatem. Non deest inquam potestas moralis ad illa vitanda, prout occurrunt, nam constat non nisi divisim occurrere; si ad nullum determinatè impotens est, sed solum indeterminatè, servatur inquam libertas; & ostendo. Dixit Christus Mat. 18. *Necesse est ut veniant scandala*. Et Luc.17. *Impossibile est, ut non veniant scandala*. Et tamen certum est, illum, à quo scandalum venit, peccare, & ideo liberum esse, præceptumque non dandi scandala Divinum esse, proinde leve. Quare hoc? quia necessitas scandali, & impossibilitas illud evitandi non est determinatè in aliquo homine, sed indeterminatè in aliquo intra hominum collectionem; ergo à pari ex quo serve-

tur facultas physica & moralis ad vitanda omnia divisivè, & non detur moralis impossibilitas nisi ad omnia collective, hoc est ad aliquod indeterminatum in omnium collectione, adhuc servatur libertas in homine, & adhuc præceptum Dei suave est ac leve. Merito propterea dixit Hieronym. super illum Textum: *Cum necesse sit, in isto mundo fieri scandala, unusquisque vitiis suis scandalis patet*.

111. Dices primo. Valet argumentum à divisivo ad collectivum, ergo si datur moralis facultas ad omnia peccata divisive, datur etiam ad omnia collective. Contra. Pudet huic argumento respondere, si adversarios non pudet proponere. Qui ergo divisivè potest abstinere ab omni cibo, abstineat omni. Jam notum est, hoc esse verum in prædicatis essentialibus, non ubi fit ex quantitate collectio.

112. Dices secundo. Supponamus totam collectionem peccatorum esse decem, vel omnia peccata vitanda esse per decem dies; tunc sic. Potest homo ex data doctrina vitare novem peccata, vel per novem dies à peccatis abstinere, ergo etiam poterit vitare decimum, & per diem decimum abstinere. Prob. consequentia ex vitatione novem peccatorum non oritur major difficultas in vitatione decimi, & sicut, si aliquod ex novem, non vitasset, posset vitare decimum, ita etiam postea; immo à fortiori, quia illa vitatio novem reddit hominem validiorem ad vitandum decimum, quia acquiritur habitus ad similes actus inclinans.

113. Sed contra. Si responderem, fieri non posse hujusmodi hypothesim, etenim peccata vitanda collectivè sunt non tot, quin plura, ut inquiunt Scholastici, jam argumentum destrueretur; Nihilominus transmitto suppositionem factam, & sicut totum argumentum conficitur ab adversariis, confici potest in eo, quod supra dixi de Christo dicente, necesse est, ut veniant scandala; Videamus. Supponamus, totam hominum collectionem esse centum; tunc sic. Possunt nonaginta novem homines scandalum non committere, ergo etiam poterit centesimus. Prob. cons. Ex quo nonaginta novem scandalum non commiserint, non oritur major difficultas in centesimo, & sicut si aliquis ex illis commisisset, posset centesimus non committere, ita etiam postea, nam commisisse vel non commisisse nihil addit, vel minuit; & tamen posito, quod nonaginta novem non commiserint scandalum, necesse erit scandalum committi à centesimo, alioquin Christi propositio esset falsa. Quod ergo adversarii huic argumento responderent, nos ipsis respondebimus. Respondemus tamen in forma. Conc. ant. ne. cons. ad prob. dis. ant. non oritur &c. absolutè & antecedenter conc. hypotheticè & consequenter ne. ant. & cons. Ita enim se habet homo ad vitandum decimum vitatis novem præcedentibus, sicut se habet ad primum, si fiat suppositio, quod vitentur novem subsequentia, sed ad primum in hac hypothesi est facultas absoluta & antecedens, ergo etiam ad decimum; nihil ergo præstat vitatio vel non vitatio novem præcedentium ad vitationem decimi, nec non peccasse in præcedentibus est causa peccandi in ultimo; sed tota difficultas est in collectione, in qua determinatè omnia vitari possunt, indeterminatè tamen vitari non possunt; & ita fit, oriri necessitatem consequentiæ, seù dialecticam, quæ infertur ex istis præmissis. Inevitabilia sunt collectivè decem, vitabuntur omnia præcedentia, ergo non vitabitur decimum; eo pacto quo fit iste sillogismus. Paulus vel Petrus student, Paulus non studet, ergo Petrus studet, nec tamen major propositio infert majorem necessitatem studii Pauli vel Petri, nec Paulum non studere causa est, ut Petrus studeat. Ad ultimum. Per vitationem omnium peccatorum acquiritur major facilitas ad vitanda alia secundum se, & in eadem ma-

materia, non tamen absolutè sine interruptione, & in diversa materia, quod satis est ad rem nostram.

114. Ob. 2. Propositum efficax vitandi omnia lethalia, immo & venialia, datur, & est laudabile, sed non potest esse propositum efficax & laudabile de re moraliter impossibile, ergo vitatio omnium lethalium, & venialium non est impossibilis moraliter. Rursus; Fieri potest votum etiam vitandi omnia venialia, cum esse possit votum melioris rei semper agendæ, ut legimus de pluribus Sanctis, atqui votum non est rei moraliter impossibilis, ergo. Ratio autem utriusque est, quia, ut aliquid laudabile sit, debet à prudentia mensuram, & regulam accipere, prudentia autem est semper circa practica, consequenter moraliter possibilia.

115. Resp. argumentum nimis probare, probat enim, sine gratia posse etiam servari totam legem per ordinem ad finem supernaturalem, quia dari potest propositum efficax ita servandi, & est multum laudabile, immo necessarium. Itaque ad hujusmodi propositum, sicut & ad votum, satis est, si hæc moralis impossibilitas auferri possit per gratiam, & revera qui ita proponunt & vovent, semper dependenter à gratia proponunt, & vovent. Quod si contingit oppositum, id evenit, quia non perpendunt hujusmodi impossibilitatem, & efficacia est ex parte actus, non objecti, in recta intentione, non in exequutione. In hoc autem semper est laudabilitas, quia, sicuti delectari de re turpi quamvis moraliter impossibile, vitio adscribi debet, ita delectari de re honesta, licet moraliter impossibile, tribuendum est virtuti; atque in hoc servatur regala prudentiæ, quæ dictat homini vitare, quantum potest, omne objectum malum, & ex alia parte propositum hoc, sicut & votum, suo fine non caret, quia multum valet ad plurima peccata tam lethalia, quàm venialia vitanda juxta capacitatem proponentis & voventis. Atque ex hoc habes, quomodo intelligendi sint Patres, & Scripturæ nos adhortantes, ut simus perfecti, & immaculati, juxta illud secundæ Petri. *Satagite immaculati inveniri*. Et aliud Evangelicum. *Estote perfecti sicut & Pater vester Cælestis perfectus est*.

116. Respondent alii, ad hæc omnia esse possibilitatem moralem sufficientem, quæ satis est, non vero efficacem & consequentem, quæstionem verò de ista procedere. Sed bona venia nimis latè loquuntur, & fiet quæstio indubitata, nam sic fateri debebunt, non posse vitare divisivè singula peccata lethalia, & venialia, quia etiam ad singula, licet detur gratia sufficiens, non tamen semper datur efficax, & consequens.

Omittendo alia levioris momenti, quæri potest; an gratia vitandi omnia venialia rectè dicatur etiam specialissima, quia fuerit concessa dumtaxat Beatissimæ Virgini, ut constat ex Trident. & per consequens, an cuiquam alteri fuerit concessa.

117. Jam de Beatissima Virgine hoc certum, cum definitum habeamus, cujus quidem rei rationes plurimas affert S. Th. 3. par. qu. 27. art. 4. in corp. à fortiori Scotus eam ab omni labe etiam originali immunem defendens, & Sanctus Augustinus lib. de nat. & gr. cap. 26. inquit: *De Sancta Virgine Maria propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*. Quod si in illud Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, dicit in quæst. veteris & novi Testamenti qu. 73. *Virginem Mariam de morte Domini dubitasse*, non est intelligendum ejusdem dictum de dubitatione, quæ reduci possit ad infidelitatem, sed ad admirationem ac discussionem; *Animo*, inquit Basilius in epist. ad Optimum, *Beata Virgo assistens cruci post testimonium Gabrielis post ineffabilem Divinæ Conceptionis notitiam, post ingentem miracu-*

raculorum ostensionem fluctuabat, ex una parte videns tam abjecta pati, & ex alia parte considerans ejus mirifica. Neque movere nos debet, quod habet Chrysost. super ista verba Joan. 2. *Vinum non habent.* Idest voluisset sibi hominum gratiam conciliare, & se ipsam clariorem facere per filium, cum nondum, quam oportebat, de eo opinionem haberet, quod videtur ex inani gloria id egisse, & ideo à Christo asperum potius recepisse responsum; etenim, ut ait Angelicus loco cit., vel Chrysostom. in illis verbis excessit, & Mariam sola charitas & miseratio commovit, vel etiam Filii excellentiam demonstrari exoptavit, quod videtur congruum dictu, cum revera responderit Christus ad se ipsum referens petitionem illam, dicens: *Mulier nondum venit hora mea.* Vel tandem, Christum non cohibuisse inanis gloriæ motum quantum ad ipsam, sed secundum id, quod poterat ab aliis judicari.

118. De aliis vero, quicumque fuerint, non nisi dubia proferri possunt. Censuerunt Abulens., Catherin. aliique pauci, privilegium hoc concessum fuisse Sanctis Joanni Baptistæ, Josepho post Conjugium, & Apostolis post receptum Spiritum Sanctum, & confirmationem in gratia. Verùm in hoc distinguenda sunt peccata venialia, alia enim sunt, quæ deliberatè committuntur, & alia, quæ indeliberatè, &, ut ajunt, ex surreptione, quatenus plenam rationis deliberationem præveniunt; Rursus; peccata venialia esse possunt in aliqua determinata materia, vel in omni. Hoc posito.

119. Probabilius arbitror, plures immunes fuisse ab omni veniali peccato etiam indeliberato in aliqua determinata materia, non tamen in omni. Ratio hujus postremi est, quia in Trident. sola excipitur Virgo, exceptio autem firmat legem in contrarium, & ex alia parte nulla est necessitas hoc aliis concedendi. Quod enim dicatur de Joanne Baptista; *Inter natos Mulierum non surrexit major.* Hoc refertur ad munus Præcursoris Christi, in quo nullus certe excellentior fuit; Quod dicatur Josephus vir fidelis & castus, hoc indicat maximam Virginis custodiam, & Virginei candoris amorem; & justitia ejusdem, de quo dictum fuit: *Joseph autem cum esset justus*, per aliquod veniale non aufertur. Insuper, ita dicendo magis servantur Scripturæ Textus adducti n. 106. Ratio primi est, quia primo hoc contingere potest ex indole cujuscumque, & ex parentum educatione, fieri enim potest, ut quis etiam ex natura furta & mendacia levia quàm maximè abhorreat. Secundo quia, ita magis servantur quædam dicta, & facta Sanctorum, sicut est illud, quod dicitur de Joanne; *Nesciens labem nivei pudoris*, & aliud; *Ne levi posses maculare vitam crimine linguæ.* Itaque &c.

ARTICULUS VIII.

Utrum ad salutares actus sit necessaria gratia specialis.

120. SAlutares actus illos appello, per quos ad justificationem proximè positivè disponimur, ideo omnes sunt actus supernaturales. Est igitur præcipua difficultas circa actus virtutum Theologicarum, & de pœnitentia, ut requiritur ad justificationis gratiam consequendam. Hac de re ne pro singulis hisce actibus plures difficultates instituamus, ad unam omnia reducimus, examinando id, quod in titulo propositum est. Jam quid in hac re senserint Pelagiani & Semipelagiani dictum fuit art. 2. p. quæst. neque hic eadem memoramus, ne quibus semel dixisse sufficit bis repetita displiceant. De gratia igitur interna distincta à lege, doctrina & revelatione est sermo noster.

Dicendum; necessariam esse gratiam actualem specialem ad quoscumque actus salutares. Conclusio est dog-

ma fidei definitum in Concil. Milevit. cap.4. & 5. Afric.can.17. & 18. Arausic. cap. 5. & 6. Trident. sess. 5. can. 1. 2. 3. traditum ab omnibus Sanctis Patribus, & satis esset legere S. August. in toto lib. de prædest. Sanct. præter Fulgentium lib. de Incarn. & gr. cap. 17. Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 8. Isidor. lib. 3. sentent. cap. 10. præter Summos Pontifices Celestin. in epis. 1. ad Epis. Gall. cap. 10. Leonem ep. 84. Innoc. I. in epis. ad Epis. Afr.

121. Prob. primo generatim loquendo. Quando reperitur aliquis effectus excedens naturales vires liberi arbitrii, debet reperiri aliqua causa, quæ ultra liberum arbitrium illum producat, alioquin esset aliquid in effectu improductum, quin ulla esset causa producens, atqui in actibus salutaribus reperitur aliquis effectus excedens naturales vires liberi arbitrii, ergo. Prob. mi. in actibus salutaribus reperitur supernaturalitas, & quidem substantialis, ut dixi de actu fidei in proprio tractatu; sed hujusmodi supernaturalitas est aliquid productum excedens vires naturales liberi arbitrii, ut patet ex ipso nomine, ergo. Merito propterea Trident. sess.6. can.3. ita definivit. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione hominem posse credere, sperare, diligere, & pœnitere, ut oportet, anathema sit*. Et cap. 5. dixit, inspirationem istam recipi, ad excludendam gratiam externam Pelagii, quæ foris perstrepit, sed intus secundum se nihil proficit, propter quod dixit Isidor. loco citat. *Doctrina sine adjuvante gratia, quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam descendit, foris quidem perstrepit, sed interius nihil proficit. Tunc autem Dei sermo infusus auribus ad cordis ultima pervenit, quando Dei gratia mentem interius, ut intelligat, tangit*. Neque dicatur contra rationem à nobis adductam posse haberi supernaturalitatem actuum salutarium per gratiam habitualem, quæ supernaturalis est, nam, præter quam quod hæc responsio generatim non valet, quia saltem necessaria esset gratia actualis in peccatoribus, infra refelletur.

122. Prob. secundo. Recensendo præcipuos actus salutares, nimirum fidei, spei, & charitatis. De actu fidei sic. Omnis Scriptura, quilibet ex Patribus contendit probare actum fidei sine speciali Dei adjutorio haberi non posse. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, inquit Christus Joan. 6. Quid sit autem ad Christum venire statim declarat dicens: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*. Et infra. *Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum*, quod non potest intelligi de generali concursu, quia hoc pacto omne, quod est, opus Dei est. *Salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est ne quis glorietur*, ait Paulus ad Ephes. 2. & 1. ad Corint.7. *Misericordiam consequutus sum, ut sim fidelis*, notetur hoc verbum non dicit, *quia sum*, sed *ut sim*. Ex Sanctis Patribus, quos ante conclusionem protuli, sufficit unus Augustinus, qui in lib. de prædest. Sanct. totus est in hac re.

123. De actu spei sic, supponendo prius, spem esse unam ex virtutibus Theologicis juxta Pauli doctrinam 1. ad Corint.13. & totius Ecclesiæ consensum. Ubicumque Scriptura Sacra de hac virtute sermonem habet, illam tanquam donum Dei prædicat, & attollit, præsertim vero in Apostolo Paulo id facillimè invenitur. *Per quem*, idest Christum, ait ad Rom. 5. *habemus accessum per fidem in gratiam istam, & gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei*. Cap.15. *Ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Et statim subdit, *Deus autem patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in idipsum*. Paulo additur Petrus epis.1.cap.1. *Secundum misericordiam suam generavit nos in spem vivam*. Et infra; *perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam*. Et tandem. *Dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo*. Ex quibus omnibus, aliisque

que prætermissis fundamentum habuit Augustin. serm. 29. de verbis Dom. dicendi: *Hæc tria*, idest Fides, Spes, Charitas, *aliquantum sunt diversa*, *sed omnia sunt Dei dona*. Quod & omnes Sancti Patres affirmant. Quod opponi posset, illud tantum esset, quod objectum hujus virtutis sit Deus ut bonus speranti, & ideo spectans ad amorem concupiscentiæ, qui videtur esse naturalis, cum quisque ad amandum se naturaliter feratur,& quod est sibi bonum. Sed jam huic argumento data est responsio in proprio loco; & effusè tractant Doctores, præsertim Suarez lib. 2. de necess. grat. cap. 13.

124. De actu charitatis sic. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, &, *Fructus autem spritus est charitas* scribit Apost. ad Roman. 5. insuper 1. ad Corint. 13. *Horum autem major est charitas*. Quare si duæ aliæ virtutes habentur per speciale Dei adjutorium, magis hoc de charitate dicendum, quod amplius declarari posset illas laudes recensendo, quas idem Paulus ubique tribuit charitati, sine qua cœtera quæcumque dona saluti prodesse non possunt; ex quibus etiam rationem colligimus.

125. Nunc resolvo, quod ultimo loco in probatione nostra opponi posse videbatur, scilicet, ad hos salutares actus sufficere gratiam justificationis, seù habitualem & sanctificantèm. Qua in re.

Dicendum secundo. Etiam in justificatis requiri ulterius actualem gratiam ad hujusmodi actus.

Fundamentum primum desumitur ex Concil. Arausicano 2. cap. ultimo; ubi habet: *Confitemur Baptizatos*, *quæ ad salutem pertinent posse & debere implere Christo tamen auxiliante & cooperante*. Quod si hoc intelligatur de auxilio habituali, in primis explicatio falsa omnino est, quia de facto Adam habebat hujusmodi auxilium, quia habebat gratiam habitualem, nec tamen ipsi satis fuit, ut eam servaret, quam acceperat gratiam, ex quo argumentum colligitur pro sententia nostra; deinde ita Concilium interpretari est omnino oppositum Tridentino, quod sess.6. cap.16. habet hæc verba: *Cum enim Christus Jesus tanquam caput in membra*, *& tanquam vitis in palmites*, *in ipsos justificatos jugiter virtutem influat*, *quæ virtus bona eorumdem opera semper antecedit*, *comitatur*, *& subsequitur*, *& sine qua nullo pacto Deo grata*, *& meritoria esse possent*. Ex quibus nihil clarius afferri potest ad probandum quod interest nostra. Dicant itaque justi cum David psal. 15. *Adjutor meus esto*, *ne derelinquas me*, deinde dicam ego cum August. lib. de correp. & grat. cap. 1. *Nec ita*, *ut cum quisque fuerit à peccati dominatione liberatus*, *jam non indigeat sui liberatoris auxilio*. Subsumam vero, sed qui est à peccati dominatione liberatus, est justus, ergo justus indiget liberatoris, idest Dei auxilio.

126. Fundamentum secundum desumitur etiam à ratione, omittendo ea, quæ dicam de finali perseverantia. Ad operationes naturales requiritur semper actualis concursus naturalis, ergo ad operationes supernaturales requiritur semper actualis concursus supernaturalis, sed iste est specialis gratia, ergo. Præterea. Habitus supernaturales non sunt sicut acquisiti, qui inclinant in similes actus, ex quibus geniti sunt, sed, cum sint infusi, & ex nullo actu producti, ad nullum actum sibi vindicant vel inclinationem, vel facilitatem, ergo ut homo justus in actus supernaturales prorumpat, necessaria est gratia actualis. Hinc ab aliis authoribus appellantur qualitates mortuæ. Hoc ultimum argumentum ita à me propositum magis placet, nequaquam primum, nisi prima facie & parum speculanti. Sed prius aliquid aliud subdere permittatur. Gratia sanctificans esto supernaturalis sit, non adimit tamen inconstantiam voluntatis, nec partium sen-

sensitivæ rationalisque rebellionem, alioquin redderet hominem impeccabilem, ergo requiritur aliquid aliud, per quod voluntas in bono fiat constans, & sensus rebellioni non cedat. Illa sanat à culpa, integrum tamen hominem non reddit. Tunc dicere poterit homo clementissimo Deo; *Qui sanat omnes infirmitates*, ut dicebat David psal. 102. quando in futuro indeficiente sæculo poterit cum eodem dicere: *Qui redimit de interitu vitam meam, qui coronat te in misericordia & miserationibus*.

127. Dicam modo, quare argumentum primum non placeat, quod tamen adeo plausu dignum, & ferme evidens habitum est. Primo quod est in consequentia tanquam de fide censendum est, antecedens vero nondum de fide est definitum, cum adhuc sit quæstio utrum concursus simultaneus necessario sit admittendus, quo dato jam per illud nihil probatur. Secundo etiam admissa concursus simultanei necessitate sic argumentor. Ad operationes naturales requiritur semper concursus actualis naturalis, qui tamen attenta naturali providentia debitus est, ergo ad operationes super naturales semper requiritur concursus actualis supernaturalis, qui tamen attenta supernaturali providentia debitus est; & sicuti ubi est naturalis forma est debitus ille, ita ubi erit supernaturalis forma erit debitus iste, atqui gratia sanctificans est forma supernaturalis, ergo ubi hæc erit, erit debitus actualis concursus supernaturalis, consequens non admittitur, ergo nec illa argumentatio tenet.

Si dicant disparitatem esse, quia naturalis forma est activa, non sic supernaturalis qualitas. Contra. Quia supernaturalis qualitas non est activa, requiritur actualis gratia, seu concursus supernaturalis, ergo quia naturalis forma est activa non requiritur actualis concursus naturalis, etiam hoc consequens non admittitur, ergo responsio, seu disparitas vana est: Relinquant ergo quod suum est, & teneant quod meum est, saltem in afferenda fundamentali ratione.

128. Examinemus quid in oppositum afferri potest; & prætereo, a Deo nobis præcipi actus salutares, ergo nos illos efficere posse; Supposita cognitione Dei veracis, & viso miraculo ad confirmandam revelationem à Deo factam non posse aliquem negare fidem; Catholicum & Hæreticum eodem motivo credere; nam primum jam superius solutum est, dicendo præcipi quidem nobis salutares actus, & nos illos efficere posse, sed viribus gratiæ, quæ semper vel collata, vel parata est, saltem quantum sufficit. Cœtera vero rejecta sunt in tractatu de Fide. Est igitur contra primum assertum, non requiri adjutorium speciale ad amandum Deum ut authorem supernaturalem. Primo. Per nos non est necessaria gratia specialis naturalis ad amandum Deum ut authorem naturalem, ergo neque erit necessaria gratia specialis supernaturalis ad amandum Deum ut authorem supernaturalem, ita enim secundus amor est in linea gratiæ, sicut primus est in linea naturæ, quare sicut habita naturali facultate, & naturali cognitione per solum concursum simultaneum habetur iste, ita habita supernaturali potentia, idest potentia prædita habitu supernaturali, & supernaturali cognitione habita per fidem habebitur ille. Immo videtur argumentum magis de hoc probare; etenim, si naturaliter amari potest objectum propositum tanquam minus bonum, à fortiori poterit amari objectum idem propositum tanquam majus bonum, cum ita majorem vim habeat ad movendam trahendamque voluntatem. Secundo. Amor naturalis erga Deum non differt substantia ab amore supernaturali erga ipsum, sed solum accidentario modo, ideo præceptum hoc supernaturale dicitur ab omnibus Doctoribus naturale quo ad substantiam; non est ergo,

go, cur requiratur neceſſario auxilium actuale ſupernaturale.

129. Reſp. conc. ant. ne. conſ. ad prob. diſ. ant. in linea gratiæ, & à gratia actuali ſupernaturali indebita effective procedit conc. in linea tantum gratiæ habitualis ne. ant. & conſ. Eſt primus amor in linea naturæ, eſt ſecundus amor in linea gratiæ; natura habito generali concurſu eſt completa ad ſuas operationes, natura autem habita ſolum gratia habituali non eſt completa propter rationes à me expoſitas num. 126. rurſus natura juxta præſentem providentiam ſibi vindicat debitum illum generalem concurſum, anima autem etiam gratia habituali exornata ſibi non exigit concurſum actualem ſupernaturalem, ut patet in Adamo, & aliis juſtis. Ad majus argumenti robur conſequentia non tenet, niſi quando majus bonum non excedit vires facultatis, ipſique eſt proportionatum; in noſtro autem caſu contingit oppoſitum. Ad ſecundum; in primis dato anteced. quod revera plures Doctores admittunt & defendunt, adhuc non probaretur non requiri ſaltem auxilium actuale ſupernaturale quoad modum. Sed revera ſentio, amorem ſupernaturalem eſſe hujuſmodi in ſubſtantia, ſi non materialiter, ſaltem formaliter & ex parte motivi quod eſt Divina bonitas ſupernaturalis, quæ certè talis eſt ſubſtantialiter, atque ita etiam præceptum hoc dicitur naturale quoad ſubſtantiam materialiter, ſeù fundamentaliter, quatenus omnia præcepta ſupernaturalia fundamentum habent in naturalibus; formaliter tamen ſupernaturale eſt, ut dixi etiam de actu fidei in proprio tractatu.

130. Ob. 2. Ex Milevit. cap. 3. hæc leguntur: *Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei in qua juſtificamur, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit*, ergo gratia habitualis valet ad ſupernaturales actus habendos. Anteced. autem declaratur etiam ratione; nam ſicut beati per habitum luminis gloriæ quocumque alio auxilio ſecluſo habent quidquid requiritur ad videndum Deum, ita juſtificati per habitum charitatis habent ſecluſo quocumque alio auxilio quidquid requiritur ad Deum diligendum, proinde &c.

131. Reſp. Idem Concil. cap. 4. per illud verbum, *gratiam Dei* complecti etiam gratiam actualem, quam Pelagiani negabant neceſſariam ad ſervandam legem, ſiquidem dicit, admittendam eſſe revelationem doctrinæ, non tamen illam ſufficere, ſed ulterius eam gratiam requiri, per quam cognoſcamus quid faciendum ſit, & eadem facienda diligamus, ſed hæc gratia eſt illa actualis interna, quam nos admittimus, ergo. Præterea; alia etiam via Concilii mentem explano, & concedo, gratiam juſtificantem valere etiam ad adjutorium, ut peccata non committantur, ſed in quo ſenſu? non ita ut ipſa ſola ſufficiat, ſed quia reddit ſubjectum, in quo eſt, magis idoneum ad recipiendum hujuſmodi adjutorium, & gratiam actualem; Ordinariè enim peccator in aliud peccatum pertrahitur, juxta illud Gregorii hom. 13. in Ezechiel. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere in aliud trahit.* Et congruum non videtur, quod Deus inimicis ſuis auxilia ſpecialia velit conferre, quamvis pro ſuæ clementiæ magnitudine perſæpe conferat. En igitur, quomodo gratia, per quam juſtificamur, non ſolum ad remiſſionem peccatorum valeat, ſed etiam ad adjutorium, ut non committantur. Ad rationem conc. ant. ne. conſ. habitus enim evidentes, ut eſt lumen gloriæ, habent ſemper vim movendi, immo & imponendi neceſſitatem, præſertim ſi ſemper in actu ſint; non ita habitus inevidentes, & relinquentes in facultate libertatem proximam. Quod ſi teneret argumentum, dici poſſet, quod ſicut per lumen gloriæ ſecluſo quocumque alio auxilio anima ſit proxime im-

impeccabilis, ita fieret per habitum gratiæ.

132. Superesset inquirendum de amore Dei imperfecto, seù attritionis, sed cum pertineat ad tractatum de pœnitentia, ideo nihil hic dicendum existimo.

ARTICULUS IX.

Utrum homo sine gratia speciali possit se ad gratiam disponere.

133. ETSI ex antecedentibus pars negativa satis colligi possit; nihilo tamen minus ad uberiorem doctrinam, & ad ostendendam naturalium operationum improportionem ad gratiam, istam difficultatem instituo, ex qua magis Massiliens. & Pelagiani convincentur. Fuit tamen inter Catholicos etiam Durandus, qui in 2. dis. 28. q. 15. dicit, hoc auxilium speciale vel esse providentiam peculiarem, quam Deus habet de illis, qui hæreditatem capiunt salutis, vel esse specialem motionem voluntatis provenientem à Deo. Si sumatur primo modo, fatetur, hominem sine speciali gratia non posse ad gratiam se disponere, quia quemadmodum quidquid conducit ad finem rerum naturalium subest generali Dei providentiæ, ita quidquid conducit ad finem supernaturalem subesse debet speciali providentiæ Dei; si autem sumatur secundo modo, negat, necessariam esse specialem gratiam, ut homo possit se ad gratiam disponere.

134. Dicendum tamen, esse dogma fidei, hominem sine gratia speciali se ad gratiam non posse disponere; & resolutio est non de dispositione remota & negativa, sed de proxima & positiva, ita ut disponatur ad gratiam infallibiliter habendam.

Clarum est pro hoc asserto testimonium toties adductum Concilii Trident. ubi dicuntur disponi homines ad justificationem excitati Divina gratia, & adjuti. Clarum testimonium Arausic. can. 4. in quo habetur: *Siquis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut purgari velimus per Spiritus Sancti inspirationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto dicenti per Salomonem, præparatur voluntas à Domino.* Et can. 3. inquit: *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem gratiam facere, ut invocetur, contradicit Isaiæ dicenti, inventus sum à non quærentibus me.* Et can. 5. loquens de Fide ait. *Si quis sicut augmentum, ita & initium fidei, ipsiusque credulitatis affectum naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis Dogmatibus adversarius probatur.* Ex quibus omnibus ita conficitur argumentum. Hæc dispositio naturalis vel esset invocatio, vel conversionis desiderium, vel fides initialis, vel pia affectio & voluntas credendi, sed ex adductis textibus nihil horum naturale est, ergo.

135. Præterea etiam, admittendo hanc naturalem dispositionem falsum esset quod sæpe repetit Apostolus: *Quis te discernit?* eo quia per liberum arbitrium unus haberet, alius non haberet hanc dispositionem; Falsum quod idem innuit, *gratiam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia.* Quia gratia ex præcedenti naturali dispositione conferenda esset, de qua inquit Augustin. de prædestin. Sanct. cap. 3. *Non est gratia, si eam ulla merita præcedant.* Ex quibus etiam meritum congruum excluditur.

136. Ratio tandem ad hoc demonstrandum ex illo colligitur, quod nullum naturale opus habere potest infallibilem connexionem cum eo, quod est supernaturale, quia excedit quascumque naturæ vires, proinde exigit necessario esse ab agente superiore; Cum igitur gratia sit donum omnino supernaturale, infertur, per nihil, quod naturale sit, posse ad ipsam hominem disponi. Adde; Sic dici posse, etiam per naturæ vires

res poſſe hominem ſe diſponere ad infallibiliter habendam viſionem beatam, quod tamen eſt contra omnes Theologos, ut dicitur in tract. de Deo Uno.

137. Ob. 1. Bonum, quod ordinem ſervat ad gratiam, ad ipſam diſponit, ſed bonum naturale ordinem ſervat ad gratiam, ergo ad ipſam diſponit, ſed homo per proprias vires poteſt bonum naturale, immo per nos poteſt maximum bonum, ſicut eſt dilectio Dei ſuper omnia, ergo. Atque poſito hoc principio, ſic poſſumus argumentari. Supremum infimi attingit infimum ſupremi, ergo actus dilectionis Dei, qui eſt ſupremus inter actus naturales, attinget infimum inter actus ſupernaturales. Secundo; Poteſt homo per naturalem virtutem diſponere ſubjectum ad formam, quæ eſt à ſolo Deo, ideſt ad animam rationalem, ergo etiam poteſt ſe diſponere ad formam, quæ eſt a ſolo Deo, ideſt ad gratiam habitualem; conſequentia tenet; ſi enim diſpoſitio naturalis connecti poteſt cum forma ſpirituali, quare diſpoſitio naturalis connecti non poterit cum forma ſupernaturali? Immo hoc facilius admitti debet, nam inter naturale & ſupernaturale datur tantùm diverſitas ordinis, inter vero materiale & ſpirituale datur diverſitas ſpeciei. Totum hoc conſonum eſt Scripturæ dicenti Proverb. 12. *Hominis eſt animam præparare*. Et Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, in quo textu prius eſt hominem converti ad Deum, quam Deum ad hominem. Hæc ſunt argumenta Durandi, efficacius tamen à me propoſita.

138. Reſp. immo hæc omnia contraria eſſe Scripturę ut dictum eſt n. 134. Argumentum primum nullum eſt, negatur enim, opus morale bonum habere hanc connexionem, ordinemque cum gratia, & ad ſummum remotè & negativè ad ipſam diſponit, quatenus ſubjectum eſt minus indiſpoſitum, nec in ipſo reperiuntur tot impedimenta, quot invenirentur in illo, qui nullum opus morale bonum proferret. Secundum videtur habere majorem vim, & ſubtilitatem, nec arbitratu meo ſatis ſolvitur ab aliis; dicunt enim diſparem rationem eſſe, quia licet anima ſpiritualis ſit, attamen eſt in ordine naturali, è contrario gratia eſt in ordine ſupernaturali, proinde ſupra exigentiam cujuſcumque naturalis diſpoſitionis; ſed quis non videt, adhuc rationem oppoſitam in ſuo robore permanere? Si enim ſupernaturale eſt ſupra ordinem cujuſcumque diſpoſitionis naturalis, cur etiam ſpirituale non erit ſupra ordinem cujuſcumque diſpoſitionis materialis? cum, ut dicebatur, naturale & ſupernaturale differant tantùm in ordine, materiale & ſpirituale differant in ſpecie, & naturale poteſt quidem elevari ad producendum ſupernaturale, materiale autem nequeat elevari ad producendum aliquid ſpirituale, ut fatentur illi, qui noſtram ſententiam ſuſtinent. Fortaſſè melius reſponderent Thomiſtæ dicentes, animam eſſe quidem ſpiritualem, ut quod; eſſe tamen materialem & corpoream, ut quo; & in hoc ſenſu poſſe ab agente materiali poni diſpoſitionem ad ipſam; ſed hoc generatim verum non eſt; immo ſatis incertum, à me rejectum in tract. de anima; non debet autem per incertum afferri diſparitas ad ſuſtinendum certum.

139. Aliter ergo reſpondendum cenſeo, dicendo, diſpoſitionem materialem productam ab homine ad animam rationalem non eſſe ex intrinſeca natura rei, ſed à Divina ordinatione & providentia, quæ vult producere hominem, animamque creare, quando corpus eſt talibus organis diſtributum; & in hoc ſenſu concederem, poſſe haberi per liberum arbitrium diſpoſitionem naturalem ad gratiam ſupernaturalem, ſi data hujuſmodi naturali diſpoſitione ſtatuiſſet Deus conferre, quamvis repugnantia eſſet ex alio capite, ut dicam in ſequenti; Sed unde colligitur, eſſe talem Dei ordinationem? In Scripturis, in Patribus, in Conciliis non invenies, ergo

ergo nullibi. Mea responsio tanto magis placet, quo magis melius sustineo, B. Mam Virginem fuisse Matrem Dei, quin tamen produxerit aliquam dispositionem connexam cum unione hypostatica, ut tuentur omnes Theol. Contra primum textum adductum jam attuli alium. Contra secundum est quod toties legimus in Scripturis, nimirum, *converte nos*. In istis ergo & similibus commendatur liberum arbitrium, sed non excluditur gratia, sicut quando commendatur in aliis gratia, non excluditur liberum arbitrium; nec frustra dicitur hominibus, *convertimini*. Nec frustra dicitur Deo, *converte nos*; & quo pacto prius sit, Deum converti ad homines, dicetur. Superest illi argumento respondeamus, quod supremum infimi attingit infimum supremi, & ideo dilectionem Dei super omnia, quæ est supremus actus inter naturales, attingere infimum actum inter supernaturales. Sed advertendum est, axioma illud valere, quando supremum infimi, & infimum supremi non habent excessum in ordine omnino diverso, ut contingit in casu, aliter supremus Angelus attingeret aliquid Dei, & supremum animal irrationale attingeret aliquid rationalitatis; sed quidquid sit, in hac re potius adhærere debemus definitionibus, quam rationibus.

140. Ob. 2. Mat. 25. Deus dedit talenta secundum propriam uniuscujusque virtutem, sed talenta significant gratiam, propria uniuscujusque virtus significat opus proprium, per consequens naturæ donum, ergo quia datur gratia juxta opera naturæ. Secundo. Desiderium salutis efficax proximè disponit ad gratiam, sed hoc desiderium habetur per vires naturæ, ergo. Prob. mi. ex Apostolo pluries dicente; *Velle adjacet mihi* super quæ verba inquit Hieronym. lib. 3. contra Pelagian. *Nostrum est velle, Dei autem ut impleamus, quod volumus*. Rursus. Deus non est acceptator personarum, ergo respicit nostra merita, quibus movetur ad uni potius gratiam conferendam, quàm alteri, ergo. Tandem. S. Joan. Chrysost. hom. 21. in Gen. ait: *Nisi Abraham primum, quod suum erat, fecisset, non tantam à Domino gratiam obtinuisset*. Ergo per hoc quod fecerit, quod suum erat, idest, quod viribus naturæ suæ, gratiam obtinuit, proinde &c.

141. Resp. ad primum conc. maj. ne. mi. si proprium sumatur tanquam ex solis propriis. Virtus itaque illa propria est, quia etiam liberum arbitrium agit, attamen non est ex propriis, quia est virtus alieno auxilio roborata. Responsio hæc est S. Th. de virtut. in communi qu. 2. de charit. art. 7. ad 9. ubi explicans adductum locum Mat. ait: *Quod autem dicitur, dedit unicuique secundum propriam virtutem, non est referendum ad virtutem tantùm naturæ, sed intelligenda est virtus, quæ est etiam per gratiam*. Idem tradit 1. ad Corint. 12. lect. 2. Idem 2. 2. qu. 24. art. 3. ad 1. ubi ait: *Virtus illa, secundum quam dat Deus unicuique dona sua, est dispositio præcedens; sed hanc etiam dispositionem prævenit Spiritus Sanctus*. Ad secundum conc. maj. ne. mi. ad prob. ut supra; *Velle adjacet*, sed non tantùm secundum me, præcipuè secundum gratiam, quæ tamen semper aut confertur, aut parata est; Unde idem Doctor maximus in epist. ad Cresifon. *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum*. Ad tertium. Non est Deus acceptator personarum, quia omnibus confert, aut ad conferendum paratus est gratiam suam; sed licet non conferret, nec ad conferendum paratus esset, adhuc vitium hoc Deo imputari non posset, quia Deus nulli aliquid debet; ibi autem est personarum acceptatio, ubi est obligatio justitiæ. Ad ultimum. Dictum Chrysost. intelligendum est in illis verbis, *quod suum erat* ex viribus gratiæ excitantis, cui Abraham respondit, ait enim hom. 27. in Genes. *Dominus prius benefacit, & nostram naturam ad se allicit, & postea imperat*.

142. Ob. 3.

142. Ob. 3. De facto Cornelius per illas operationes, quas habuit ex vi liberi arbitrii, nimirum orationes & eleemosynas gratiam vocationis ad Christi fidem obtinuit; ut legitur act. 10. ergo. Secundo. Congruum videtur, illis Deum gratiæ suæ auxilium conferre, qui bene utentes libero arbitrio, bonis moralibus vacant, non vero illis, qui libero arbitrio abutentes omnia pervertunt, ergo. Denique. Angeli consequuti sunt gratiam juxta sua naturalia, ut docet S.Th. 1. p. qu. 62. art. 2. ergo quia per naturalem dispositionem se ad gratiam præpararunt,

143. Resp. ad primum ut supra de Abrahamo; & nego opera illa fuisse Cornelii sine viribus gratiæ; etenim, vel dicimus Cornelium justificationem habuisse ante fidem explicitam Christi, cum dicatur eodem capite. *Erat vir religiosus & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas plebi, & deprecans Deum semper* vel dicimus non fuisse justificatum, sed operibus illis se ad justificationis gratiam disposuisse. Si primum; sine gratia esse non poterat, alioquin non solùm dispositio, sed ipsa formalis justificatio esset ex libero arbitrio, quod apertissimè Pelagianum est; Si secundum ipsæ eleemosynæ & orationes erant ex gratia, licet enim aliquod opus morale bonum fieri possit sine gratia, non tamen sine gratia habetur religio, timor Dei, eleemosyna, oratio semper, ut innuitur in textu. Ad secundum; non esset, cur argumento responderemus, quia in eo sermo est de congruentia, non de infallibilitate; attamen dico, congruum id esse ex parte liberalitatis Divinæ, non ex merito operis, alioquin gratia non esset gratia, & sicuti Deus hanc elargitur habentibus positivum demeritum, ut constat in Paulo, & in Matthæo, ita negare potest habentibus actuale meritum; Idem dicendum de congruitate, quam asserit S.Th. 3. p. qu. 4. art. 1. fuisse ex parte humanæ naturæ, ut assumeretur à Verbo; hæc enim non attenditur per aliquam dispositionem, quæ prius esset in natura humana, sed solum secundum aptitudinem, & eam, quam potentiam obedientialem appellant; Siquidem congruum dicitur propter duo, scilicet propter dignitatem naturæ rationalis, quæ potest per gratiam Deum cognoscere, & diligere, & propter necessitatem, quæ reparari indigebat, ut ibidem docet Angelic. atque etiam in hoc sensu intelligitur illud Augustini lib. 18. de prædest. cap. 3. *Posse habere fidem naturæ est hominum*. Ad ultimum; Verum est illud antec. de Angelorum naturalibus, sed per auxilium Divinum semper gratuito collatum.

ARTICULUS X.

Quomodo intelligendum sit commune illud. Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

144. QUamvis ex articulo antecedente satis esset resoluta difficultas proposita, videlicet, intelligendum esse de faciente quod in se est non ex viribus naturæ, sed gratiæ, nihilominus, quia plurima agumenta in oppositum afferuntur, & in diverso sensu fuit à Pelagianis acceptum, distinctè examinandum esse, non inconsulto existimavi, ex cujus etiam resolutione magis roborabitur veritas stabilita. Diversimode autem movetur contentio. Aliqui enim volunt, facientibus quod in se est ex viribus naturæ Deum gratiam non denegare ex pacto quodam statuto à Patre cum filio ob merita ejusdem passionis. Aliqui ita defendunt, ut velint, Deum, ordinariè loquendo, non conferre auxilia prævenientis & adjuvantis gratiæ, nisi prius homo bene sit usus libero arbitrio, faciendo quod in se est ex facultate naturæ. Sed sive hoc, sive illo modo se explicent.

145. Sentiendum. Commune illud: *Facienti quod in se est Deus non de-*

negat gratiam non esse intelligendum ex viribus naturæ, sed gratiæ.

Prob. primo excludendo pactum illud inter Patrem & Filium. Si datur hujusmodi pactum, debet fundamentum desumi vel ex Sacris Scripturis, vel ex Conciliis, vel ex Patribus, de ea enim re agimus, quæ dependet à libera Dei voluntate, quæ aliter nobis manifestari non potest, sed ex nullo capite fundamentum hoc potest desumi, immo habetur omnino contrarium, ergo. Prob. mi. Scriptura dicit per Paulum; *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.* Et ad Rom. 15. *Dico enim Christum Jesum fuisse Ministrum circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum.* In quo textu indicat, propter Hebræos venisse Christum secundum promissionem, propter gentes vero ex pura misericordia; quod tamen non est ita intelligendum, ut etiam pro illis ex misericordia non venerit, sed solùm in hoc sensu, quod pro Hebræis venerit ex misericordia præcedente promissionem, pro gentibus verò ex misericordia sine aliqua promissione saltem peculiari. Concilium Arausic. præter dicta in antec. num. 134. can. 6. damnat illos, qui dixerint: *Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam conferri.* Augustinus, quem eligo inter omnes Sanctos Patres, qu. 2. ad Simplic. in fine ait: *Quare tamen & huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es? Debitum si non reddis, habes quod gratuleris, si reddis, non habes quod queraris.* Ubi Sanctus Doctor declarat, ex duobus petentibus, pulsantibus &c. ex sola facultate naturæ unum vocari, alium non vocari, quia ita Deo placet, sentit ergo nullam esse hujusmodi legem.

146. Prob. Secundo ratione deprompta ex sacris literis, si daretur hujusmodi lex gratiam conferendi, etiam concesso, quod facere quantum in se est ex viribus naturæ esset pura conditio, non vero aut dispositio, aut meritum congruum, gratia non esset gratia, sed hoc non est dicendum, ergo. Prob. sequella mai: Promissio sub conditione alicujus operis, adimpleta conditione, obligat promittentem, saltem ex quadam imperfecta justitia, & stricta ex suppositione, ad tribuendum quod promissum est, & operanti confert jus ad illud petendum, ut constat, ex illa parbola Mat. 20. in qua operarii convenerunt cum Domino, & Dominus dixit uni; *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade.* Ergo si &c. Hoc magis declaratur exemplo. Supponamus, regem promittere, se daturum filiam suam in uxorem uni ex militibus, qui prior mænia Civitatis conscenderet, aut illum hostem superaret, ut fecit Saul cum David; Miles qui prior ascenderet, aut hostem superaret, faceret sibi debitam ex justitia, dimanante ex illa lege, filiam Regis, ergo à pari in re nostra.

147. Neque dicas, hoc non repugnare, quia gratia non daretur illius operationis intuitu, sed solum propter merita Christi, propter quæ lex illa statuta est; & sicut gratia habitualis datur ex debito contracto per legem promittentem gratiam convertenti se ad Deum, & illis, pro quibus Christus efficaciter obtulit suam passionem, & tamen gratis datur, ita in casu. Nam contra primum est; gratiam illam fundari quidem in meritis Christi tanquam in causa, sed simul etiam in operibus naturalibus creaturæ, tanquam in conditione, sine qua lex nullam haberet vim, proinde debitum dandi gratiam oriretur completè ex hujusmodi operationibus, ut dicebatur de milite in exemplo adducto; unde sequeretur, quod quemadmodum posita lege à nobis dicta, opus illud militis fieret aptum, & haberet proportionem cum nuptiis filiæ, ita ex lege statuta cum Christo opus naturale fieret aptum, & haberet proportionem cum gratia. Contra secundum est, parita-

ritatem non valere, etenim adhuc debitum illud progreditur à gratia, quia progreditur à conversione peccatoris ad Deum, quæ sine gratia non fit, nec Christus efficaciter obtulit passionem suam pro illis, qui ex sola facultate naturæ operarentur, alioquin meruisset, suam gratiam non esse gratiam. Verum, quodcumque dicant adversarii, dari hujusmodi legem superest semper ipsis probandum. Addo tandem hanc paritatem; Quia Deus statuit humanam speciem in individuis conservare posita naturali corporis dispositione, gratiam non elargitur creando animam, ergo à pari si statuisset gratiam conferre posita, quantum in homine est, naturali operatione, gratiam non largiretur gratiam largiendo; Creatio animæ ex vi illius decreti debita est, ergo largitio gratiæ ex vi alterius decreti debita esset, & ita recurrit quod supra proponebatur.

148. Magis roboratur assertum nostrum, si perpendamus, contrarium esse illud idem, quod Cassian. Collat. 13. dicebat, & in quo reprehensus fuit à S.Prosp. lib. contra Collat. cap.39. dicebat autem sic. *Ità semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adjuvat, protegit, & defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet, ne penitus dormienti, aut inerti otio dissoluto sua videatur dona conferre*. Quid autem Prosper? *Quasi ita utrumque recipiendum sit, ut in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem, & non ita ut in omnibus voluntas gratiam sequatur*. Non est igitur dicendum gratiam à Deo conferri, quia voluntas bene agit, sed voluntatem bene agere, quia datur gratia, & profectò rectè contra Cassianum argumentum Prosperi procedebat; nam si per illum gratia præveniens auferebat arbitrii libertatem, etiam voluntas præveniens gratiam auferebat gratiæ dignitatem.

149. Neque verum est, posse hanc regulam firmari, quod Deus auxiliis gratiæ suæ eos præveniat, qui suo bene utuntur arbitrio, sed omnes æqualiter respicit, & ipse *cujus vult miseretur, et quem vult indurat*, ut ad Rom.8. Unum vocat, alium non vocat, primum quidem misericorditer, secundum vero justissime, ignota quidem nobis causa, Deo autem notissima, ut sæpe repetit Augustinus; bene utentes libero arbitrio ex viribus arbitrii in perditionis massa ut vasa ignominæ potest relinquerere, male utentes in vasa honoris per gratiam suam potest attollere, atque hoc factum esse frequenter in Scripturis habemus, ubi dicitur, *inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant*; & rursus. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi, sed contradicentem*. Quapropter ex data doctrina, sic breviter, sed arbitratu meo validissime argumentor. Vel bene utentibus libero arbitrio ex viribus naturæ gratia conferri debet, vel non; si debet, ergo non cujus vult miseretur, neque quem vult vocat & prævenit, sed miseretur, quia ipse vocatus, quia (sic loqui liceat) quia præventus, nec erit verum, quod ait Propheta, *Misericordia ejus præveniet me*, sed è contra ego operibus meis naturalibus præveniam misericordiam ejus; si non, ergo commune illud non potest intelligi de operibus naturæ, nec fingi potest aliqua lex, vel pactum hoc sibi postulans.

150. Quid igitur proderunt operationes bonæ in linea morali naturali? Cur igitur hortabimur etiam ethnicos ad ita bene operandum? Proderunt adhuc, respondeo, non quia sint vel dispositiones, vel conditiones, ex quibus inferatur gratiæ consequutio, sed primo in sensu negativo, quia per operationes etiam naturaliter bonas impedimentum non apponitur, & sic homo negativè fit dignus ad recipiendam gratiam, in quo sensu explicandi sunt Sancti Patres, si qui

qui dixerint, per operationes naturales bonas disponi ad gratiam. Pro hac re est clarissimum testimonium Marci Eremitæ de Paradiso lege & spiritu cap.23. dicentis: *Omne opus bonum, quod per nostram naturam operamur, tantum equidem efficit, ut è contrario malo aut vitio abstineamus; Cæterum extra gratiam sanctificationis affecti, accessionem nobis facere non potest.* Proderunt secundo in sensu positivo, vel quia per illas acquiri potest habitus alicujus moralis virtutis, aut quia præmium aliquod in hac vita concedetur, aut quia reprobi minus in Inferno cruciabuntur, ut loquitur Augustinus.

151. Ob. 1. trito illo exemplo allato à S. Th. & Scoto, quod si puer enutritus in Sylvis sequeretur ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, certissime Deus illi, vel per inspirationem internam, vel per aliquem prædicantem ostenderet ea, quæ ad salutem necessaria sunt. Idem pluribus in aliis locis docet Angelicus, & qu. 14. de verit. art. 11. ad 2. ait: *Quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis, tamen si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur Deus non deficiet nobis in eo, quod ad salutem est necessarium.* Et in 2.sent. quæst. 1. art. 4. dis.28. inquit: *Etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id, quod in naturali ratione est.* Ergo.

152. Resp. primo, Totum hoc sequi ex mera Dei misericordia, non infallibiliter ex aliqua lege, & verbum illud *certissime* non esse accipiendum pro infallibiliter, sed pro ordinarie & regulariter, ut aiunt; Sicut cum dictum fuit Exodi 34. *Non ingrediemini ad eas* (idest mulieres Moabitidas, & Amonitidas) *certissime enim avertent corda vestra.* Explicatur à S.Th. 1.2. qu.105. art.4. ad 6. de morali periculo seductionis, non autem pro infallibili. Ita Bannes 2.2. q.10. art.1.pluresque Thomistæ Theologi. Sed responsio non placet, nec est ad mentem Doctoris; nam supponamus, Deum huic puero gratiam non conferre, jam non peccabit se non convertendo ad Deum post usum rationis, quia sine gratia non potest se convertere, & ad impossibile nemo tenetur, & sic prius poterit peccare venialiter, quàm mortaliter, quod est contra ipsorum Scholam; dicere vero, quod in illa hypothesi Deus non permitteret ipsum peccare venialiter, fictitium est; deinde semper argumentum redit.

153. Tutius igitur respondemus dicendo, quod in illa hypothesi Puer ille movebitur per auxilium Divinum ad se convertendum ad Deum tanquam existentem & remuneratorem in linea supernaturali, quodve auxilium non dependebit ab aliqua lege affixa bonis operibus naturalibus, sed solummodo à Divina voluntate, quæ volens, omnes homines salvos fieri, & hujusmodi conversionem præcipiens, debet conferre illa auxilia, sine quibus conversio haberi non potest, ne dicamus, Deum jubere impossibilia; Inde puer ille, si bene utatur eo priore auxilio, lumen accipiet etiam in reliquis, quæ ad salutem requiruntur & hoc quidem fiet modo à S. Thoma assignato; Unde ex præexistente solum operatione bona naturali gratiam ipsi conferri nunquam continget; atque hoc factum fuit cum Cornelio, cujus eleemosynæ & orationes Deo placuerunt, proinde habebat fidem Dei existentis & remuneratoris, cum sine fide impossibile sit placere Deo. Totum hoc est ad mentem Angelici super cap. 10. ad Roman. lect.3.2.2. qu.10.art.4. ad 3. & manifestè nostram sententiam tradit 1.2. qu.109. art.6. ad 2. qu.112. art.3. Quare Driedo, Duardus, & Cajet. respondent brevius argumento ex ejusdem authoritatibus petito dicentes, in hisce ultimis locis ad meliorem formam ea reduxisse, quæ in aliis ab adversariis citatis prius docuerat.

154. Ob.2. Sanctus August. lib. 19. de Civit. cap. 13. dicit. *Deus dedit homini-*

minibus quædam bona hujus vitæ congrua eo pacto æquiſſimo, ut quicumque mortalis talibus bonis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem &c. Ergo ſentit, bonum uſum naturalium bonorum habere pactum affixum conſequendi etiam ſupernaturalia bona. Eſt etiam Chryſoſt. ſuper illa verba. *Videns eos illum ſequentes*, hæc habens. *Admonemur, Deum in ſuis beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed à nobis incipiendum.*

155. Reſp. Si præclariſſimus Doctor intelligatur juxta literam ſtrictè, per iſtam nimis probari, cum addat; *Qui autem perperam bonis temporalibus uſus fuerit, nec illa accipiat, & hæc amittat*; Unde nemo male naturaliter vivens prævenientis gratiæ donum acciperet, quod falſum eſſe demonſtravimus. Docuit profecto Auguſtinus ſemper oppoſitum, ſemper Dei gratiam à ſola Divina voluntate cognoſcens, ut dictum fuit; & in epiſ. 107. ad Vitalem arguens contra Pelagianos aſſerit, unum illuminari à Deo, quia Deus vult, alium non illuminari, quia non vult; loquitur igitur in laudato loco de bono uſu temporalium bonorum non præcisè habito ex viribus naturæ, ſed gratiæ. Chryſoſtomi authoritas ſi ita intelligatur, eſt apertè contra Concilia adducta in antecedente, immo contra ipſum Chryſoſtomum citatum num. 141. in fine, intelligendus eſt ergo de aliis beneficiis, quæ poſt ſufficientem gratiam conferuntur.

156. Ob. 3. authoritatibus Sacræ Scripturæ. Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in Mundum.* Et 2. ad Timot. 2. *Deus vult omnem hominem ſalvum fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sed hoc non eſſet verum, ſi facienti quod in ſe eſt gratiam non conferret, ergo.

Reſp. ut ſupra, probari ex hiſce textibus, Deum dare omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem quantum eſt ex parte ſui, non vero hujuſmodi auxilia dependere ab aliquo opere naturali, quo homo ſe diſponat ad ipſorum conſequutionem, quomodo vero ſit illa voluntas in Deo infra tradetur.

157. Ob. ultimo rationibus. Primo. Vocatio interna & excitatio pendet potiſſimum à voluntate illius, qui vocatur & excitatur, ergo. Prob. ant. pendet potiſſimum ab audienda Evangelii, myſteriorumque fidei prædicatione, ſed audire hanc prædicationem, vel animo proficiendi, vel animo irridendi pendet à voluntate illius qui &c. ergo. Secundo. Interior gratia conſiſtit in illuminatione intellectus, & excitatione voluntatis, ſed illuminatio intellectus, & excitatio voluntatis, cum ſint actiones vitales, pendent ab intellectu & voluntate, ergo. Tertio. Per hoc, quod collatio gratiæ dependeret à propria hominis voluntate, nihil gratiæ derogaretur, prob. per hoc quod collatio gratiæ dependeat à voluntate Miniſtri, media qua multoties Deus homines vocat, nihil gratiæ derogatur, ergo à pari.

158. Reſp. ad primum ne. ant. effectus enim vocationis & excitationis pendent à voluntate, ſed jam vocata, & excitata, non tamen ipſa vocatio & excitatio; ad prob. diſ. mi. audire animo proficiendi, vel irridendi pendet &c. ſed primum habetur per gratiam, ſecundum per propriam voluntatem conc. utrumque per propriam voluntatem ne. mi. & conſ. Quod quis audiens prædicationem irrideat, audientis eſt culpa; quod vero animo intendat, donum eſt Dei. Dictum enim fuit de Lydia purpuraria act. 7. *Dominus aperuit cor ejus, ut intenderet iis, quæ dicebantur à Paulo. Audit*, inquit Auguſt. lib. 1. de peccat. meritis & remiſ. cap. 25., *quippe homo dicentem vel Angelum vel hominem, ſed ut ſentiat & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aſpergitur, quod æternum manet.* Ratio autem diſtinctionis noſtræ eſt illa, quam affert

assert S. T. 1. 2. qu. 112. art. 3. ad 2. nimirum. *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est à Deo* secundum illud Oseæ 3. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Ad 2. ne. mi. loquendo formaliter, & solum est verum effectivè, quatenus intellectus & voluntas post receptionem illuminationis & excitationis agunt cum ipsis. Illas operatur Deus in nobis sine nobis, ut dicam in sequenti quæst. Ad 3. dico, operationem Ministri esse gratiam externam Dei collatam illi, ad quem Minister mittitur, unde nil mirum, si gratia interna potest ab ipsa dependere tanquam à conditione, cum ita gratia gratiam sequatur, hoc non valet in casu.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum ad finalem perseverantiam sit necessaria gratia specialis.

159. De diuturna perseverantia in bono jam actum est, ubi quærebatur, an diu homo sine gratia vitare posset omnia peccata lethalia. Nunc perseverantiam in sensu magis stricto consideramus; atque illa est, qua homo ultimum instans vitæ cum gratia & justificatione connectit. Perseveret homo per omnes annos in fide, in charitate, si pro ultimo instanti vitæ sine fide & charitate decidat, perseverantiam, de qua modo loquimur, nunquam habuit. Plus habuit perseverantiæ, qui per unicum instans fuit cum Christo, & statim in Christo mortuus est, quàm qui semper fuit cum Christo, & sine Christo vitam explevit. Hæc sunt verba mea, sed sensus est Augustini cap. 1. de bono perseverant. De hac ergo inquiritur, utrum sit tale donum, ut supra donum justificationis jam habitæ existimandum sit, nec inquiritur de perseverantia secundum posse, idest in actu primo sed secundum effectum & actum secundum.

160. Sentiendum, ad finalem perseverantiam necessariam esse gratiam specialem distinctam ab illa, per quam habetur justificatio, & gratia habitualis. Hæc est omnium Theologorum sententia, & à pluribus censetur ad fidei dogma pertinere, quod utrum dici possit nec ne, ex probationibus nostris evinci poterit.

Primum fundamentum hujus asserti desumitur ex Doctrina S. Augustini, qui de hac perseverantia librum inscripsit continentem capita 24. in quibus omnibus peseverantia finalis extollitur tanquam præcipuum munus misericordiæ Dei, ejus tamen testimonia omitto, quia cum rationibus à nobis infra exponendis conveniunt.

Secundum & clarissimum fundamentum desumitur ex Doctrina Concilii Trident. quod sess. 6. can. 22. damnat asserentes justificatum sine speciali Dei auxilio posse perseverare. Et can. 16. loquens de perseverantia, illam appellat magnum donum, quæ non valerent, si non esset gratia specialis ab illa distincta, per quam habetur justificatio. Hinc merito orabat David ps. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*. Et ps. 67. *Domini Domini est exitus mortis*. Moveri autem potuit adductum Concilium ad ita definiendum, quod multo ante jam factum fuerat à Concilio Arausicano, sequentibus rationibus, quibus ita assertum suadeo & confirmo.

161. Donum, quod conceditur solis prædestinatis est specialius & distinctum ab eo, quod conceditur etiam reprobis, sed donum perseverantiæ conceditur solis prædestinatis; Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit, & justificationis gratia conceditur etiam reprobis, alioquin reprobi semper essent in peccato, ergo. Præterea; & hoc est argumentum S. Th. 3. contra gen. cap. 155. Quod cum aliquo dono variabile est, ita ut amitti possit, & sæpe amittatur status in quo reperitur, si fiat invariabile, nec amplius amitti possit

possit fieri debet per aliquid specialius, atqui homo per gratiam justificationis variabilis est, ita ut hæc amitti possit, & sæpe amittatur, per donum vero finalis perseverantiæ fit invariabilis, ita ut amitti non possit; *perseverantiam* enim inquit Augustinus lib. 6. de bono perseveran. *multi possunt habere, nullus amittere*, ergo ita fit per donum specialius & distinctum.

162. Ob. 1. Si habenti gratiam habitualem debita est gloria, perseverantia finalis non est donum specialius & distinctum à gratia habituali, sed habenti gratiam habitualem debita est gloria, ergo. Prob. mi. habens gratiam habitualem habet jus ad gloriam, sed habenti jus ad gloriam debita est gloria, ut patet in cœteris juribus ad aliquid, ergo. Neque dicas juxta probationem, esse debitum jus amissibile & variabile, non sic inamissibile, quod per donum perseverantiæ obtinetur. Contra enim. Per gratiam habitualem habetur jus inamissibile ad gloriam, primo quia ipsa est qualitas permanens exigens ex sui natura perpetuitatem; secundo quia per ipsam habetur amicitia Dei & quidem sincera, quæ ex Arist. sine stabilitate non datur, ergo.

163. Resp. acceptando responsionem, jus enim, quod gratia confert ad gloriam, naturam sequitur ejusdem gratiæ, sicut ergo gratia habitualis amitti potest, cum sit in subjecto variabili & defectibili capaci ad suscipiendam formam contrariam, nempe peccatum, ita amitti potest hoc jus ad gloriam. Ad impugnationem, jam habes quid respondeas, scilicet, gratiam habitualem ex natura sua esse qualitatem permanentem & perpetuam, si spectetur secundum se, non autem si consideretur in subjecto in quo est, quod est vertibile & capax formæ contrariæ. Habetur etiam per gratiam amicitia Dei sincera, sed ad hanc requiritur posse perseverare, non actu perseverare, & ad amicum pertinet non recedere ab amico sine causa, quod præstat Deus, qui neminem deserit, nisi prius deseratur, non autem eum in amicitia ita firmare, ut ipsi recedere non permittat, licet possit; cujus ratio est, quia amicitia est satis sincera, si se accommodet extremis inter quæ datur, homo autem, quamtumvis justus, est talis naturæ, ut vertibilis sit, nec postulat, ut ejus vertibilitas removeatur, ergo; non est ex alia parte necesse amicum conferre alteri amico omne, quod potest, præsertim cum agamus de gratia propria status viæ. Quod si Deus id faceret, per gratiam confirmationis faceret, quæ quidem major est etiam ipsa gratia perseverantiæ, nam hæc haberi potest sine illa, illa nequaquam sine ista.

164. Ob. 2. Non plus requiritur ad finalem perseverantiam, quam ad gratiam habitualem, ergo. Prob. ant. finalis perseverantia non est nisi continuatio gratiæ habitualis, sed ad continuationem gratiæ habitualis non plus requiritur, quàm ad gratiam habitualem, ergo. Prob. mi. non plus requiritur ad conservationem formæ; quam ad ejusdem productionem, ergo. Confirm. Primo gratia habitualis est auxilium sine quo nemo potest perseverare, perseverantia actualis est auxilium quo quis perseverat, sed auxilium quo quis perseverat non distinguitur ab auxilio sine quo quis perseverare non potest, ergo. Confirm. secundo. Habens gratiam habitualem habet habitum perseverantiæ, sed habens habitum perseverantiæ habet sibi debitam perseverantiam, ergo. Prob. mi. Cuilibet habitui operativo debitus est concursus ad actum sibi correspondentem, ut patet, ergo.

165. Resp. ne. ant. ad prob. transf. maj. non enim est continuatio utcumque, sed usque ad mortem, ita ut nullum instans vitæ remaneat; ne. mi. ad prob. dis. ant. si forma nullum habeat contrarium conc. si habeat contrarium & sit in subjecto variabili ne. mi. & conf.

tunc

tunc enim requiritur, ut etiam à contrario defendatur, & subjectum reddatur invariabile & fixum. Dixi transf. nam falsum est, etenim agens naturale habet virtutem ad productionem viventis, nec tamen eam habet ad viventis conservationem, ut patet experientia. Ad 1. confirm. responsio communis est non distingui in ratione rei & specifica, distingui tamen in ratione doni magis indebiti; immo inquiunt contingere posse in re majorem gratiam habuisse non perseverantem finaliter, quàm perseverantem, ut probat exemplum relatum ab Augustino penes Gonet. cujusdam, qui usque ad annum 80. perseveravit in gratia justè pièque vivendo, & deinde turpiter reliquum vitæ tempus transegit, & è contra bonus latro tantum pro brevi tempore gratiam habuit, quod & contingit in parvulis decedentibus post baptisma, attamen in ratione doni magis indebiti perseverantia finalis gratiam habitualem non mediocriter excedit, cum non solum indebita sit naturæ, sed etiam ipsi gratiæ habituali, uti probatum fuit; ostendi hoc potest exemplo. Ensis donatus amico vel in circumstantia, in qua se liberet ab inimico, vel in alia, idem est in re, & tamen in primo casu est majus beneficium, præsertim si donetur cum intentione efficaci, per quam infallibiliter ab inimico liberetur. Ita in casu. Hujusmodi responsionem approbo. Attamen brevius negatur minor argumenti, & hoc juxta doctrinam Augustini de correp. & grat. cap. 2. ubi distinguit auxilium sine quo, ut sunt alimenta, sine quibus non vivimus, ab auxilio quo, quod certe non sunt alimenta, quibus etiam non deficientibus non vivimus; quapropter auxilium quo aliquid addit super auxilium sine quo. Hoc igitur includit illud, non è contrario. Ad tertium negatur absolute, perseverantiam finalem esse habitum, & infundi cum gratia habituali quando infunduntur aliæ virtutes vel morales, vel supernaturales. Hoc manifestè constat, nam pluribus gratia habitualis infunditur, nec tamen perseverantiæ finalis dono insigniuntur, sed expresse traditur à S. Th. hic qu. 109. art. 10. & ratio clarissima est ex dictis. Quod si videtur idem S. Th. qu. 173. art. 1. recensere perseverantiam inter virtutes gratiam habitualem subsequentes, ibi non est sermo de perseverantia finali & in effectu, sed tantum de proposito perseverandi, vel etiam de perseverantia diuturna, à qua tamen decidere potest, & multoties decidit.

166. Ob. 3. Donum perseverantiæ non distinguitur ab auxilio efficaci, per quod homo consequitur æternam salutem, sed hoc auxilium efficax est debitum aliquibus saltem indeterminatè, ergo donum perseverantiæ est debitum &c. sed ita non est gratia specialis distincta à gratia habituali, ergo. Ut minor ostendatur, perpendendum est, hanc Christum nobis promeruisse, aliquibus autem saltem promeruit, rursus perpendendum est, quod si aliquibus indeterminatè est debita, jam non est speciale donum, sicut quia aliquibus debitum est cognoscere veritatem, & aliquod opus bonum peragere, hoc à nobis speciali gratiæ non fuit tributum.

167. Resp. conc. maj. dis. mi. est debitum ad ostensionem Divinæ misericordiæ, & ex suppositione Divinæ voluntatis prędestinantis conc. propter exigentiam gratię habitualis ne. mi. & cons. Hinc sicut Divina voluntas, per quam quis prædestinatur est donum distinctum à gratia habituali, ita & perseverantia finalis, sine qua ipsa prædestinatio haberi non potest; Idem dico de meritis Christi; Hæc enim applicata esse aliquibus non nisi ex maxima misericordia Dei ortum deduxit, qui voluit conferre gratiam in circumstantiis prævisis humanæ voluntatis consentientis & cooperantis.

168. Ob. 4. Saltem finalis perseverantia, quæ non sit diuturna v. g. in parvulis, dici nequit speciale donum, ergo gene-

generatim loquendo concluſio noſtra non eſt vera. Prob. ant. primo quia difficilius eſt, conſervare gratiam per diuturnum tempus, quam per horam, aut pauca inſtantia, præſertim quia poſſunt non contingere tentationes, impedimenta virtutis, & occaſiones peccandi, qua propter ſi ad vincendas tentationes leves non eſt neceſſaria gratia ſpecialis ex dictis, neque &c. Secundo. In parvulis hoc donum ad quid daretur? Baptizetur infans, ſtatim moriatur, quare ſalvabitur? propter gratiam habitualem; itaque non eſt quid aliud præter ipſam.

169. Reſpondet huic argumento Sanctus Auguſtinus, & clariſſimis verbis etiam in parvulis, immo maxime in parvulis donum maximum perſeverantiam confitetur, ut ſub initio dixi; quapropter ne. ant. ad prob. diſ. ant. loquendo ſecundum ſe conc. ex circumſtantia mortis conjungendæ cum gratia ne. ant. & conſ. Donum perſeverantiæ finalis non eſt excellentius, quia diuturnum, quia reſiſtens tentationibus graviſſimis, quia magis intenſum, ſed tantùm, quia gratiam à morte non dividit, & ita datur, ut inamiſſibiliter detur. Habeatur iſtud, cœtera non nocent; Deſit iſtud, cœtera non proſunt. O' maximum donum? Sive ergo occurrant tentationes leves, ſive graves, victor ero; Hoc ipſum, quod pro illo inſtanti leves ſint tentationes gratia ſpecialis eſt, deſcendit enim Diabolus habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet. Ad 2. ſalvabitur infans propter gratiam habitualem receptam per baptiſma, quod tamen moriatur ſtatim, vel priuſquam perveniat ad uſum rationis, gratia eſt, & ad hoc datur illi gratia perſeverantiæ.

170. Dices. Ergo donum perſeverantiæ nihil addit, niſi mortem advenire eo inſtanti; ſed hoc eſſe poteſt naturale, & ex alia parte acceleratio mortis dicenda foret ſpecialis gratia, ergo. Sed contra; mortem advenire eo inſtanti eſſe naturale, advenire tamen ex intentione Divina conjungendi illam cum gratia, eſſe ſupernaturale quo ad finem & ex Divina voluntate. Hinc miratur Auguſtinus, & cap. 17. inquit: Videte, quàm à veritate alienum ſit, negare, donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem, cum vitæ, quando voluerit, ipſe det finem. Nemo igitur mortem optat, optaret tamen, ſi illam gratiæ certiſſimè conjungeret.

171. Ex his collige, donum hoc perſeverantiæ non omnibus æquale eſſe, nec poſſe æqualiter explicari; aliquibus enim datur per auxilia interna, per quæ quis proferat actus bonos, ut per illos affirmativa adimpleat præcepta, vel evitet ea, quæ ſunt contra præcepta negativa; aliquibus vero per auxilia extrinſeca ſpectantia ad providentiam Divinam, per quam vult, hominem hunc ſalvum fieri, permittendo, vel potius volendo mortem potius hoc tempore, quam in alio; ideo dicitur Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Et rurſus. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis*.



QUÆSTIO IV.

De modo, quo confertur Hominibus actualis Gratia.

ARTICULUS I.

An sit admittenda divisio gratiæ sufficientis & efficacis.

1. ANtequam aliquid de hac re proponeremus opere pretium esset, Lutheri, Calvini, Baji, & Jansenii historiam contexere, utpote eorum, qui magis in illa errare videntur, & quorum propositiones à Summis Pontificibus damnatæ fuerunt; sed quia hoc tantummodo ad historiam pertinet, atque disertissime scripserunt inter cœteros Eminentissimus Noris, & Honoratus Tournely, Opusculum hoc nostrum legentes, authores istos, si velint, adire consulimus.

De hac divisione jam dictum fuit in prima quæst. nunc videndum est, an merito sit admittenda. Qua in re, ne aliqua contingat æquivocatio in verbis, adnotandum est, efficaciam duppliciter posse considerari; aliquando enim principium, seù causa dicitur efficax in actu primo tantùm, quia non deest ipsi virtus ad præstandum effectum, quantum ad ipsam spectat; aliquando vero iste terminus *efficax* non solum actum primum explicat, sed etiam secundum, ita ut illa causa tali nomine nuncupetur, quæ non tantùm vim habet ad effectum, sed etiam ipsum revera consequitur. Priori modo non esset acceptanda illa divisio, quia quælibet gratia Dei efficax dici debet, & hoc modo Paulus ad Hebr. 4. dicit: *Vivus est sermo Dei, & efficax*. Et ita explicantur Sancti Patres, qui de gratia Dei sermonem habentes illam semper efficacem appellant. Itaque in proposito nostro, illam gratiam efficacem dicimus, quæ semper est effectui conjuncta, in qua contineri gratiam sufficientem patet ex terminis, sicut actus secundus semper actum primum includit, sed hoc ab ipsa distinctionem non adimit, nam licet inveniri non possit gratia efficax sine sufficiente, potest tamen reperiri sufficiens sine efficaci, sicut, licet nequeat esse actus secundus sine primo, potest tamen esse actus primus sine secundo & hoc satis esse ad distinctionem, negabit nemo, qui intelligat. Brevius omnia explicabimus utendo more loquendi Augustini. Gratia sufficiens illa est, quæ afficit voluntatem præbens ipsi virtutem efficiendi actum, si velit, nec tamen vult, efficax vero illa est, quæ afficit voluntatem, & ulterius facit, ut velit, & de facto vult, & ideo non solum refertur ad voluntatem, sed etiam ad actum voluntatis. His ita explicatis.

2. Est dogma fidei admittendam esse gratiam sufficientem & efficacem tanquam donum distinctum, contra Pelagianos, Semipelagianos, Lutherum, & Calvinum, qui lib. 2. instit. cap. 3. §. 10. habet hæc verba. *Voluntatem movet gratia, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea electionis sit, motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo* quibus, aliisque innumeris nullam præter efficacem, gratiam agnoscit.

Prob. primo de gratia sufficiente. Si datur gratia, cui fiat culpabilis resistentia, datur gratia sufficiens, ut manifestum est, sed datur gratia, cui fit culpabilis resistentia, ergo datur gratia suffi-

sufficiens. Prob. mi. Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Mat. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos & noluisti*. Joan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Prætereo quod habetur 2. ad Corint. 8. *Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. 1. ad Corint. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*. Ex quibus compertum est, quod cum plures in vacuum gratiam Dei recipiant, pluresque tentationibus vincantur, detur gratia, cui sit culpabilis resistentia.

Sacræ Scripturæ adduntur Sancti Patres, & pro omnibus sufficiat S. Augustinus à me citatus quæst. 1. ubi de gratiæ actualis divisione actum est; quod tamen amplius in sequenti difficultate demonstrabitur, ideo Sanctos Patres libenter omitto.

3. Prob. secundo de gratia efficaci. Si datur gratia infallibiliter connexa cum effectu, datur gratia efficax, sed datur gratia infallibiliter connexa cum effectu, ergo. Prob. mi. Ezech. 21. *Cor novum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, ut in præceptis meis ambulent, faciantque ea*. Hoc idem cap. 31. Joan. 6. *Omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*. Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Quæ omnia, & alia ferme innumera prætermissa, non probarent, si non daretur gratia infallibiliter connexa cum effectu. Ita est in omnibus Conciliis definitum præsertim Arausicano, ubique distinguente auxilium quo homo possit credere & diligere, & quo credat & diligat. Tridentinum non memoro, cum centies in ipso tradatur hæc veritas. Si vero Patrum dicta placeret afferre, in promptu esset Cyril. de adoratione in spiritu exponens illa verba Gen. 19. de Loth: *Apprehenderunt Angeli manum ejus*, inquit, *efficaci subsidio adjuvat, secundum quod scriptum est, apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me*. Sed sufficiat integer liber, præter plures alios, scriptus pro hac re à S. Augustino de corrept., & grat. præsertim cap. 11. & 12. ubi concludit. *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur*. His omnibus adde quidquid dicitur de prædestinatione, nam negata gratia efficaci deberet per consequens negari prædestinatio. Hæc enim quid est? dicat Augustinus, *esse præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Sed per gratiam solam sufficientem hoc non habetur, ergo debet ulterius admitti gratia efficax.

4. Ob. 1. contra primam de qua est difficultas. Gratia, quam nos sufficientem appellamus, non est gratia, ergo male affertur divisio gratiæ in sufficientem & efficacem. Prob. ant. 1. Gratia, cui est annexum objectum desperationis, non est gratia, sed gratiæ, quam nos sufficientem appellamus, est annexum objectum desperationis, ergo. Prob. mi. Objectum desperationis est beatitudo infallibiliter non futura, sed gratiæ, quam sufficientem appellamus, est annexa beatitudo infallibiliter non futura, cum beatitudo infallibiliter futura sequatur gratiam efficacem, ergo. Hinc, si alicui fieret revelatio, ipsi dandam esse gratiam tantùm sufficientem, posset desperare. Probatur secundo primum antec. Illa non est gratia, quæ non facit nisi hominem peccatorem, sed ita se habet gratia sufficiens, ergo. Prob. mi. data gratia sufficiente homo infallibiliter peccat, ea non data non peccaret, quia non teneretur ad observanda præcepta, ergo. Hanc gratiam propterea nos fingimus, & somniamur, cum nullibi in Scripturis, Conciliis & Patribus nomen hoc inveniatur, & potius ma-

malum quam bonum dicenda foret, sicut si quis daret ensem alicui, quem infallibiliter sciret, se illo occisurum, non beneficium illi impertiretur, sed, uti liceat hoc nomine, maleficium.

5. Resp. gratiæ sufficienti annexum esse objectum desperationis non defectu gratiæ sufficientis, sed defectu liberi arbitrii, & ad illatum jam responsio data est in quæstione de Spe. Homo etiam infallibiliter peccat, sed ex suo libero arbitrio nolens uti gratia, non ex defectu gratiæ, hæc enim datur tantùm ex affectu, ut homo possit non peccare, immo possit salutariter operari, oritur ergo peccatum ex defectu liberi arbitrii, & ex non usu gratiæ, quam respuit homo, qui posset non respuere, respuit autem, quia habens posse, non habet velle, quod ad gratiam efficacem pertineret. Ex hoc patet ad ultimum, quia ensis indifferens est ad occisionem etiam sui, gratia autem sufficiens non est indifferens etiam ad malum, sed tantum præstat vires ad bonum; Licet autem termini isti gratiæ sufficientis & efficacis non reperirentur explicitè in Scripturis, Conciliis, & Patribus, reperiuntur tamen æquivalenter; sed falsum est non reperiri. Audiant S. Augustinum 3. de libero arbitrio cap. 16. dicentem: *Ex eo quod non facit, quod debet, est reus, debet autem si accepit & gratiam sufficientem, & liberum arbitrium*.

6. Ob. secundo. Gratia dicta sufficiens est verè insufficiens & frustranea. Prob. Illud est insufficiens & frustraneum, quo dato requiritur ulterius auxilium ad operandum, sicut ad trahendum currum male diceretur sufficiens unus homo, si alio opus esset, sed data gratia sufficiente requiritur ulterius auxilium ad operandum, ergo. Præterea. Cur non dicetur frustranea illa virtus, quæ nunquam suum pertingit effectum? hujusmodi autem est gratia sufficiens.

Resp. ne. ant. ad prob. dis. maj. quo dato &c. si neque tribuit posse operari conc. si tribuit ne. maj. in nostro autem casu requiritur ulterius auxilium; quo habeatur actu operari, non posse, ideo &c. atque ex hoc habetur disparitas pro adducto exemplo, nam ad trahendum currum necessarius est alius homo non solum ut trahatur, sed etiam ut trahi possit. Ad ultimum; Frustranea est illa virtus, quæ non habet effectum defectu sui, non sic vitio alieno, ut in re nostra.

7. Dices. Ergo ex hisce omnibus sequitur, gratiam non esse efficacem propter malum usum liberi arbitrii, ergo ex bono usu fiet efficax; Hoc autem non est dicendum, alioquin efficacia gratiæ non erit à Deo, sed à libero arbitrio.

8. Non dici deberet in subsumpto *propter malum usum liberi arbitrii*, sed propter *non usum gratiæ*, & abusum libertatis, neque enim gratia male uti possumus. Quo dato instantia corruit; Si enim quis gratia non utatur, profecto illi non confert inefficaciam, sed solum ejus efficacia non utitur.

Nullus ex Doctoribus usque modo ita respondit; sed instantiam istam satis difficilem, quomodocumque gratia explicetur, esse profitentur, quamvis ferme omnes vel eam effugiant, vel dissimulent. Nos vero ut rem totam exploremus.

ARTICULUS II.

A' quo proveniat gratiam sufficientem esse inefficacem.

8. CUM ex dictis constet gratiam sufficientem ab efficaci esse distinctam, proinde inefficacem quantum ad operationem censendam esse, videndum occurrit à quo inefficacia ista progrediatur. Certum autem est, à nullo alio capite proficisci posse, quàm vel ex natura ejusdem gratiæ efficacis, vel à Deo ipsam largiente, vel à creatura cui datur.

9. Ex natura ejusdem gratiæ sufficien-

cientis oriri videtur, quia sumpta secundum se, nisi aliud superaddatur, ita est limitata, ut absolutè sit inefficax, ex quo inde sequitur, saltem indirectè & negativè hujusmodi inefficaciam Deo tribuendam esse, qui voluit concedere auxilium tantùm sufficiens. Hujus autem ratio desumitur ex quo sicuti auxilium efficax est ex natura sua efficax, ita auxilium sufficiens est ad actum ex natura sua inefficax, & ex quo auxilium sufficiens præcisè nunquam assequitur effectum suum, quod ex se inefficax esse declarat.

10. Oritur à Deo illam largiente, quia Deum gratiam suam ad operandum largitur cui vult, cum sit Dominus suorum auxiliorum, & ita servatur illud: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Atque hoc dicendum videtur, non tantùm si admittatur auxilium de se efficax & prævium, sed etiam si admittatur solummodo congruum, nam etiam hoc sua sola voluntate donat, ergo à solo Deo oriri potest auxilii sufficientis ad actum secundum inefficacia. Ad hoc amplius ostendendum plurima Sancti Augustini testimonia non desunt, præsertim de prædestinat. Sanctorum cap.8. ubi inquit de gratia efficaci, *occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, & à nullo corde respuitur, ideo enim tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur*. Et ita, addit, doceri filios promissionis, ita vero non doceri alios in massa perditionis relictos, quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Ergo ex Augustino à sola Dei voluntate gratiæ inefficacia proficiscitur.

11. Neutrum tamen ex his dicendum esse existimamus, sed asserimus, solam voluntatem humanam istius inefficaciæ esse causam.

Et primo declarandum est, hujusmodi inefficaciam à Deo oriri non posse, quia ita velit; ex nullo autem capite melius hoc declarari potest, quæ ex plurium Scripturarum testimoniis, quæ à nobis adducta sunt, ubi gratiam sufficientem dari probatum est num. 2. Id etiam verum non esset quod legitur Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Sed perditionis causa esset Deus, & non auxilium, sed potius auxilii defectus esset à Deo. Quo pacto etiam servaretur, Deum velle salutem omnium hominum, & nolle mortem peccatoris, sed conversionem & vitam? fingeret unum velle, & aliud nollet, si ipse auxiliorum sufficientium causaret.

12. His suffragatur & ratio. Si à Deo oriretur in sufficientia & inefficacia gratiæ, hominis peccatum esset Deo tribuendum, sed hoc non, ergo. Prob.maj. Hominis peccatum per hoc fit, quod in rebus præceptis, & ad salutem necessariis fiat vacua gratia Dei, ideo monemur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, sed si à Deo oriretur inefficacia gratiæ, gratia Dei fieret vacua à Deo, non ab homine, ergo. Immerito propterea fieret comminatio illa proverb. 1. *Quia vocavi & renuisti &c. ego autem in interitu vestro ridebo*. Nec verum esset quod dixit Christus Joan. 15. Hebræis. *Si non venissem &c. nunc autem excusationem non habent de peccatis suis* excusare se enim potuissent dicendo, peccavimus in te, quia adventum tuum nobis inefficacem esse voluisti.

13. Hæc est Doctrina à Sanctis Pattibus tradita, pro quibus omnibus unus loquitur Augustinus: *Cur*, inquit lib. 1. ad Simplic. qu. 2. *noluit Esau & non cucurrit &c.* respondet, *quia si voluisset, & cucurrisset Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere tribuisset, nisi vocatione contempta reprobus fieret*. Ergo ex sola Esau voluntate descendit, vocationem illam fuisse inefficacem. Quid de Pharaone in lib. 83. quæst. quæst. 68. sentit? Fuit iste vocatus, sed *quia vocationi obtemperare noluit* obdurationis pœna mulctatus est. Quid de illis, qui ad cœnam vocati non venerunt? *Neque illi*, subdit, *qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm*

tùm sibi, quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Sicut de illis, qui vocati venerunt, ait; *Neque illi sibi debent tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt*. Clarissimè tamen pro re nostra quærit lib.2.de peccat. meritis cap. 17. quare, cum voluntate humana gratia adjuvante homines sine peccato esse possint, & non sint; & respondet. *Facillimè possem respondere, & veracissimè, quia nolunt*. Sed cur nolunt? subdit Doctor; *Ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo*. Ex quibus expressissimè constat, sufficientis gratiæ ad actum inefficaciam nequaquam Divinæ voluntati esse tribuendam.

14. Sed ex iisdem constat etiam, solam hominum infirmam ac liberam voluntatem hujus causam esse inefficaciæ, ipsamque gratiam sufficientem ex natura sua inefficacem non esse, quia, ut dicebatur, cum hujus gratiæ natura à Deo sit, saltem indirectè hoc esset à Deo; attamen pro hac parte sic ultra progredior. Inefficacia gratiæ per ordinem ad actum secundum ideo esset, quia ipsam recipiens non operatur, sed hoc non oritur ex ipsius natura, ergo. Prob. mi. gratia sufficiens, ut sit proximè sufficiens, debet ita concedi subjecto, ut hoc habeat omnia requisita ad agendum, quamvis postea non agat, sed quod non agat, non oritur ex natura gratiæ ipsi concessæ, sed quia subjectum, utpote liberum, nolit operari, vel quia Deus nolit concurrere, ergo. Non potest autem tribui Deo nolenti concurrere, primo quia non haberetur sufficiens requisitum; secundo quia actus soli Deo tribueretur, sicuti virtuti ignis in fornace babylonica non fuit tributa non combustio, sed Deo, qui concursum suum igni negavit, ergo.

15. Ex his omnibus rectè servantur ea omnia, quæ penes Concilia & Patres inveniuntur qualia sunt, *Deum neminem deserere, nisi prius deseratur*. Deum enim à nobis deseri, est, nos ipsius gratiæ nostra libertate resistere; Deum autem nos deserere, est, ipsum ex nostra culpa illo nos auxilio proximo privare, vel gratia habituali propter peccata destituere. *Omnes, licet absolutè perseverantiæ suæ certi esse non possint, attamen debere in Divino auxilio firmissimam spem collocare, quia Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Quæ, & alia similia vera esse non possent, nisi gratia sufficiens daret omne, quod requiritur ad proxime operandum.

16. Resp. nunc argumento allato pro priori parte ne. ant. ut infra ostendetur, ubi de gratiæ efficacia pertractabitur; respondeant propterea, qui antecedens illud propugnant. Ad secundum in primis falsum est quod in antecedente dicitur, nam, ut infra dicam, potest idem auxilium sufficiens in uno habere effectum, non in alio; deinde, quod effectum non habeat, est ex ejusdem auxilii natura, sed propter subjectum in quo est, & quod ipsi resistit, & hoc clarè videt Deus in sua præscientia, in qua videt tum virtutem auxiliorum, tum liberas determinationes voluntatis humanæ.

17. Pro alia parte, quæ ad Deum pertinet, argumentum satis urget prædeterminantes, non est tamen eadem ratio de auxilio congruo, quia hoc datur quidem liberè à Deo, attamen usum libertatis non antecedit, sed subsequitur, quod enim non sit congruum provenit ex non usu libertatis, quia congruum fieret, si vellent, ut possunt, homines auxilio cooperari. Qua in re advertendum est, esse duo valde diversa, esse in hominis potestate facere, ut Deus ipsi præbeat auxilium, quod Deus prævidet congruum, & esse in hominis potestate facere, ut auxilium sufficiens, quod illi datur sit congruum; Hoc secundum asserimus, & exigitur à natura ipsius auxilii sufficientis; Primum vero est in sola Dei libertate & dispositione. Directè igitur respondendo argumento conc.ant. ne. cons. ita enim donat auxilia congrua, & in-

& incongrua, ut omnia liberè donet, sed prævideat, horum incongruitatem futuram esse in nostra libertate, cujus non usum ipse permittit, sed non causat; liberè itaque Deus sua auxilia distribuit, sed quod hæc incongrua sint, non est à Deo. Ad verba Augustini nunc venio, sed jam veni, si rectè doctrina superius adducta perpendatur. Siquidem illa omnia vera sunt juxta præscientiam suam, & juxta prævisum consensum futurum, non autem absolutè & ex intrinseca natura dati auxilii, ideo dum dicit, hoc datum esse, ut cordis duritia auferatur, hoc non est intelligendum de cordis duritia in præscientia Dei, sed præcisè in se, & in hoc sensu explicandus est in omnibus aliis, quæ hisce simillima tradit, sicut dum dicit, relictos esse, qui credere potuissent, explicandus est de potestate reducenda in actum, si Deus illos vocasset, in quo apparet magis, Deum auxilia dare pro sui liberalitate, dare prævidendo illa esse congrua, dare prævidendo non futura congrua, non dare etiam prævidendo futura congrua, si daret; & in hoc servatur tum maxima ejus misericordia, si dat, tum maxima ejus justitia, si non dat, quod est maximum mysterium, quod incunctanter Augustinus affirmat, se autem non intelligere, fateri non erubescit, sed admirari ac venerari testatur.

18. Remanet tamen, inquies, semper in suo robore difficultas proposita, nimirum, ergo efficacia gratiæ habetur ex libero arbitrio, non à Deo, per hoc quod arbitrium cooperetur. Sed an non satis responsum est, à Deo libere dari hanc gratiam? dependeat tamen ejusdem efficacia à libero arbitrio, hoc non erit secundum se, sed ut prævisum consensurum non per vires proprias, sed per vires illius gratiæ, cui assentietur, & propter quam assentietur, sicut in actu fidei credit Divinæ revelationi, & credit propter Divinam revelationem.

19. Ergo inquies, prævisio consensus liberi est causa istius gratiæ congruæ, sicut prævisio non consensus est causa gratiæ incongruæ. Male deducta est hæc consequentia; nam non ideo consensus liber erit, quia prævidetur, sed ideo prævidetur, quia erit, & ex consensu libero habetur quidem efficacia gratiæ, non tamen ex ejus prævisione tanquam ex causa formali, sed tanquam ex modo necessario spectante ad Deum omnia futura infallibiliter cognoscente; Quod si ex hujusmodi prævisione totum hoc derivaret, jam Deus prævidendo alicujus consensum, teneretur ad dandam gratiam, cui homo prævisus consensurus assentiretur, hoc autem falsum est, pluribus enim occulta nobis causa denegat gratiam, cui, si daretur, obtemperarent. Clarissimum est exemplum illud tam celebre de Tyro & Sydone, qui in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, si virtutes illas vidissent, quæ Corozaim & Betsaidæ factæ fuerunt.

20. Ita nos respondimus argumento difficillimo, & conati sumus mysterium maximum declarare; Utrum vero possint hoc pacto se expedire, qui physicam prædeterminationem tam acriter sustinent, arduum mihi videtur. Hoc certum est; potius negandum esse, gratiam esse ab intrinseco efficacem, quam gratiæ inefficaciam Deo esse tribuendam.

ARTICULUS III.

Utrum gratia efficax inferat voluntati necessitatem.

21. Dogma Catholicum nunc pertingo, ut inde quæstionem inter Catholicos liberam relinquam, atque expeditam. De Pelagio dictum est satis, ideo gratiam Divinam denegasse, quia creatæ libertati damnum inferre existimabat, atque ut defenderet contra Manichæos arbitrii libertatem, gratiam penitus destruebat. Lutherus vero cum suis, ut Pelagium evitaret, factus est omnino Manichæus, & ut contra ipsum gratiam extolleret, adeo depressit

pressit arbitrium, ut nullum remansisse voce scriptoque doceret. *Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo* ait in art.36. inter eos, quos Leo X. damnavit; & in assertione eorumdem articulorum: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, sed titulus sine re.* Idem asserit Calvinus in antidoto ad can. 5. sess. 6. Concilii Tridentini; lib. 1. de libero arbitrio hæc habet. *Nego gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis vel obtemperare, vel refragari.* Contra istos, utpote recentes hostes & omnia devastantes præsens difficultas instituitur, brevius quantum potero, non ita vero, ut aliquid pro ipso, vel contra ipsum omittatur. Non est autem cur modo probemus, dari hujusmodi gratiam efficacem, cum nec ab ipsis negetur, & jam de hac re actum sit art. 1. hujus quæstionis. Superest igitur demonstremus, hujus gratiæ efficaciam minime libertatem creatam destruere.

22. Atque unde melius demonstrari poterit, quàm à Scriptura Sacra exordium sumendo? Nova non proferam, semper tamen vera. Ecclesiast. 15. legitur: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta, si volueris mandata servare, conservabunt te; Apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam, ante hominem vita & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hoc testimonio clarius nullum afferri potest. Quid est hominem esse in manu consilii sui, nisi hoc vel illud eligendi potestatem habere? Non est profecto beatus in manu consilii sui, ut Deum videat, quare? quia proximè necessario videt; Dari etiam mandata circa necessaria quis dicet? Tandem conditio illa *si volueris* supponit posse nolle, & multoties velle, ergo.

23. Sentiunt & Hæretici cum Calvino hac auctoritate nimium se premi; Quod ergo effugium sibi quærunt? Dicunt, hoc dictum esse de primo homine innocente, post ejusdem vero lapsum potestatem hanc amissam esse; vel etiam concesso, hominem lapsum secundum se spectatum eam retinere, attamen per Divinam motionem ad unam partem necessitari.

Sed neutrum ex his potest ipsis, si velint rectè perpendere, suffragari; Non primum, etenim libertas hæc erat indita homini tanquam naturalis voluntatis proprietas, per peccatum autem nihil, quod naturale erat, deperditum est, ut toties diximus, & sapiens in allato textu loquitur sicut in alio cap. 13. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & quis post aurum non abiit; nec speravit in pecuniæ thesauris &c. qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala & non fecit*, sed hìc loquutus est de homine etiam post lapsum, ergo & ibi. Quod si nolint, saltem ex hoc ultimo convincentur, sicut ex alio nu.3. *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat:* Non valet secundum, primo quia illo admisso etiam in statu innocentiæ præfata libertas non fuisset, cum etiam pro eo homo regeretur generali providentia Dei, istiusque motione indigeret; Secundo quia Dei providentia, & motio data est ad naturam adjuvandam perficiendamque, non vero destruendam, nec probari potest tanquam verosimile, Deum arbitrio suo talem providentiam statuisse, quę creaturam rationalem sua libertate privaret; nam sicut ait S. August. lib.7. de Civit. cap.30. *Deus sic administrat omnia, quæ creavit, ut rebus omnibus suos motus proprios agere sinat.* Potiori ratione id in voluntate continget.

24. Sed cur in novatoribus impugnandis, eorumque frivolis evasionibus respondendo diutius immorabor? An latet, veritatem nostram apertissimis verbis ferme ubique à Concilio Tridentino fuisse explicatam & definitam? Sed Concilium hoc audire nolunt. Audiant ergo Arausicanum can. 18. 15. & 25. statuens; Hominis arbitrium per peccatum infirmum à Divina gratia corroborari, ut per istam possit, quod sine ipsa non posset, & quidem libere, cum subdat

dat

dat de hominibus, *volentes agunt*, *quod agunt*. Audiant Toletan. 4. cap. 65. inquiens; *Sicut homo propria arbitrii voluntate Serpenti obediens periit*, *sic*, *vocante se gratia*, *propriæ mentis conversione quisque salvatur* audiant tandem Senonen. in decreto fidei cap. 15. affirmans, *gratiam efficacem non esse talem trahentis auxilium*, *cui resisti non possit*. Deinde inferant necesse est, ergo gratia efficax libertatem non adimit.

25. Contendit tamen Lutherus aliqua ex Scripturis pro suo errore proferre. Illud autem summopere promovet, quod legitur Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli*, *sic vos in manu mea* cui simile est aliud Isaiæ. 45. *Nunquid dicit lutum figulo suo*, *quid facis*? & aliud ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliquod quidem vas in honorem*, *&* *aliud in contumeliam*? Sicut igitur luto nulla facultas conceditur per quam agat circa formam, quę ipsi imprimitur, ita voluntas humana nullam facultatem habet, per quam agat in operibus gratiæ, quam ipsa recipit.

26. Sed si Scripturas adductas in sensu Hæreticorum admittimus, destruantur oportet omnes alię Scripturę, in quibus dicitur hominibus *convertimini ad me*, & exhortantur ad certam suam vocationem, & electionem per bona opera faciendam. In illis igitur textibus non est attendenda omnis prorsus similitudo, sed dumtaxat maximum dominium Dei, qui posset, si vellet, ita de hominum voluntate disponere, sicut figulus de luto, immo tanto magis quanto quodcumque dominium humanum exceditur à Divino; Magnum tamen in reliquis est discrimen, quod satis ex supradictis colligitur, ut perpendenti compertum erit. Novit hoc ipse Calvinus, qui desipientes illos existimavit, qui dicerent; motionem hominis à motu lapidis non differre, & asseruit in naturali hominis facultate esse approbare, respuere, velle, nolle &c.

27. Si autem Calvini rationes examinamus ad sequentes revocari possunt. Prima; Gratia efficax datur hominibus per voluntatem Dei efficacem, per quam vult hominem infallibiliter effectum consequi, & actu operari, atqui voluntas Dei efficax non solum infallibiliter, sed etiam necessario infert effectum, nam voluntati ejus quis resistet, aut resistere potest? ergo. Secunda. Voluntas in operibus gratiæ positis omnibus requisitis ad agendum non est indifferens ad actionem vel non actionem, ergo non est libera. Prob. ant. Ut voluntas in operibus gratiæ habeat omnia prærequisita ad agendum, debet habere gratiam efficacem præcedentem quemcumque actum voluntatis, nam si hanc non habeat, nunquam voluntas aget; sed sub gratia efficaci præcedente quemcumque actum voluntatis, voluntas non est indifferens ad actionem vel non actionem, quia per illam determinatur, & cum determinatione non est indifferentia, præsertim quando est antecedens, ut in casu, ergo.

28. In hisce aliisque rationibus diluendis nos non immorabimur, utrum probent nec ne, cogitent illi qui gratiam ab intrinseco efficacem affirmant. Hic tantum pro re nostra aliqua Augustini testimonia subjiciam, cum soleat in contrarium afferri. Lib. 3. de libero arbitr. cap. 1. ait præclarissimus Doctor. *Nulla culpa ostendi potest*, *ubi necessitas dominatur*. Lib. 1. contra Faustum, & cap. 5. de Civit. cap. 10. inquit: *Multa facimus*, *quæ si nolemus*, *non utique faceremus*. *Quo primitus pertinet ipsum velle*, *nam si volumus*, *est*, *si nolumus*, *non est*. Tandem, ut plurima prætercam, lib. de grat. & lib. arbit. cap. 3. hæc habet. *Cui dicitur*, *noli vinci à malo*, *arbitrium sine dubio voluntatis ejus convincitur*, *velle enim & nolle propriè est*. Quapropter illam tantum necessitatem asseruit Augustinus, de qua à nobis dictum fuit qu. 3. art. 1. sub initio. Qualis autem debeat esse hæc libertas dicam in quæstione de merito.

ARTICULUS IV.

Utrum efficacia gratiæ consistat in aliqua physica qualitate, quæ intrinsecè efficax sit.

29. ARduissimum, quod est in hoc tractatu, opus aggredimur, tot jurgiorum originem, tot Scholasticorum dissidium, nunquam vero pro aliqua parte resolutum, nec, ut opinor, resolvendum, immo, ut asserit Puteobonellus, Summorum Pontificum auctoritate in acri disputatione prohibitum; Laudatum Doctorem, fateor, in hac re libenter sequerer, atque cum ipso vel calamum infringerem, vel suspenderem. Quia tamen Theologum virum omnia, quæ apud Scholasticos pertractantur, scire decet, ac explicare, ideo me ipsum cohibere non possum; & quia difficultas hæc ex æquo resolvi non potest, nisi præmissa quæstione de Divina cognitione futurorum, ideo prius hanc liceat producere, sicut se gerit Pater Suarez, & à se fieri non potuisse conqueritur Tournelij.

DISPUTATIO UNICA.

De Divina scientia circa futura.

ARTICULUS I.

An Deus cognoscat futura.

1. PRemittendum est, multifariam aliquid esse futurum. Primo necessario, non quidem necessitate simpliciter dicta, ita ut nec de potentia Dei absoluta ipsi repugnet non esse, siquidem hujusmodi existendi modus soli Deo convenire potest, sed quia pendet à causa necessaria, quæ naturaliter impediri non potest in sua operatione attenta ipsius natura & concursu Dei ut authoris naturalis. Secundo contingenter, & est illud, quod ita erit, ut tamen possit non esse; & hoc bifariam, vel secundum quid & ab extrinseco, idest, quamvis pendeat à causa necessaria nec indifferenti ad operandum vel non operandum, nihilominus potest ejus operatio impediri ex concursu aliarum causarum, ut sunt influxus alicujus astri, vel fructus alicujus plantæ; vel simpliciter & ab intrinseco, idest, dependens ab aliqua causa libera habente facultatem ad aliquid efficiendum, vel non efficiendum, ut sunt actus voluntatis creatæ, & in hoc sensu appellari possunt contingentes etiam actus Divinæ voluntatis ad extra, ut docent Scot. in 1. dis. 38. Gabriel, Palacios, & Capreol. dico in hoc sensu, nam si contingentia rei præter indifferentiam aliquam imperfectionem, & mutabilitatem significat, plane actibus Divinæ voluntatis hæc foret denegānda. Tertio hoc futurum contingens dividitur in absolutum & conditionatum. Primum illud est, quod pro aliqua temporis differentia revera erit, nec ejus existentia ab aliqua conditione suspenditur v.g. *Petrus sedebit*. Secundum vero è contra, v. g. *si Petrus audiet concionem, convertetur*.

2. Præmittendum secundo; in quacumque propositione affirmante rem aliquam sub conditione futuram, tria adinveniri. Primo conditio, sub qua res affirmatur. Secundo res ipsa, quæ affirmatur. Tertio respectus conditionis ad rem affirmatam. Ver. gr. *Si Petrus legeret confessiones Sancti Augustini, converteretur*. *Si Petrus legeret* est conditio, verbum illud *converteretur* est res sub

sub conditione affirmata; ordo autem, seù connexio, quæ reperitur inter lectionem & conversionem, est respectus conditionis. Porro hujusmodi respectus multiplex esse potest; aliquando enim conditio esse potest metaphysicè, ut ajunt, connexa cum conditionato, ita ut ea posita hoc sequatur. V. g. *si Sol esset, dies esset. Si homo esset, risivus esset*. Aliquando potest metaphysicè repugnare conditionato, ita ut ea posita sequatur impossibile. Ver. gr. *Si Petrus curreret, non moveretur*. Aliquando potest esse contingenter connexa cum conditionato, & tunc est, quando conjungi potest tam cum re affirmata, quàm cum opposito; & hoc etiam bifariam. Primo ita ut quamvis cum utroque extremo conjungi possit, attamen magis ad unum, quàm ad aliud inclinet. Secundo ita, ut disparatè omnino ad utrumque se habeat; exemplum primi est. *Si Petrus legeret &c. converteretur*. Jam vides cum lectione conjungi posse conversionem & non conversionem, attamen lectio magis propendet ad conversionem; exemplum secundi. *Si Petrus Romæ curreret, Paulus Venetiis sederet*. Jam vides, Petri cursum cum Pauli sessione omnino disparatè se habere. Quod à Theologis inquiritur, revocatur tantum ad futurum conditionatum contingens, quando conditio conjungi potest cum uno, & potest conjungi cum altero; & locum præcipuum habet in actibus dependentibus ab humana voluntate, quæ secundum se in actu dicto primo proximo ad utramque partem contradictionis indifferens est. Hæc primo statuta sunt, ut sequentibus difficultatibus via sternatur, quas per distinctos paragraphos, quantum humana imbecillitas permittet, implorato prius Dei auxilio, non contentionis animo, sed indagandæ veritatis, quantum fieri potest, studio resolvemus.

§. I.

Utrum Deus certissimè cognoscat omnia futura absoluta.

3. DEUM certissimè cognoscere omnia futura negarunt plures, in primis Cicero lib. 2. divinat. qui, cum ignoraret, quo pacto scientia Divina cum humana libertate componi posset, maluit servare hominum libertatem, quam Dei scientiam, quem redarguit S. August. 5. de Civit. cap. 9. dicens, *ut homines faceret liberos fecit sacrilegos*. Joan. Hus omnino oppositum docuit, atque ut Dei scientiam defenderet, hominis libertatem negavit, ut habetur in Concilio Constantiensi sess. 25. Marcion. teste Tertulliano lib. 2. adversus ipsum, sensit, aut Deum non omnia scire, aut bonum non esse, nam sciens, hominem primum in peccatum labi, passus fuisset; Sociniani tandem cognitionem quidem futurorum Deo concesserunt, sed solum ex quibusdam conjecturis & verosimilibus rationibus deductam, non vero firmam & certam. Contra quos.

Dicendum. Deum certissimè cognoscere omnia futura contingentia absoluta etiam libera.

4. Ad ostendendam hanc veritatem innumera afferri possent Sacræ Scripturæ testimonia, quæ apud omnes Doctores Theologos inveniuntur. Jerem. 1. *Priusquam te formarem in utero novi te*. Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti*. Sap. 8. *Signa & monstra scit; antequam fiant*. Joan. 6. *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, & quis traditurus eum esset*. Hæc profecto futurorum scientia est propria Divinitatis nota, & certissimum argumentum, quare Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum & sciemus, quia Dii estis vos*. Et merito Tertul. lib. 1. contra Marcionem. *Hujus præscientiæ tot Deus habet testes, quot Prophetas*. Qua in re plures

alios Sanctos Patres in ſequentibus aſſeremus.

5. Quamvis vero plures Doctores Catholici citati ab Ariaga diſ. 20. ſec. 1. arbitrati ſint, hanc ſcientiam in Deo non poſſe evidenti aliqua naturali ratione demonſtrari, ſed ſolummodo juxta revelata credi, nihilominus contrarium liquet, ſi entis perfectiſſimi, quod procul dubio Deus eſt, naturam & notionem inconſideratam non relinquamus. Ad hanc enim pertinet ad ea omnia ſe extendere, quæ veritate objectiva non carent, & ſicuti Divinæ ſubſtantiæ nihil addi poteſt, ita nihil Divinæ ſcientiæ, quæ eſt ipſa Dei ſubſtantia; futura autem ſuam habent veritatem objectivam, ut inde oſtendemus, ergo. Quamobrem Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 7. inquit: *Ita omnia cognovit, ut nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint expectentur, ut veniant, ſed & præterita & futura cum præſentibus ſint cuncta præſentia*. Ex quibus conſtat, quanta fuerit Socini dementia Deo ſcientiam ſolummodo conjecturalem concedere.

Neque ſatis eſt, ipſum aliquorum futurorum notitiam non denegare, non autem omnium, quo dicendi modo expoſitas Scripturas ſe explicare arbitratur; probat autem aſſumptum ſuum, ex quo pluries in Scripturis Sanctis adhibeatur particula *forſitan* quæ dubitantis eſt animi. De hac re infra, cum hujuſmodi reſponſio militet contra cognitionem certam futurorum ſub conditione.

6. Præſtat modo aliqua proponere ac refellere, quæ, admiſſa hujuſmodi ſcientia in Deo, tanquam inconvenientia ſequi videntur. Primo nihil liberè ponendum eſſe, ſed quodlibet neceſſario eſſe futurum. Prob. Quidquid eſt objectum Divinæ ſcientiæ, neceſſario debet eſſe ſicut à Divina ſcientia cognoſcitur, ergo ſi Deus omnia futura certiſſimè ſcit, nihil erit libere & contingenter futurum; hujus ratio eſt, quia ſcientia Divina falli non poteſt, neque mutari; ſicut autem ſi res diverſimode eveniret, quàm à Deo cognoſcitur, revera ſcientia Dei falleretur & mutaretur, ita ſi poſſet diverſimode evenire poſſet falli ac mutari juxta commune illud, *quod facit actus actu facit potentia poſſibiliter*. Secundo; ſuperfluam eſſe omnem noſtram curam & ſolicitudinem circa res futuras, quia non aliter erunt, quam ſint à Deo cognitæ; atque ad hoc punctum revocatur celebre argumentum illud; Vel Deus ſcit, me eſſe damnandum, vel æternam beatitudinem aſſequuturum; ſi primum, quidquid boni faciam damnabor, ſi ſecundum, quidquid mali faciam, ſalvus ero.

7. Nullo tamen pacto id aſſerendum, & jam primum argumentum à me rejectum fuit, dum in quæſtionibus Philoſophicis de futuris contingentibus inquirebam, quam Doctrinam ibi traditam hic innovare non placet. Interim vero magis oſtendo juxta præſens ſyſtema, quod inſtituo. Scias, non ideo aliquid eſſe futurum, quia de eo eſt Divina præſcientia, ſed ideo eſſe Divinam præſcientiam, quia aliquid eſt futurum, quod ſuo loco ex profeſſo probabo, quo dato jam vides, adhuc futura contingenter, & libere evenire, quamvis à Deo certiſſimè cognoſcantur, ſic enim indefectibilis hujus neceſſitas nullam ipſis infert neceſſitatem, neque ex quo ipſa ſint ita futura ut poſſint non eſſe, quod ſibi poſtulat eventus alicujus libertas, evincitur, ſcientiam Divinam mutari poſſe, quia in priori ad Divinam ſcientiam ita erant futura, ut poſſent non eſſe, & ita à Deo cognoſcebantur. Cœterum; etſi ingenii noſtri imbecillitas, modum Divinam præſcientiam cum humana libertate conciliandi ignoraret, adhuc negandum non eſſet, vel Deum certo futura cognoſcere, vel hominem in ſuis operationibus liberum eſſe, cum utrumque ex Divinis Scripturis, Patribus, & Conciliis habeatur. Jam pro Divina ſcientia dictum eſt, de humana vero libertate & dictum & dicendum.

Ex

Ex superiore Doctrina colligitur, vanam non esse curam, nostramque solicitudinem in rebus ad nostram salutem, vel ad temporaneam vitam pertinentibus, siquidem, quidquid futurum est præscivit Deus, sed præscivit esse futurum dependenter à nostra cura & solicitudine, quæ futura vel non futura erat, antequam à Deo prænosceretur, & si hæc cura & solicitudo negligeretur, nec æterna salus obtineretur, nec obtinendam Deus præscivisset. Sed de hoc argumento iterum erit sermo, ubi de Divina prædestinatione tractabitur. Cur ergo Deus, si omnia futura novit, damna permittit, cum tamen, ut omnipotens illa posset impedire? Hoc cum Marcione non diceres, si menti occurreret quod inquit Augustinus in Enchir. tom. 3. cap. 25. *Melius judicavit de malis bene facere, quàm mala nulla esse permittere*. Quod si malus vivit, vel ideo vivit, ut corrigatur, vel ut per illum bonus exerceatur ait idem in psal. 54. Utcumque autem res se habeat, omnia etiam mala in gloriæ justitiæque suæ manifestationem convertit, si male agens non resipiscat, in misericordiæ vero argumentum, si resipiscat.

§. II.

Utrum Deus certissimè cognoscat omnia futura conditionata.

8. IN hac re fuerunt veteres aliqui Thomistæ physicæ prædeterminationis assertores, qui timentes, semel concessa scientia conditionata in Deo, se concedere scientiam mediam, eam denegarunt, in quo etiam erravit Pater Madernus qu. 4. de scientia Dei art. 14. hæc habens. *Ut hæc quæstio breviter decidatur, si probabitur à nobis, dari hanc scientiam conditionatorum in Deo, dico, debere etiam vocari scientiam mediam, seu scientiam conditionatam.* Quod, quàm falsum sit, constat ex omnibus illis Doctoribus Thomistis, qui acerrimè scientiam mediam rejicientes, scientiam tamen conditionatam in Deo affirmant, & quidem merito. Nam scientia media est quidem conditionata, sed ipsi nullum præsupponitur decretum, scientia autem conditionata juxta prædeterminantes habetur dependenter à Decreto, non quidem absoluto, sed conditionato, modo quo à nobis suo loco declarabitur. Nunc interim præscindendo à medio, quo Deus hæc futura conditionata cognoscit.

Dicendum. Esse in Deo scientiam conditionatam.

9. Ad hoc probandum primo duo sunt in Scriptura Sancta satis nota, sed clarissima testimonia. Primum desumitur ex 1. Regum cap. 17. ubi David, postquam in Ceilam se receperit, ut Saulis effugeret persequutionem, & Saul decerneret illius Urbis obsidionem, Dominum consulvit dicens: *Si descendet Saul sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo*, & ait Dominus, *descendet. Dixitque David, si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manu Saul? & dixit Dominus, tradent*. Hoc audito, fugam arripuit David, & ita factum est, ut nec Saul Ceilam obsideret, nec Cives illi David tradiderint. Fuit ergo responsio Dei conditionalis duas continens propositiones. Una erat; *Si David permanebit Ceilæ, Saul descendet, ut Civitatem obsideat*. Alia. *Si Saul descendet, & obsidebit, Cives tradent David*. Aliter, cum nec Saul descenderit, nec Cives David tradiderint, Deus respondens mentitus esset.

10. Clarum profecto est, quod dictum fuit. Neque audiendi sunt, qui dicunt, ibi non alicujus rei futuræ sed tantum præsentis fuisse revelationem, idest voluntatis, & deliberationis tum Saulis, qui volebat descendere, tum Civium, qui volebant tradere; atque hoc David consulenti Dominum satis erat, ut fugam ab illa Civitate decerneret; sensus ergo est, *descendet* idest

cogi-

cogitat, *& vult descendere*. *Tradent*, idest *cogitant*, *& volunt tradere*. Quod quidem consonum est tum paraphrasi Caldaicæ, tum Glossæ interlineari.

11. Hæc enim explicatio omnino privata est, atque arbitrio conficta, & dum agitur de narratione Historica, hæc esse debet omnino simplex & propria, secus omnia, quæ in Scriptura tanquam facta narrantur, explicari poterunt de voluntate faciendi. Non est itaque in hac re Caldaica paraphrasis attendenda, vel quæcumque Glossa cum quolibet alio Authore, & potius, si placet, explicandi sunt isti, quam scriptura, idest, ibi fuisse revelatam voluntatem præsentem Saulis illorumque Civium, & simul voluntatis perseverantiam usque ad effectum. Neque certe David interrogaverat Deum de præsenti Saulis, & Civium voluntate, sed de re sibi eventura; non enim prodest voluntas bona, neque nocet mala, si eam res non subsequatur, Superiori tamen explicationi satis est, si opponamus Hieronymum lib. quæst. in 1. Regum, ubi verbum *descendet* ita explicat, *ac si diceret*, *si hic steteris*, *descendet*, & verbum *tradent*. Iste est sensus, *Si descenderit Saul*, *& hic te invenient*, *tradent*.

12. Multo minus probabilis est aliorum responsio dicentium, ita dictum fuisse à Deo, non quia id certo eventurum erat, si David non fugisset, sed quia hujusmodi erat dispositio, & voluntatum inclinatio; quod quidem novum non est, nam etiam Ezechiæ dictum fuit Isaiæ 38. *Morieris*, & Jonæ 1. *Ninive subvertetur*; Sicut contingit in omnibus aliis prophetiis comminatoriis; est inquam multo minus probabilis hæc responsio, quæ quantum ad aliquid eadem est cum superius rejecta; etenim sine aliquo fundamento dicitur, talem tunc fuisse voluntatum inclinationem, poterant enim Ceilæ cives nec quidquam de tradendo David cogitare, & tamen postea ex voluntate sua id cogitare, & facere. Hoc igitur supponamus, ut supponi potest, & fingamus, tunc Cives illos animum non habuisse propensum ad tradendum David, & istum fugam non arripuisse, tunc fieri potuisset, ut veniente Saule illi pro arbitrio & voluntate sua mutarent propositum, & David traderent, hoc enim non erat contra illam revelationem; at nonne tunc jure merito David de Domino conqueri potuisset, tanquam si ab ipso fuisset deceptus? Quod vero spectat ad prophetias comminatorias, tacita conditio semper subintelligitur, & ex aliis revelationibus earum veritas fieri potest comperta. In prædictione igitur mortis Ezechiæ fuit conditio, *nisi aliud à Deo impetraveris*: Quæ conditio includitur in promissione Dei, quod exaudiet orantes quando, & quomodo fuerit conveniens, in illa vero Niniviticæ subversionis fuit conditio, *nisi pœnitentiam egerint* innixa promissione facta à Deo pœnitentibus, juxta illud Jeremiæ cap. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo*, *agam & ego pœnitentiam super malo*, *quod cogitaveram*, *ut facerem ei*. Et revera hoc Ninivitæ intellexerunt, qui idcirco dixere; *Quis scit*, *si convertatur*, *& ignoscat Deus*. Sed quidquid dicamus, nunquam cognitio certa eventuum sub conditione futurorum poterit Deo negari, nam quæcumque sit illa conditio, semper eveniet, sicut cognoscit Deus.

13. Secundum Argumentum desumitur ex illo Matt. 11. *Væ tibi Corozain*, *væ tibi Bethsaida*, *quia si in Tyro*, *& Sydone factæ essent virtutes*, *quæ factæ sunt in vobis*, *olim in cilicio*, *& cinere pœnitentiam egissent*, ex quibus verbis manifestum fit, contineri in ea propositione quemdam futurum effectum sub conditione, qui effectus non fuit, quia non fuit adimpleta conditio; Id autem dictum fuit cum veritate, alioquin Christo falsitas fuisset tribuenda, ergo id etiam fuit certo cognitum à Christo, ergo & à Deo.

14. Non me latet, etiam huic Scripturæ textui non deesse responsionem; Hæc

Hæc autem reduci poteſt ad duo, Primum eſt, ibi Chriſtum non fuiſſe loquutum propheticè, & ex certa ſcientia, ideſt, non aſſertivè, ſed figuratè ad arguendam Judæorum perfidiam & infidelitatem, qui modus ſatis communis eſt etiam apud nos, cum loquimur unum alteri comparando, ut cum dicere ſolemus ad fidelium delicta increpanda; Hæc non agerent infideles & barbari. Videtur autem hoc in re noſtra contigiſſe, cum in textu habeatur, Chriſtum ita fuiſſe loquutum ad exprobrandos Judæos. Secundum eſt, ibi Chriſtum, etſi aſſertivè loquutum, non tamen id dixiſſe ex certa ſcientia, & infallibiliter, ſed ſolùm per quaſdam conjecturas habitas ex talium hominum diſpoſitione, atque ibi tantùm declaratum fuit, Tyrios, & Sydonios eſſe minus indiſpoſitos ad credendum, quàm eſſent Judæi, idcirco à Chriſto fuerunt increpati, & Tyrii, & Sydonii minus puniendi ſunt, non quia credituri eſſent, meritum enim ſub conditione nullum ſibi vindicat præmium, ſed quia non erant ita male in Chriſtum affecti, ſicut Judæi.

15. Subtiles profecto expoſitiones, ſed rei noſtræ parum accommodatæ, cum neque neceſſariæ ſint, neque Patrum interpretationi traditionique conſentaneæ. Ubicumque enim Patres allatum textum examinant, docent, non ſolum à Chriſto fuiſſe Judæos exprobratos, ſed Chriſtum aſſertivè & ex certa ſcientia non ſolum diſpoſitionis Tyriorum ad credendum, & pœnitentiam agendam, ſed ipſius fidei & pœnitentiæ. Hoc præſertim invenio apud S. Auguſtinum. Primo quidem de bono perſeveran. capit.9. contra Semipelagianos dicentes homines judicari ſecundum opera tantum ſub conditione præviſa, & nunquam futura, hæc habet. *Nec damnarentur Tyrus & Sydon, quamvis remiſſius quam illæ Civitates, in quibus non credentibus à Domino Chriſto mirabilia ſunt facta, quoniam ſi apud illas facta eſſent, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent, ſicut ſe habent eloquia veritatis, in quibus verbis Dominus Jeſus altius nobis Myſterium prædeſtinationis oſtendit*. Ex his quis non inferet, non fuiſſe illam loquutionem ſolum figuratam & ad exagerandum, nam appellatur eloquium veritatis? Non fuiſſe ſolum ex conjecturis, ſed ex certa ſcientia, cum in ea prædeſtinationis myſterium oſtendatur? Prædeſtinatio certe ex ſolis conjecturis haberi non poteſt. Secundo Idem Sanctus Doctor in exchyrid. cap. 95. ait. *Tunc*, ideſt in die judicii, *non latebit, cur apud quoſdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam, & factæ ſunt apud alios, qui non fuerant credituri, apertiſſimè namque Dominus dicit, væ tibi &c.*

16. Hanc conditionatorum ſcientiam ubicumque profeſſus eſt præclariſſimus Doctor, cujus plurima teſtimonia congeri poſſent. Unum tantummodo eligam, eſt autem illud, quod habet de correptione & gratia cap. 8. ubi inquirit de pluribus, qui bene viventes non moriuntur, antequam peccent, alii vero moriuntur, ne vivendo peccent; & reſpondet. *Reſpondeant ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum; Utrum hoc in poteſtate non habuit? An eorum mala futura neſcivit? Nempe nihil horum, niſi perverſiſſimè & inſaniſſimè dicitur*. Conſtat autem hic de futuris conditionatis ſermonem haberi, quia loquitur Auguſtinus de illa ſcientia, qua ſuppoſita poſſet Deus, ſi vellet, rapere hominem antequam mala committeret, ſicut fecit cum illo, de quo Sapientiæ 4. legitur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Ex alia parte ſi ſupponeretur ſcientia abſoluta futurorum, locum non haberet mors præcedens talia peccata, quia ſupponitur præviſa vita uſque ad illud tempus.

17. Hoc idem docuerunt alii Sancti Patres. Quærit S. Joan. Chryſoſt. lib. 1.

ad

ad Stagirium, quare Deus statim post peccatum Paradiso expulerit, & respondet. *Primum hominem à principio à Paradiso expulit, quia ex honore sibi præstito deterior effectus esset, si post spretum violatumque mandatum immotus ille stabilisque durasset*. Gregorius vero Nissenus orat. de infantibus morte immatura sublatis hæc habet. *Verisimile est eum, qui id quod futurum est ęque atque prętéritum agnovit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præscia malum animadversum est in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur*. Quibus textibus nihil certè clarius afferri potest ad probandum id quod intendimus. Hoc unum addam, plura à Sanctis Patribus inquiri, quæ frustra inquirerentur, nisi certam conditionatorum scientiam in Deo præsupponerent. Hujusmodi sunt. Quare creaverit hominem, quem sciebat peccaturum, quare Saulem in Regem elegerit, quem noverat suam gratiam contempturum, quare, magis ascendo, condiderit Angelos, quorum plures noverat defecturos, nunquam tamen respondent, negando Dei scientiam, sed confugiunt vel ad liberum creaturarum arbitrium, vel ad inperscrutabilem Dei providentiam profundumque consilium, neque vero in hisce rebus respondere poterant, ut respondent adversantes Theologi, nimirum, hoc novisse in hominis primi, Angelorumque dispositione & inclinatione, nam tunc nulla in homine, nulla in Angelo erat dispositio & inclinatio mala.

18. Si ratio naturalis in hac re quæritur, hæc exhiberi potest, vel ex quo maxime deceat intellectus Divini perfectionem res sub conditione affirmatas certissimè cognoscere; Si enim etiam homines & Angeli plura conditionata pertingunt juxta conjecturas & causarum dispositiones, quanto magis Deus juxta plenariam certitudinem? Vel ex quo in nobis ipsis experiamur, quod si de re aliqua sub conditione interrogemur, v. g. Si N. petet hanc gratiam à Francisco Xaverio, obtinebit ne? respondemus: *Deus scit*, quod non fieret, si hominum communis existimatio non esset, omnia etiam sub conditione futura à Deo certissimè cognosci.

§. III.

Refelluntur Argumenta contra pręcedens assertum.

19. Oppones primo. Scripturas illas, in quibus, dum agitur de futuris sub conditione, reperitur particula *forsan*, quæ indicat in cognoscente dubitationem. Sic Jerem. habetur. *Noli subtrahere verbum, si forte audiat, & convertatur*. Et Joan. 4. Samaritanæ dixit Christus: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*. Sunt igitur saltem aliqua futura conditionata, quæ certo non cognoscuntur à Deo.

Respondet huic argumento Sanctus Augustinus tract. 37. in Joan. super illa verba: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, ubi inquit. *Ille, qui omnia scit, cum dicit forsitan, non dubitat, sed increpat, dubitationis verbum est, cum ab homine dicitur ideo dubitante quia nesciente, quando vero dicitur à Deo, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas*. Cœterum particula *forsitan* idem significare potest quod particula *utique*. Unde alio in loco dicitur: *Si cognovissetis me, utique & Patrem meum cognovissetis*. Multiplici autem ratione, servata semper perfecta scientia in Deo, tali particula utitur Scriptura; Primo, ut significet, rei eventum nobis semper incertum esse, non Deo; ita S. Augustinus super illa verba ps. 2. *Nequando irascatur Dominus*, inquiens. *Cum dubitatione positum est, non secundum visionem prophetiæ cui certum est, sed secundum eos ipsos, qui monentur*. Secundo ut indicet, certitudinem Divinæ scien-

tiæ de futuris, nostram non adimere libertatem. Ita S. Hieron. in cap. 26. Jerem. dicens. *Verbum ambiguum forsitan majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus quasi ex necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur.*

20. Oppones secundo Sanctos Patres. Occurrit primo S. Augustinus, qui lib. 1. de anima & ejus origine cap. 12. inquit: *Ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit, quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod futurum non est?* In lib. de prædestin. Sanct. cap. 14. exponens illud Sapien. 4. *Raptus est ne malitia &c.* ait: *Dictum est secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc novit quod erat futurum, non quod futurum non erat, idest, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incertitudo, non quod peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset.* Similia sensit S. Prosper in epist. ad Augustinum, in qua referens Semipelagianorum errorem hæc habet. *Sed in tantum commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non sunt futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Idem docent Fulgent. lib. 1. de verit. prædestinat. cap. 7. & Damascen. contra Manich. cap. ultimo.

21. Resp. Sanctum Augustinum nunquam docuisse contraria, quod plane contingeret, si res ita esset, sicut opponitur. Negavit igitur præscientiam absolutam illorum futurorum, non negavit præscientiam conditionatam, & secundum istam etiam hujus vitæ pericula, quæ mutassent intellectum illius, qui raptus est, si raptus non fuisset, agnovit, alioquin non esset, cur prænatura mors singularis gratia & beneficium diceretur. Hoc ostendo. Quodcumque hujus vitæ periculum sit, homo indifferens est, ut mutetur, vel ut perseveret, ut peccet, vel ut sanctior fiat, ergo si mortis illius immaturitas esset solum sub præscientia periculi, incertum esset, an gratia dicenda foret, vel non gratia. In hoc sensu intellige omnes alios Sanctos Patres.

22. Verum hic adnotandum est, Sanctos Augustinum & Prosperum rem pertractasse contra Pelagianos, ac Semipelagianos, qui scientia Dei conditionata abutebantur. Inter enim alios eorum errores unus erat, quod dicerent, bonum vel malum usum gratiæ à Deo prævisum causam esse, propter quam gratiam concederet Deus, vel negaret, quod absurdissimum esse ostendit Augustinus exemplo Tyriorum, qui etsi credituri essent, si vidissent signa, & virtutes, attamen nec viderunt neque crediderunt; alius erat, gratiam Baptismatis aliquibus parvulis conferri propter merita ipsorum prævisa, si vixissent, & propter hæc æternam consequi beatitudinem, aliquibus vero non concedi propter mala ipsorum opera pariter prævisa, & propter hæc perpetuo damnari. Hos igitur errores refellunt Augustinus & Prosper, atque hæc merita vel demerita esse commentitia & omnino conficta decernunt. De hac re habetur clarissimum testimonium S. Augustini ep. 194. ad Sixtum, ubi leguntur hæc verba. *In eis, quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret, & ideo quem novit nequiter fuisse victurum, sine Baptismo facit emori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus erat.* Hoc ipse negat, & ideo negat in Deo præscientiam illam, quæ conferret ad meritum vel demeritum, & quæ est præscientia absoluta habens respectum ad opera procul dubio facienda proinde meritoria vel demeritoria, non vero præscientiam secundum quid & conditionatam, atque ideo negat abusum præscientiæ Dei conditionatæ, non ipsam præscientiam. Prudentis autem viri non est, negare aliquid, quod aliun-

aliunde eſt verum, ut inde negetur aliquid, quod ex illo male intellecto ſequitur, & eſt falſum; alioquin ſequeretur, negandam eſſe gratiam efficacem, quia Calviniſtæ dicunt, per illam adimi hominis libertatem, negari unitatem perſonæ in Chriſto, quia ex illa inferebant Eutichiani unitatem naturæ, & ſic de reliquis.

23. Opp. 3. Non poteſt ex Scripturis & Patribus colligi ſcientia conditionata in Deo, quamvis in Scripturis & Patribus Deum hanc cognitionem habere inveniatur; ergo. Prob. antec. Quamvis in Scripturis & Patribus habeatur, Deum aliquando uti diſcurſu & vocali annuntiatione, non tamen eſt in Deo diſcurſus aut mentalis compoſitio correſpondens ennuntiationi vocali, ergo ſimiliter quamvis ex Scripturis &c. ratio videtur utrobique eadem, nam ſicut diſcurſus & mentalis compoſitio ſine imperfectione nec concipi nec eſſe poſſunt, ita nequit concipi vel eſſe abſque imperfectione ſcientia conditionata. Hoc ultimum declaratur, quia ſcientia illa ſine imperfectione eſſe non poteſt, quæ dependet à conditione ponenda à creatura, ſed hujuſmodi eſt ſcientia conditionata, etenim Deus non poſſet decernere ſe daturum ſuum concurſum, nec quidquam eligere niſi dependenter à concurſu cauſæ ſecundæ, immo remanente ſuſpenſa conditione ex parte creaturæ remaneret ſuſpenſa ipſa Divina cognitio.

24. Reſp. negando paritatem, & jam diſcrimen allatum eſt in argumento; ad impugnationem ne. ant. ad prob. ne. mi. dependet quidem objectum à tali conditione, non dependet tamen cognitio, ideo ſuſpenſum remaneret objectum cognitionis, non iſta. Ad prob. aliud eſt dicere dependenter à cognitione concurſus cauſæ ſecundæ & aliud eſt dicere, dependenter à cauſa ſecunda Hoc ſecundum eſt falſum, nam etiamſi prævideatur conſenſus & concurſus cauſæ ſecundæ non per hoc determinatur Deus ad dandum concurſum ſuum, neque hic movet Deum ad concurrendum & ſe determinandum, ſed ſemper agit prout ipſi placet. Primum eſt verum, dummodo tamen ly *dependenter* ſe teneat ex parte cognitionis Divinæ ad quam ſpectat res omnes ſcire tam abſolutè & præciſa quacumque circumſtantia, quàm conditionatè & in qualibet circumſtantia & occaſione. Videmus hoc evenire etiam in qualibet humana Republica, quæ prudenter ſe non gereret, niſi etiam quid decernendum ſciret, ſi aliqua circumſtantia & conditio contingeret. Hoc igitur magis dicendum de Deo, qui omnia prudentiſſimè decernit & ſcit, ideo etiam conditionata ſcit.

§. IV.

In quo medio Deus futura cognoſcat.

25. Ampliſſimam illam æquè ac acerrimam quæſtionem reſolvendam ſuſcipimus, quæ tot diſſidiis locum aperuit inter Patres prædeterminantes & familiæ Dominicanæ profeſſores, necnon inter Mediiſtas & Patres Societatis. Quæ uſque modo dicta ſunt, ferme ab omnibus Theologis præſertim recentioribus conceduntur, Deumque omnia cognoſcere etiam ſub conditione propoſita non refragantur, ſed quo in medio Deus illa cognoſcat tota lis exorta eſt. Utinam omnes conticuiſſent, atque in hac re non inveſtigandi ingenium, ſed ignorandi ſervaſſent obſequium, nihil utraque Schola gloriæ ſibi debitæ perdidiſſet, nec parum ſibi tribui exiſtimare deberet, quod olim de ſe ipſo faſſus eſt ille ingeniorum maximus Auguſtinus, Verba illius excipite in pſ. 49. *Non audeamus dicere quomodo novit Deus; Ne forte hoc à me fratres expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoſcat Deus. Hoc ſolum dico, non ſic cognoſcit ut homo, non ſic cognoſcit ut Angelus, at quomodo cognoſcit dicere non audeo, quoniam & ſcire*

Scire non possum. Verum plus sapere, quam oportet sapere, quidam voluerunt, atque ad hoc suas cogitationes & consilia perduxerunt, ut in quo medio Deus futura cognoscat indagare sint ausi. Illis parcat Deus, si peccaverint, nos vero iniquitatem eorum portamus, atque quid ex iis, quæ ipsi protulerint, magis eligendum sit in præsentiarum est statuendum.

26. Contendunt Patres prædeterminantes, posito quod Deus cognoscat omnia futura conditionata, præsertim libera, de quibus sermo noster instituitur, non cognoscere in se ipsis ante omne decretum præcedens usum libertatis nostræ, sed in aliquo Divino decreto, quod statuunt absolutum subjectivè & ex parte actus Divini, conditionatum vero ex parte objecti; Quod ut clarius explicem, do exemplum. Si v. g. Deus ita dicat; Statuo, quod si virtutes & & signa fiant in Tyro, Tyrii convertantur, jam decretum est absolutum subjective, & actu est in Deo, est tamen conditionatum ex parte objecti, quia nunquam suum effectum obtinebit, nisi virtutes & signa fiant in Tyro, & quia non fuerunt facta, Tyrii non sunt conversi, quamvis conversi fuissent, si fuissent facta; Sunt vero decreta conditionata tum ex parte actus & subjective, tum ex parte objecti v. g. si Deus dicat. Si in Tyro fierent signa, & virtutes, & ego decernerem ipsorum conversionem, Tyrii converterentur, in quo casu decreta non sunt actu in Deo, sed includuntur in ipso objecto tanquam pars ejusdem. Hoc secundum asserunt Patres Societatis & reliqui scientiæ mediæ propugnatores, de qua scientia infra. Hujusce difficultatis resolutio plura postulat examinanda, quod ut clarius fiat, singillatim omnia puncta sunt declaranda. Primum in systemate prædeterminantium est, hujusmodi decreta esse antecedentia prævisionem usus voluntatis creatæ. Secundum est, esse absoluta ex parte actus, conditionata ex parte objecti. Tertium est, non ideo futura cognosci à Deo, quia sunt futura, sed ideo esse futura, quia cognoscuntur à Deo, & ideo scientiam visionis esse causam rerum, ex quibus omnibus sequitur, esse excludendam scientiam mediam. Qua de re.

§. V.

Utrum Deus videat futura libera in decretis antecedentibus.

27. QUod audis decretum antecedens, intelligas in sensu Thomistarum illud esse, quod nullam præsupponit prævisionem consensus vel dissensùs voluntatis creatæ, sed quod ipsam præmovet ac determinat ad consensum habendum, si de actionibus bonis sermo contingat; Si vero de actionibus malis loquamur, inquiunt, hoc decretum esse quidem antecedens, sed mere permissivum; siquidem in actione mala duo distinguuntur, & id quod ad actionem pertinet, & id, quod ad malitiam; ad actionem Deus positive se habet, atque ideo habet decretum antecedens ad ipsam præmovens ac determinans, ad malitiam verò tantùm permissive, atque ideo habet decretum antecedens, sed merè permissivum. Hæc est communis Thomistarum Doctrina, quamvis etiam inter ipsos maxima lis versetur, ut testatur Pater Ledesma qu. unica de auxiliis art. 18. & revera Gonzalez de Albeda Ordinis Prædicatorum disp. 59. in 1. par. S. Th. sect. 2. rejicit Didacum Alvarez ejusdem Ordinis docentem lib. 3. de auxiliis disp. 24. Deum prædefinire quod est actionis in peccato, & contendit, hoc nunquam fuisse juxta mentem S. Th. Contra Thomistas nostrorum temporum.

28. Dicendum. Deum non cognoscere futura libera in decretis antecedentibus.

Prob. Circa futura libera nullum datur decretum antecedens, ergo in hoc

Deus non cognoscit talia futura. Prob. ant. debet servari libertas creata, sed si darentur decreta antecedentia, adeoque præmoventia, circa futura libera non servaretur libertas creata, ergo. Prob. mi. Quando aliquid consequens necessario sequitur ex aliquo antecedente, quod non est in operantis potestate, etiam consequens non est in potestate illius, proinde non servatur operantis libertas, sed si darentur decreta antecedentia circa futura libera, hæc sequerentur necessario ex aliquo antecedente, quod non est in potestate hominis operantis, ergo, Mi. ostenditur, nec enim hæc decreta possunt fieri vel non fieri a creata libertate, cum hanc omnino precedant, nec ab ipsa libertate possunt impediri ne fiant, aut ne impleantur postquam facta sunt; ergo. Major propositio primo explicatur exemplo, nam si supponamus, aliquem se libere non applicare igni sed ab alio, neque ipsi liberum erit se calefacere, sed necessario calefiet; Quare hoc? quia calefactio est aliquid consequens necessario calefactionem, & ideo, quia libera non fuit approximatio, etiam libera non est calefactio, ergo à pari si creatura ab hoc decreto antecedenti præmoveatur, & applicetur ad agendum, liberè profecto non aget. Secundo desumitur ex doctrina S. Anselmi, & Augustini. Primus enim in lib. de concord. cap. 1., & in lib. *Cur Deus homo* cap. 18. duplicem distinguit necessitatem, unam, quæ est causa rei, & est antecedens, aliam, cujus est causa res, & est consequens, illam negat componi posse cum libertate, hanc vero concedit, & experientia compertum est, cum enim sedeo, necessario sedeo, & tamen liberè sedeo, quia, antequam sederem, non sedendi potestas erat. Secundus vero 5. de Civit. cap. 10. duplicem etiam distinguens necessitatem, unam, quæ est in nostra voluntate, alteram, quæ antecedit voluntatem, priorem, inquit, libertatem non adimere, posteriorem verò nequaquam, sed hoc esset admissis decretis antecedentibus, ergo.

29. Tanti ponderis hæc ratio à nobis adducta existimanda est, ut Lessius de grat. cap. 3. num. 11. dixerit, si hæc non convincit, ingenuè se fateri, libertatis nostræ negotium omnibus aliis misteriis obscurius esse, & libertatem nostram aut explicari non posse, aut consistere in solo nomine libertatis. Eam etiam multi faciunt adversantes Thomistæ, atque ut respondeant varia excogitarunt; Piget quidem singula exponere, expedit tamen, ne aliquid irresolutum omittatur, & quacumque ex parte rem nostram defendamus.

30. Primo dicunt. Necessitatem ex suppositione antecedente adimere libertatem, quando provenit ab aliqua causa Secunda, non quando à causa prima, & Sanctos Doctores de illa loqui non de ista, Deus enim plus continet voluntates hominum, quam ipsi suas, ut frequenter tradit Augustinus, ergo sicut si humana voluntas se ipsam determinat, illæsa remanet libertas, ita si determinatur à Deo; & ratio est, quia decretum Dei antecedens aptatur rerum naturis, ita ut necessarias necessario applicet ad agendum, liberas libere.

31. Hoc primum adversariorum effugium, quod affert Alvarez disput. 22. & 25. de auxiliis, quemque plures alii sequuntur, plura involuit, ideo singula reicienda. Verum esse argumentum de causa secunda non de causa prima, inconsulto dicitur, cum rectè non solvatur argumentum à Calvinistis viribus totis expositum, idest, liberum arbitrium vel esse rem de solo titulo, vel titulum sine re, non enim alia ratione necessarios asserunt actus nostros, nisi quia proveniunt ex decreto & præscientia Divina actus nostros antecedente. Vide Calvinum lib. 3. instit. cap. 23. Si autem vera est responsio dicta, respondemus per id, quod est in quæstione inter nos & hæreticos, & est manifesta petitio principii; Illud vero dictum S. Augustini ita

esse

est intelligendum, ut Deus contineat voluntates hominum, ut eas possit quando voluerit & ubi voluerit de malis in bonas convertere, sed modo à nobis dicendo, ubi de gratiæ efficacia; Cæterum; Cum principium liberum intrinsece agat, debet etiam ab intrinseco determinari, quod non fieret, si à Deo physicè & antecedenter determinaretur. Ratio vero postrema in pluribus deficit; Primo quia destruit unam ex doctrinis Thomisticis, de qua statim. Secundo quia in hoc est punctum difficultatis, quomodo Decretum Dei antecedens possit præmovere & applicare causas liberas ad liberè agendum. Tertio quia videtur manifesta repugnantia in terminis; posito enim decreto antecedenti v. g. crastinæ meæ lectionis, duo sunt attendenda. Unum, Deum velle efficaciter meam lectionem, qua data efficacia non potest non esse mea lectio, sicut ego voluntati Dei efficaci resistere non possum. Alterum est, Deum simul velle meam lectionem liberè futuram, idest à me habente potestatem proximam & indifferentem ad oppositum illi, quod Deus efficaciter decrevit, quod manifestissimè repugnat, sicut repugnat, me habere potestatem proximam ad legendum, & non legendum, ergo decretum illud antecedens repugnat in terminis, si velimus creatam libertatem, ut debemus servare. Quare ne mihi dicant; Deum fortiter suaviterque omnia disponere, ut legitur Sap.8. Hoc etenim verum est, sed propter hoc est falsum, disponere per decreta antecedentia, quæ non sunt libertati suavia, sed libertatis destructiva.

32. Secundo dicunt, ex nostra ratione probari, actus nostræ voluntatis esse solummodo necessarios ex suppositione, necessitate consequentiæ & infallibilitatis, quæ libertatem non destruit, non vero necessarios absolute; quod aliis terminis explicant alii, esse necessarias in sensu composito cum tali prædeterminatione facta per decretum antecedens, non vero in sensu diviso.

33. Responsionem hanc in postremo sensu expositam nunquam intellexi, adeo rudis Minervæ fui; nec unquam Thomistæ explicarunt nisi explicatione re explicata obscuriore; Sed si hoc velint; ergo existente hujusmodi prædeterminatione & decreto antecedente voluntas non erit libera, Divisio illius distinctionis in sensu composito & diviso ortum habuit ex suppositione, quæ esset in nostra potestate, & sic dum sedeo necessario sedeo, quia omne quod est, quando est, necesse est esse, & tamen libere sedeo, quia suppositio, qua sedeo, erat in potestate mea sedendi vel non sedendi, quare in nostro casu locum non habet, quia decretum, quod supponitur non est in mea potestate. Præterea, etiam admissa tali distinctione voluntas creata neque in sensu diviso à decreto antecedente potest oppositum, etenim per adversarios hoc decretum est unum ex prærequisitis ad complendam causam in actu primo proximo, ergo facta præcisione à decreto voluntas non potest suum actum proferre, ergo non est libera nec in sensu composito, nec in sensu diviso. Tertio. Responsio hæc opponitur Doctrinæ juxta sensum Thomistarum superius expositæ, nam si decretum antecedens aptatur rerum naturis, ut causis liberis non tantum tribuat operari, sed etiam modum liberè operandi, etiam sensus compositus cum tali decreto libertatem non auferet. Responsionem vero expositam in priori sensu approbare non possum, nec valet nisi ad conscientias magis magisque vexandas. Anselmus & Augustinus à nobis citati aliam non noverunt suppositionem libertatem nostram non destruentem, nisi illam, quæ nostræ libertatis usum consequitur, quod quidem negari non potest; hujusmodi autem non est suppositio orta ex decreto antecedente, ergo.

34. Tertio respondent alii, decretum antecedens nostram libertatem adimere, si hoc sit naturaliter determinans, & à causa inferiore, non ita si deter-

terminatio & suppositio sit libera, ut contingit in re nostra, etenim pro eodem instante, quo Deus decrevit alteram partem futuri contingentis, potuit oppositum decernere; & quemadmodum determinatio habita à causa necessaria necessitatem imponit, ita habita à causa libera libertatem infert, præsertim quod licet suppositio antecedens non sit in potestate nostræ voluntatis, est tamen effectus inde sequuturus, quod manifestè est in beatis, qui licet non habeant in potestate sua suppositionem antecedentem visionis beatæ, nihilominus non amittunt libertatem juxta Scotistarum principia.

35. Hæc etiam responsio argumento nostro non satisfacit; per hoc enim servatur quidem libertas in causa prima determinante, quæ potuit decernere, vel non decernere, ita vel non ita, non tamen servatur in causa secunda determinata, in qua est formalis libertas & contingentia. Parum vero interest, causam determinantem esse causam primam & superiorem, nisi causam secundam & inferiorem ita regat, & administret, ut illam motus suos agere sinat modo sibi consentaneo, ex quo solum infertur, eas libere administrare, non vero quia illas quomodocumque determinat, vel prædeterminat adinstar causæ primæ & superioris. Et profecto, sicut maximum est discrimen inter causam liberam & necessariam, inter operationem liberam & necessariam, ita etiam ex parte causæ primæ diversus est modus concurrendi cum causa libera, & causa necessaria, & si diversus est modus concurrendi, diversus etiam est modus decernendi concursum, quod tamen juxta responsionem adductam servari non potest, nam etiam effectus necessarii ita à Deo decernuntur futuri, ut tamen illos potuisset non decernere, alioquin quantum ad istos fuisset etiam necessitas in Divina voluntate. Neque sufficit, causam necessariam determinari à Deo antecedenter & intrinsecè, liberam vero antecedenter quidem, sed extrinsecè; hoc enim trasmitto; sed satis est ad auferendam proximam libertatem & istius usum, quamvis non auferat remotam, ut revera fatetur Scotus in 4. dis. 49. qu. 6. At in voluntate creata non solum admitti debet saltem in pluribus propriis actibus remota, sed etiam proxima, ergo. Per hoc patet ad ultimum. Mediista tamen negat antecedens, quod etiam per Thomistam est falsum, unde contra ipsum fieri potest argumentum.

36. Quarto tandem respondent, cum hisce decretis antecedentibus remanere indifferentiam judicii, & intellectum reprehesentare voluntati objectum eligibile indifferenter & liberè. Sed hoc plane libertati servandæ non sufficit, nam libertas formalis non est judicii indifferentia sed ipsius facultatis volitivæ, quę positis omnibus prærequisitis ad agendum possit agere, vel non agere, ita vel non ita; & si oppositum diceretur, nulla esset libertas intrinseca in voluntate, sed solum capacitas recipiendæ libertatis ipsi ab intellectu proponente derivatæ; sed de hac re satis dixi in Philosophicis meis Quæstionibus, ubi de creaturæ libertate pertractavi. Hoc unum addo, quod si verum esset, per indifferentiam judicii servari libertatem, jam inter Catholicos & Hæreticos nulla esset in hac re disputatio, nam etiam Hæretici cum Divinæ gratiæ & providentiæ efficacia judicii indifferentiam non negant, sed libertatem negant, quia, inquiunt, Divinæ gratiæ & providentiæ voluntatem creatam non posse resistere; Contra quos Concilium Trident. definit, adhuc liberos esse actus voluntatis, quia propter indifferentiam propriam potest voluntas Divinæ gratiæ resistere ac dissentiri, ergo.

37. Ex his rejecta sunt, quæ contra nos opponi posse videbantur. Addi fortasse possent sequentia. Primo. Christi passionem fuisse efficacem & antecedenter à Deo decretam, & tamen liberam fuisse Christo, *oblatus enim est, quia ipse*

voluit. Secundo. Divinam providentiam esse rerum omnium causam, per consequens omnia antecedere, & tamen cum ipsa componitur humana libertas; Ita se habet etiam Divina prædestinatio, ex qua oritur necessitas ex suppositione antecedente. Ergo. Verum negatur primum assumptum, & dicimus, necessitatem passionis Christi fuisse tantùm consequentem, alioquin non fuisset libera propter rationes à nobis adductas; Quod si legitur Luc.24. *Oportebat Christum pati ut implerentur Scripturæ*, quę de ipso antecedenter erant. Hoc probat prioritatem temporis, non causalitatis, de qua tamen est quæstio nostra. Ad secundum; aliquando Divina providentia res omnes antecedit, aliquando sequitur; Si ipsa sit sola causa immediata alicujus effectus, tunc antecedit, si vero sit causa alicujus una simul cum causa secunda, tunc sequitur; ex quo habes, Deo prævolente homines esse liberos; quia libertas hominum est à solo Deo, qui hominem condidit liberum, Deo autem prævolente homines libere non operarentur, quia operatio hominis non est à solo Deo, sed etiam ab homine. Quantum vero ad Divinam prædestinationem; in ipsa plura sunt distinguenda. Primo præparatio gratiæ ab æterno, & collatio ejusdem in tempore. Secundo liber consensus creaturæ ipsam recipiendi, & actiones meritoriæ. Licet pro nunc permittamus facere suppositionem antecedentem quantum ad primum, negamus tamen quantum ad secundum.

§. VI.

In quo medio videat Deus futura libera conditionata.

38. PRæmitto, conditionem, sub qua res futura prænoscitur, aliquando pendere à causis naturalibus & necessariis juxta ordinem naturæ, qualis fuit prædictio mortis Ezechiæ: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu*. Aliquando pendere à causis liberis, qualis est conversio Tyriorum, quæ tum à libera Dei voluntate patrandi miracula & gratiam largiendi, tum ab ipsorum consensu dependebat. De his tantum inquiritur, & quidem de conditione nunquam ponenda, nam si poneretur, futurum conditionatum transiret in absolutum, & tunc quæstio esset quæ fuit de futuris absolutis jam resoluta.

39. Hac in re contendunt omnes prædeterminantes, duobus modis considerari posse decretum conditionatum; primo subjectivè & ex parte actus; secundo objectivè & ex parte objecti. Tunc est conditionatum subjective, quando habetur velleitas quædam tam circa objectum, quam circa voluntatem efficacem de objecto, si conditio poneretur. V.g. si quis diceret, *vellem nubere, si Sacerdoti liceret*, hoc enim pacto non significatur actualis voluntas nubendi, sed illam habendam fore, si hoc fieret licitum. Tunc est conditionatum ex parte objecti, cum ex parte volentis est voluntas efficax & positiva, attamen non habetur effectus, nisi ponatur conditio. V.g. si quis diceret: *Volo eleemosynam elargiri illi pauperi, si cras domum meam veniet*.

40. Asserunt Thomistæ circa futura libera conditionata esse decretum Divinum absolutum subjectivè & ex parte actus, conditionatum vero ex parte objecti, arbitrantes velleitatem illam Deum prorsus deducere, nec sine imperfectione concipi posse, quod quidem verum esset, si decretum conditionatum deberet ita explicari; sed Doctores contrarii decretum illud sic exponunt, ut sit pars illius conditionis, sub qua res futura esset, si fieret vera conditio. V.g. Tyrii salvi facti fuissent, si Deus voluisset illis Evangelium prædicari, & suam gratiam largiri, decretum hoc conditionatum, *si voluisset* est pars conditionis, sub qua Tyrii fuissent conversi. His ita explicatis.

41. Dico. Deum non cognoscere futu-

futura libera conditionata in decretis subjective absolutis, & conditionatis ex parte objecti.

Pro quo adverte, me non negare dari posse hujusmodi decreta ex una parte absoluta, ex alia conditionata, & revera pluries in Scripturis Sanctis inveniuntur, ut quando dicitur Reg. 9. *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit Pater in simplicitate &c. Ponam regnum tuum super Israel in sempiternum*, & Mat. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*. Rursus nulla est repugnantia in hisce decretis, nam sicuti fieri possunt decreta omnino gratiosa ex parte actus, ut in aliorum Sententia est decretum prædestinationis in intentione, non vero gratiosa in exequtione & ex parte gloriæ & objecti ita &c. & si Deus per actum simplicem potest cognoscere, & revera cognoscit, objecta composita, potest etiam quod conditionatum est actu absoluto decernere; Sed quæstio nostra versatur tantum circa actus liberos procedentes à voluntate creata libere operante; & circa istos hujusmodi decreta negamus.

42. Pluribus autem rationibus id suadere contendimus, atque in primis occurret illud quod de Tyro dictum fuit, ubi redarguuntur Corozaitæ, quia visis tot signis & virtutibus conversi non sint, cum tamen fuissent conversæ aliæ duæ Civitates, etenim si in hisce rebus daretur decretum absolutum ex parte actus, conditionatum ex parte objecti, injusta fuisset hæc redargutio, ut dicam suo loco. Sed omissis omnibus aliis.

Prob. Primo. Ex pluribus inconvenientibus, quæ sequerentur, admissis hujusmodi decretis absolutis ex parte Dei, & actus. Primum est; Hæc decreta esse omnino otiosa & illusoria, essent enim de aliquo futuro sub conditione, quæ tota dependet à voluntate Divina, & quam Deus statuisset non ponere; v. g. in exemplo adducto de Tyro, prædicatio Evangelii cum signis & virtutibus tota debendebat à Dei beneplacito, qui tamen decreverat non mittere Prædicatores, nec operari signa & virtutes. At quis non videt hoc esse nugari & irridere? Nonne quis illudere & nugari censendus esset, si diceret; Si Petrus crastina me salutabit in via, dabo ei decem nummos, & postea decerneret efficaciter, se domi manere? Secundum est; Hæc decreta esse contradictoria, atque inter se pugnantia v. g. Si venisset Saul, traditus fuisset David in manu ejus, & postea statuisset, ne Saul veniret; Hæc enim duo, volo, ut David tradatur, si veniat Saul, nolo tamen ut veniat Saul, plane inter se opponi videntur. Tertio hujusmodi decreta vel sunt efficacia, vel inefficacia, non primum, quia nullum habent effectum; Si secundum, in illis effectum futurum Deus videre non potest, cum decretum inefficax nullam conexionem habeat cum illo effectu, qui nunquam futurus erit.

43. Neque dicas, esse efficax ex parte sui, ex parte autem objecti sub conditione affirmati esse inefficax, cum Deus velit talem effectum, si adimpleatur conditio; etenim, ut supra dictum fuit, in hoc est repugnantia & illusio. Ridiculum enim est, aliquid efficaciter nolle, ut impleatur conditio. Quod si urgeas, hujusmodi conditionem esse adimplendam à creatura, cum qua paratus est Deus ad concurrendum; in primis hujusmodi responsio non valet de omnibus conditionibus, cum aliquæ adimpleri possint solummodo à Deo, ut dictum fuit; deinde non cohæret adversariorum principiis, nam, ut adimpleatur conditio à creatura, non est sufficiens concursus Dei paratus, sed requiritur præmotio seù prædeterminatio ad illam adimplendam, & cum ex alia parte nolit Deus eam conditionem adimpleri, quia revera non adimpletur, haberet Deus duas voluntates contrarias, si haberet decretum efficax & absolutum ex parte sui, ut superius dixi.

44. Ne-

44. Neque dicas secundo; esse in Deo sinceram voluntatem salvandi omnes, quæ est absoluta ex parte Dei conditione se tenente ex parte objecti, quamvis omnes salvi non fiant, ergo esse potest decretum absolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti, quamvis conditio non adimpleatur; nam contra est, quod ultimo dicebatur, esse nimirum sinceram voluntatem antecedentem & quantum ad sufficientiam, non vero consequentem & efficacem; & ita etiam esse in Deo decretum conditionatum & inefficax, quod tamen futuris conditionatis non præsupponatur, sed sit pars ipsius conditionis, ut dictum fuit ante conclusionem. Hoc autem decretum non est juxta Thomistarum doctrinam, nec per ipsos sufficiens medium in quo Deus futura conditionata cognoscat; Sed rursus dico, argumentum hoc non probare de omnibus conditionatis, quando conditio dependet à solo Deo, nam conditio posita in argumento sub voluntate salvandi omnes, si omnes salvari velint, potissimum pendet à voluntate creata, cujus est respuere, vel non respuere gratiam sibi collatam.

45. Assertum nostrum alia etiam ratione suadeo, nam utcumque decretum Divinum admittere teneamur, ut afferamus discrimen inter pure possibilia & futura, illud procul dubio sufficiet, quod correspondet conditioni, & naturæ rei, quæ futura dicitur, quare sicuti pro re futura absolutè admittitur decretum absolutum, non tamen antecedens, ita pro re sub conditione futura sufficiet decretum conditionatum etiam ex parte Dei, quod sit veluti pars conditionis, sub qua res futura affirmatur, ergo non erit necesse admittamus decreta absoluta ex parte Dei; & ideo, castigatius loquendo, scientia conditionatorum non includit decretum conditionatum, sed decretum conditionatè, nam ipsum decretum est pars illius conditionis. Explico hoc. Quando Deus futuram Tyriorum sub conditione conversionem præcognovit, non dixit. *Volo, ut si fiant miracula & virtutes, Tyrii convertantur*. Nam, si noluit fieri, ad quid dicere: *Volo, ut si fiat &c.?* neque dixit, *vellem, ut si fierent miracula, converterentur*. Etenim hoc pacto esset admittere velleitatem, & suspensionem actus, quod agentis imperfecti est; sed dixit, *si vellem fieri miracula, & ipsis ea auxilia concedere, quæ concessi Corozaitis, converterentur*, ubi perspectum habes, decretum esse partem ipsius conditionis, sub qua Tyriorum conversio præcognita fuit. Ex qua ratione corruunt omnia Thomistarum argumenta, qui totis viribus contendunt, nihil esse futurum nisi dependenter à decreto.

46. Quod tamen magis me movet ad hujusmodi decreta absoluta neganda tanquam necessarium medium ad cognoscenda futura conditionata, est, Deum cognoscere etiam peccata sub conditione futura, nec tamen erga hæc præcedere posse aliquod Divinum absolutum decretum, juxta id quod ait S. Augustinus de prædest. Sanct. 10. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest, potest autem esse sine prædestinatione præscientia, prædestinatione quippe Deus præscivit, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est, fecit, quæ futura sunt, præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*.

47. Trita jam est Thomistarum responsio; in peccato duo considerari. Unum est res, seù materiale peccati, aliud vero malitia seù difformitas actionis; primum videri in decreto absoluto & prædefiniente; secundum vero in decreto permissivo pariter antecedente, sed non prædefiniente. Hæc tamen responsio corruit, satis esset nobis, dicere etiam ad rem, seù materiale peccati non esse decretum antecedens & prædefiniens propter læsionem libertatis, sicut dictum fuit in antecedente. Sed liceat rem hanc ulterius magisque perpendere, cum in ea situm sit maximum adversantis

tis ſententiæ fundamentum. Atque hic omnia recolo, quæ dicunt prædeterminantes. Primum eſt, Deum nec velle nec intendere malitiam actionis, immo ſummopere ab ipſa abhorrere, proinde author peccati nequaquam eſt. Secundum, malitiam actionis non ſequi ex ipſa actione phyſicè & intrinſecè, ſed ſolùm logicè & illativè, ideſt non ſequi ex actione, prout eſt ens, ſed quia eſt à voluntate creata, cui tantum defectus actionis tribui debet, ſicut contingit in motu claudicationis, qui licet ſit ab anima movente tibiam, tamen quidquid motus eſt tribuitur animæ, quidquid vero claudicationis tribuitur tibiæ. Tertio. Concurrit Deus ſimultanee ad materiale peccati, nec tamen concurrit ad formale juxta communem Theologorum, noſtramque ſententiam, ergo etiam præmovere poteſt ad primum, quin tamen præmoveat ad ſecundum, & ſicuti concurrendo ad materiale tantùm permiſſive concurrit ad formale, ita præmovendo ad illud, tantùm permittit iſtud, cum non minus ſit author peccati qui ad peccatum concurrit, quam qui ad peccandum præmovet.

48. Hæc omnia à nobis tamquam magni momenti refellenda ſunt. Quod primo loco dicebatur, verum eſt, ſed ex ſententia oppoſita foret neceſſario admittendum, Deum velle & intendere malitiam actionis. Semel hac enim vult & intendit aliquam actionem, vult etiam & intendit quod neceſſario ipſi actioni connexum, immo identicum eſt, atqui malitia actionis neceſſario eſt connexa immo identica ipſi actioni, ergo. Neque ſatis eſt, dicant, malitiam hanc ſequi indirectè; Siquidem hoc dato quot homines à peccati malitia excuſari poſſent? Ipſi Hæretici, Calvinus nempe & Lutherus, quos tanquam facientes Deum authorem peccati damnavit Eccleſia, non ſenſerunt, Deum velle malitiam, ſed ſolum actum poſitivum. Quid inquit Calvin. lib. 1. inſtit. cap. 18.? Ecce illius verba; *Videmus, ut Deus perfidiam volendo, defectionem tamen alio fine juſtè velit*. Ibi autem loquitur de defectione tanquam de actu poſitivo, quo populus à familia David receſſit; & tamen Eccleſiæ conſenſu Calvinus Deum facit authorem peccati, ergo ad hoc aſſerendum ſatis eſt, ſi Deus velit, & intendat actionem, cui neceſſario eſt annexa malitia, dicamus ergo neque ad materiale ipſum præmovere, alioquin etiam præmovebit ad formale, neque enim hic agimus de præciſione aliqua objectiva, quæ ſi Deum excuſaret à peccato, excuſaret etiam creaturam, quæ ita præſcindere poteſt; Ex hoc concidit quod ſecundo loco dicebatur, & ſi non vis ſequi ex illa actione phyſicè & intrinſecè malitiam, ſaltem ſequetur moraliter, quod ſatis eſt in rebus moralibus, ut ſunt peccata, quorum malitia tribui debet, cui tribuitur actio, quæ eſſet à voluntate creata quidem, ſed à Deo mota, & applicata ſicut ad ſe, ita ad malitiam ſine qua nec eſſe, nec à Deo præſciri poteſt. Exemplum autem illud, & ſiquæ ſimilia ſunt, rei præſenti aptari non poteſt, etenim illud eſt in materia phyſica, in qua actio & defectus cauſæ inſtrumentalis non tribuitur cauſæ principali, quæ per illud inſtrumentum agit, ut patet in pictore & pennicillo; ideo in caſu claudicatio tribuitur tibiæ, non animæ moventi tibiam, at nos ſumus in materia morali, in qua defectus tribuitur cauſæ moventi, immo juxta à nobis probata impellenti; Et ſicut ſi Deus ſuaderet, vel imperaret hunc actum, ſuaderet etiam ac imperaret malitiam actus, ita, immo à fortiori, ſi ad illud actum præmoveret, plus enim eſt ad actum præmovere prædeterminare, quam ſuadere, & imperare, ut patet in actibus bonis. Neque obſtat, Deum præmovere tantùm ut cauſam phyſicam, non moralem, ergo ſolum ipſi tribuendum eſſe quod phyſicum eſt in actu, non quod morale; etenim præmoveret quidem ut cauſa phyſica, nec eſſet cauſa moralis illius actus, hunc tamen cauſaret volens, ſuum con-

cur-

cursum determinans & prædeterminantem præbens, quod satis est, ut ipsi malitia imputaretur. Ad 3. diversimode loquendum est de Deo concurrente cum creatura, & de Deo creaturam prædeterminante, nam in primo casu posito pacto cum creatura cum ipsa concurrendi, quotiescumque ipsa agere voluerit, Deus ad concurrendum determinatur à creatura, unde conqueritur Isaiæ 43. *Servire me fecistis in peccatis vestris*. At in secundo Deus prædeterminaret creaturam, intentivè, & non solum permissivè vellet illum actum, ideo dum sermo est de concursu, malitia non tribuitur Deo præbenti concursum indifferentem, deberet tamen tribui, dum sermo est de physica præmotione. Quo pacto autem determinetur concursus Dei à creatura, dixi in libris physicorum, ubi & adduxi pro hac re doctrinam S. Th. qui qu. 1. de potent. art. 3. ad 3. inquit: *Influentiam causæ primæ per proximas causas determinari*. 3. contra gen. cap. 66. *Agentia secunda esse quasi particularizantia & determinantia primum agens*. Et de malo quæs. de causa peccati art. 2. in corp. *Attendendum est, quod motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium motum*. Hinc est, plura signa rationis posse in æternitate distingui. In primo decernit Deus, se daturum concursum suum, quem creatura voluerit; in 2. prævidet creaturam se potius determinaturam ad actum amoris, inde fit ante prævisionem determinationis concursum esse indifferentem, post prævisionem vero esse determinatum, determinatione creaturæ se habente ut conditione, sub qua prævisa Deus se determinat ad ita cum creatura concurrendum.

49. Ex hac doctrina facile eluduntur argumenta illa, quibus adeo fidunt Thomistæ, nimirum causam primam determinari à causa secunda. Causam primam non habere perfectum dominium. Etenim in primis iste Dei concursus est tantum necessarius ex suppositione, qua Deus velit creaturam operari, quę suppositio est omnino libera Deo. Secundo per determinationem creaturæ non determinatur Deus propriè, alioquin Deus deberet semper concurrere, quotiescumque Deus prævidet determinationem futuram creaturæ, si Deus daret concursum suum, quod tamen non evenit, ut constat in exemplo Tyriorum, sed solum prævisio determinationis creaturæ in priori ad dandum concursum est modus necessarius ex parte Dei omnia cognoscentis, & necessarius ex motivo servandi libertatem in creatura, cujus Deus Dominus est, & quam posset destruere, sed ex suppositione, qua velit illam conservare, debet ita concurrere, sicut ex suppositione, qua velit cum creatura agere, debet immediate agere, & tamen libere agit, & tanquam verus Dominus agit, de qua re iterum dicendum occurret.

50. Quod vero dicitur de illo decreto permissivo, ad quod prædeterminantes confugiunt, etsi à nobis satis superius dictum fuerit, prorsus fictitium esse videtur. Etenim, vel hoc decretum permissivum supponit saltem Decretum prędeterminans quo ad materiale peccati, vel non supponit; Si affirmatur, ut revera affirmari in opposita sententia debet, non video, quo pacto Deus non sit causa peccati, ut supra demonstratum fuit; Et rursus ad quid confert hujusmodi Decretum, cum posito priore Decreto prædeterminante, Deus certo cognoscat peccatuum futurum tanquam necessario connexum cum materiale peccati? Impediat Deus, si potest, malitiam peccati ex illo non sequi. Si vero negetur, jam physicæ prædeterminationis fundamentum nullum est.

51. Sed inquies. Si Decretum hoc non est absolutum. & in priori ad prævisam determinationem creaturæ, erit ergo pro illo priori indifferens, sicut est ipse concursus, non poterit ergo in illo cognoscere futura conditionata, quia quod

quod indifferens est non magis respicit futuritionem, quam non futuritionem. Verum respondeo; Decretum hoc & concursum quid indifferens esse in semetipsis, attamen, ut subsunt cognitioni Divinæ & ipsi Deo, qui in essentia sua omnia reprehesentat futura tanquam præsentia, quive eminenter continet omnem perfectionem suorum Decretorum, & omnem determinationem creatæ voluntatis, quam super comprehendit, esse quid determinatum, quia etsi pro illo signo indifferentia sint, tamen pro signo quo erit tum Decretum tum voluntatis determinatio, fiunt determinata, & sic etiam cognoscere in Decreto, in concursu, in creata voluntate, in se ipsis futura. Qua in re statuenda ipsi Mediistæ satis divisi sunt, etenim Molina & Becanus volunt, Deum ea cognoscere in causis secundis & in super comprehensiva humani arbitrii libertatis cognitione. Suarez & Fonseca in Decreto ut futuro pro sequenti signo. Alii tandem in veritate objectiva rerum, quam defendunt habere ante omne decretum, & independenter ab illo. Mihi vero satis est, si non cognoscat in decreto absoluto ex parte actus conditionato ex parte objecti, præsertim antecedente, sicut probavi. Admitto itaque cum Suarez in 1. p. de gratia prolegom. 2. cap. 4. si loquamur de operibus malis, nullum decretum antecedens positivum admitti posse, neque decretum, quod sit pars ejusdem conditionis, nisi permissivum offerens generalem concursum, in quo solo non potest cognosci malum futurum, nisi cognoscatur determinatio voluntatis ut præsens objectivè vel absolutè, vel sub conditione; Si vero loquamur de operibus bonis, quamvis non possit antecedere decretum præmovens, ne libertas auferatur, attamen præsupposita scientia conditionata potest decretum absolutum præsupponi absolutæ præscientiæ futurorum; cum hoc, utpote de objecto bono Divinæ sanctitati non repugnet, & cum præsupponat usum libertatis prævisum, libertati non opponatur. Ex his omnibus solvuntur, arbitratu meo, omnia, quæ per plures dies apud authores objecta vidi, quæve hic non propono, quia si id fieret, prolixior sine fructu essem.

ARTICULUS VII.

Utrum ideo cognoscatur futurum, quia est futurum, vel ideo sit futurum, quia cognoscatur.

52. IN hoc puncto præcipuum est prædeterminantium fundamentum; nam cum per ipsos quęlibet res sit futura propter decretum antecedens & pręmovens, & quælibet in hoc decreto contineatur, inquiunt, non ideo rem aliquam cognosci à Deo, quia futura est, sed ideo futuram esse, quia à Deo cognoscitur, & videtur, atque ideo scientiam Dei esse causam futurorum. Antequam res resolvatur, tradenda est divisio scientiæ Dei, non in hoc sensu, ut sit in Deo multiplex scientia, hæc enim in ipso simplicissima est, sicut ipsius natura, sed propter diversa objecta, quæ ab ipsa respiciuntur, tanquam multiplex à Theologis consideratur.

53. Est igitur in Deo alia scientia necessaria, alia libera, illa antecedit quodcumque decretum in quocumque sensu, & dicitur etiam scientia naturalis, per quam Deus cognoscit se ipsum & creaturas mere possibiles, libera vero versatur circas res contingentes, idest creaturas vel existentes, vel aliquando futuras, & supponit liberum voluntatis Decretum.

Alia est scientia practica, alia speculativa; Hæc in sola objecti cognitione persistit nihil producendo, & ita videt Deus se ipsum & possibilia, altera vero res ipsas efficiendo cognoscit.

Alia est scientia approbationis, alia improbationis; Versatur illa circa eas res, quæ Deo placent, & ab ipso præcipiuntur; Hæc vero è contra, ut circa peccata.

Tan-

Tandem alia est Scientia dicta simplicis intelligentiæ, & alia appellata visionis. Illa habet pro objecto res mere possibiles præscindendo ab omni futuritione & existentia, atque antecedit quodcumque Decretum; Posterior vero habet pro objecto res existentes vel aliquando futuras, & supponit Decretum Dei absolutum, cum nihil vel existat, vel absolutè futurum sit, nisi dependenter à Dei voluntate.

Inter hanc utramque scientiam aliam reperiri mediam, infra declarabimus. Interim ad resolvendum dubium in titulo expositum deveniamus.

54. Pro quo tanquam certum in omnium sententia tenendum est, scientiam Dei esse causam rerum omnium directivam, quod satis manifestè ex Scripturis Sanctis evincitur proverb. enim 3. legitur. *Dominus sapientia fundavit terram, & stabilivit Cælos prudentia* & ps. 103. *Omnia in sapientia fecisti*. Tum ps. 135. *Qui fecit Cælos in intellectu*. Si inde huic scientiæ addatur actus & Decretum Divinæ voluntatis, non solùm scientia Dei est causa directiva, verum etiam effectiva; *operatur* enim inquit Apostolus ad Ephes. 1. *omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Sed difficultas est, an hujusmodi scientia sit simplicis intelligentiæ, aut visionis. Primam esse contendunt Mediistæ omnes. Secundam vero asserunt prædeterminantes si sermo sit de actu secundo. Ultro enim fatentur, scientiam simplicis intelligentiæ esse rerum omnium causam in actu primo, & rursus loquuntur de scientia visionis una simul cum Decreto absoluto, non præcisè si intuitiva est, sed ut est scientia approbationis, quod addunt, ne fateri cogantur, scientiam visionis in Deo esse causam peccatorum. Sed quidquid dicant.

55. Sentiendum. scientiam visionis non esse causam futurorum; Atque ideo futura non esse futura, quia videntur à Deo, sed ideo videri à Deo, quia antecedenter sunt futura.

Punctum hoc placet primo Sanctorum Patrum auctoritatibus suadere, ex quibus quam plurimis aliquos eligam, qui magis expresse in re nostra loquuti sunt. S. Hieronym. in illa verba Isaiæ. *Hoc verbum, quod loquutus est Dominus ad Moab*. Inquit. *Non quod præscientia Dei causam vastitatis attulerit, sed quod vastitas futura Dei majestati prænota sit*. Et in cap. 26. Jeremiæ. *Non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum*. Justin. qu. 58. ad Orthodox. ait. *Non est præscientia causa ejus, quod futurum est, sed id, quod futurum est, causa præscientiæ, siquidem non præscientiam sequitur futurum, sed futurum præscientia, & haud quaquam præscius causa est futuri*. Origen. in cap. 8. epist. ad Rom. hæc habet. *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat*. Euseb. lib. 6. de præparat. Evangelii cap. 11. *Ut liberè quod res est eloquamur, non Dei modo prænotio rerum causa non est, sed quod à communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, idipsum, quod futurum est, ejusmodi prænotionis est causa; Neque enim idcirco fit quod futurum esse cognoscatur, sed quod futurum sit idcirco futurum esse cognoscitur*. Clarissimè tandem S. Damascenus dialog. contra Manich. prope finem. *Deus ea, quæ à nobis voluntariè futura sunt, hoc est ea, quæ in nostra potestate sita sunt, nimirum virtutem & vitium præsciens &c. Sed ut ea, quæ facturi sumus, præsciat, hoc à nobis proficiscitur, nam si facturi non essemus; ne ipse quidem, quod futurum non esset, prænosceret, & quidem Dei præscientia vera, & inviolabilis est, verum haud quaquam ipsa causa est, cur omnino id fiat quod futurum est, quia potius quia hoc vel illud facturi sumus, idcirco prænoscit Deus*.

56. Mirabitur fortasse quipiam, inter tot Sanctos Patres Augustinum prætermissum esse; Non ideo hoc factum esse

esse arbitretur, quod præclarissimus Doctor huic nostræ non suffragetur sententiæ, sed quia tot habet testimonia, quibus, quod nostrum est, doceat, ut quæ elegerim ignorarem. Eum tamen producam; prob. tract. 53. in Joan. ubi de Judæorum infidelitate sermonem habens, inquit. *Deus præscius futurorum per prophetam prædixit infidelitatem Judæorum, prædixit tamen, non fecit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit quem nihil latet; Et ideo, si non malum sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi prævidcrentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus.* Idem habet lib. 3. de Civit. cap. 10. Idem lib. 3. de lib. arbit. cap. 2. usque ad 4. ubi disputat contra Evodium, qui cum Tullio capere non poterat, quo pacto Deus omnia futura cognosceret, & homines necessario non peccarent. Textum autem hunc præ cœteris afferre placet, cum magis clarum & accommodum sit. *Sicut*, inquit, *tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt. Sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ facienda sunt. Et sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi, omnia fecisti, ita Deus omnia, quorum ipse est author, fecit, nec tamen omnium, quæ præscit est author.* In hac auctoritate ostendo similitudinem, quæ bona non esset, si præscientia Dei esset causa rerum, & futurorum. Augustinus enim quantum ad hoc comparat præscientiam Dei scientiæ hominum in illis rebus, quas vident homines, & infert. Ex quo homo res aliquas sciat & videat, non est causa illarum rerum, ergo neque ex quo Deus sciat & videat futura, est causa futurorum; & hoc argumentum Augustini nullum esset, nisi intelligeretur juxta sententiam nostram, nam facillimè potuisset Evodius respondere; In hoc esse discrimen inter præscientiam Dei, & scientiam hominum, quod illa est causa rerum, ista non, ideo mirum non esse, si illa auferat libertatem, non ista; Ut igitur ratio, & exemplum Augustini valeat, dici debet ex mente ejusdem fuisse, Divinam præscientiam non esse causam rerum, & futurorum. Accipe tandem verba Augustini lib. 4. Gen. ad lit. cap. 32. quæ sunt ista. *Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant*, quæ generatim dicta sunt sive de actibus bonis, sive de malis.

57. Hoc ultimum addidi, quia adversantes Thomistæ respondent, Sanctos Patres loquutos esse de præscientia peccatorum, quæ certè non fiunt à Deo, sed ipsius scientiæ præsupponuntur, non ita de actibus bonis, quos nobiscum facit Deus juxta decretum & propositum suæ voluntatis. Verum, in primis, si attendantur adductæ auctoritates, saltem aliquas indiscriminatim loqui tam de actionibus bonis quam de malis, negari non potest, utuntur autem frequentius illo peccatorum exemplo, ut facilius intelligamus, Deum, qui non est author peccati, res futuras sua scientia non facere, sed supponere. Ratio autem est, quia, ut Sanctorum Patrum mens nobis explorata fiat, debemus inspicere, quodnam eorum fuerit institutum, & qui scopus, dum aliquid asseruerunt; contendebant profecto humanam libertatem cum Divina præscientia servare, quod non obtinuissent, si tantum de actionibus malis sermonem habuissent, nam statim respondissent illi, contra quos res agebatur, per præscientiam Dei saltem respectu bonorum operum auferri libertatem.

58. Præterea; Ut Sanctorum Patrum explicent dicta, inquiunt, scientiam visionis, ut præcisè visionis est, causam futurorum non esse, hujusmodi tamen esse, si sit una simul visionis & approbationis, prout habet adjunctum decretum Divinæ voluntatis, immo & imperium, quod admittendum esse, patet ex illo Gen. 1. *Dixitque Deus fiat lux*; & inde additur. *Viditque Deus lucem, quod esset bona.*

59. Ne-

59. Neque hoc adversariorum sententiæ subsidium aliquod præstat, quia male confunditur scientia visionis cum scientia approbationis. Videt siquidem Deus etiam peccata futura, nec tamen illa approbat; Hæc igitur non spectat ad scientiam visionis, sed hæc fertur ex essentia sua in res vel existentes, vel futuras, præscindendo à voluntate Divina approbante, approbare autem vel improbare non ad scientiam & intellectum Dei, sed ad ejus voluntatem pertinet, cujus etiam est imperare; admittimus propterea ad futura requiri voluntatis imperium, sed hoc, dicimus ratione præcedere scientiam visionis, quod quidem confirmari potest verbis ex Gen. adductis. *Dixitque Deus fiat lux*. Hoc ponitur tanquam præcedens, *& vidit Deus lucem, quod esset bona*. Hoc ponitur tanquam consequens, ergo scientia visionis præsupponit jam rem esse futuram.

60. Ex dictis autem pluribus modis argumentari pro re nostra non prohibemur. Primo scientiam simplicis intelligentię actui Divinæ voluntatis conjunctam esse causam rerum, quod sic ostendo etiam juxta mentem S.Thom. 1. par. quęst. 14. art. 8. in corp. hæc habet. *Sic scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata*. Sicut ergo scientia artificis est principium, quo artifex operatur, sic scientia Dei est principium, quo Deus omnes res ad extra producit; Hic autem manifestè loquitur Sanctus Doctor de scientia simplicis intelligentiæ, quod colligitur ex iis, quæ ibi subduntur. Inquit enim; *Formam naturalem, in quantum est forma manens in eo, cui dat esse, non nominare principium actionis, sed secundum quod habet inclinationem ad effectum & similiter formam intelligibilis non nominare principium actionis secundum quod est in intelligente, nisi ei adjungatur inclinatio ad effectum, quę est per voluntatem*. Et post alia sic concludit. *Unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam*. Dans etiam rationem, *quia scientia illa est indifferens ad opposita, & ideo debet per voluntatem determinari*. Porro scientia hæc, quæ ita indifferens est, non est scientia visionis, quæ est determinata ad futura, & quæ non potest antecedere libera decreta Dei, per consequens actum Divinæ voluntatis, ut etiam ipsi Thomistæ fatentur & docent, ergo.

61. Hinc quod ipsi tam secure confugiant ad scientiam approbationis, dico, hanc ratione scientiam visionis præcedere, approbare enim spectat ad voluntatem Divinam, qua scientia visionis posterior est in eo sensu, in quo dicitur causa rerum. Hoc dico, quia approbare conjungi potest tum scientiæ simplicis intelligentiæ, tum scientiæ visionis; Habet siquidem Deus scientiam approbationis de se ipso, quia complacet sibi videndo se,& tamen de se ipso non habet scientiam visionis eo modo qui hic sumitur, habet insuper scientiam approbationis de rebus à se factis, quia in illis pariter sibi complacet, sed non effectivè & operativè, sed solum affectivè & ad instar gaudii. At voluntas Divina, dum conjungitur scientię simplicis intelligentiæ volendo & decernendo quid factura sit ex iis, quę ista pręnovit, tunc approbat id, quod vult per decretum efficere, & hoc pacto est causa rerum; Quamobrem nos non negamus, scientiam approbationis esse causam rerum, sed negamus, hanc scientiam approbationis ad scientiam visionis pertinere.

62. Argumentor secundo. Illa scientia est causa rerum in actu secundo, quæ est earumdem principium in actu primo,atqui scientia simplicis intelligentiæ etiam per Thomistas est causa rerum in actu primo, ergo hęc eadem est causa rerum in actu secundo. Prob. maj. quælibet res operatur per illam formam, per quam constituitur in actu primo ad operandum, ut patet inductione, nec aliquid ultra requiritur, ut in actu secundo

do operetur, nisi ut applicetur per voluntatem & facultatem exequutivam, ergo. Colligitur hoc etiam ex Sancti Thomæ doctrina qui 1. p. qu. 14. art. 16. ad 1. inquit: *Scientiam Dei esse causam rerum, quorumdam quidem actu, aliorum autem virtute, scilicet eorum, quę potest quidem facere, nec tamen unquam faciet*. Ergo eadem scientia quæ in actu primo, seu virtute est potens producere possibilia, in actu secundo est causa futurorum, & quarumcumque rerum, nec aliud discrimen est, nisi, quod circa possibilia non est per voluntatis actum determinata, è contra circa futura, sed scientia, quæ est circa possibilia est scientia simplicis intelligentiæ, ergo. Scientia itaque visionis fertur quidem in res futuras & existentes, illas tamen non facit, sed præsupponit.

63. Plura sunt, quæ opponi possunt contra prædicta; & primo ex Sanctorum Patrum momentis. Celebres sunt in hac re Sancti Augustini, & Sancti Gregorii sententiæ. Primus siquidem 6. de Trinit. cap. 10. hæc expresse scribit: *Creaturas, non quia sunt, novit Deus, sed ideo sunt, quia novit*. Et 5. de Civit. cap. 9. loquens de creaturis, inquit: *Quidquid valent, & quidquid facturæ sunt, certissimè valent & facturæ sunt, quia valituras atque facturas ille prescivit, cujus prescientia falli non potest*. Præterea lib. 13. confess. cap. ultimo afferens discrimen inter scientiam hominum & Dei, ait: *Nos ista, quę fecisti, videmus quia sunt; Tu autem quia vides, ea sunt, & nos foris videmus, quia sunt, & intus, quia bona sunt; Tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda*. Secundus vero lib. 20. Moral. cap. 23. apud alios cap. 32. *Quęcumque sunt, non ab ęternitate ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur*, & lib. 32. cap. 5. *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet, quidquid ergo Creator non videt, essentia subsistendi caret*.

64. Resp. textus istos etiam ab adversariis explicandos esse, cum opponantur textibus à nobis adductis, & in ipsis sermo sit de scientia visionis, ut visionis est, quæ tamen neque per ipsos est causa futurorum. Sed revera laudati Doctores nostræ sententiæ contrarium non docent; etenim primo explicari possunt & debent non de scientia visionis, ut visionis est, sed de scientia simplicis intelligentiæ & naturali, quæ necessario supponitur, ut Deus creet, & velit, nec enim aut velle aut creare potest, quin prius sciat quid velit & creet, & hanc dicit Augustinus esse causam rerum, utique directivam, & in actu primo, esse postea in actu secundo adjuncto actu voluntatis, ibi autem loqui Doctorem de hac naturali scientia colligitur ex eo, quod ibi loquatur de Verbo Divino, per quod facta sunt omnia. Secundo, cum dicunt Patres, res ideo esse, quia videntur à Deo, non asserunt hoc in sensu causali, sed illativo, idest, videntur à Deo, ergo sunt, quod est verum, cum scientia Divina falli non possit. Tandem hoc verum esse de præsentia & existentia objectiva, non de physica & reali.

65. Ob. 2. Illa scientia est causa rerum, quæ non est speculativa, sed practica, atqui scientia simplicis intelligentiæ est speculativa, scientia visionis est practica, ergo non illa, sed ista est causa rerum. Præterea. Nulla scientia antecedens liberam Divinæ voluntatis determinationem est causa rerum, sed scientia simplicis intelligentiæ antecedit liberam Divinæ voluntatis determinationem, ergo. Maj. declaratur, alioquin aliqua res esset, antequam à Deo determinaretur, ut esset, min. constat, quia scientia simplicis intelligentiæ in Deo est necessaria, & ideo debet intelligi ante id, quod liberum est Deo, ex quo novum argumentum conficitur, etenim sicut res productæ potuerunt non esse, ita causa rerum potuit non esse, sed scientia simplicis intelligentiæ non potuit non esse in Deo, potuit tamen non esse scientia visionis, quæ idcirco libera ap-

appellatur, ergo. Rursus. Si futurum non esset à scientia visionis, tanquam à sui causa, scientia visionis causaretur à futuro, sed hoc dici non potest, alioquin scientia Divina causaretur à rebus, & aliquid temporaneum ac creatum esset causa æterni & increati, ergo. Tandem. Scientia simplicis intelligentiæ reprehesentat tantum res possibiles, non autem futuras, vel existentes, tum scientia, quæ est causa rerum, debet reprehesentare rei existentiam & futuritionem, alioquin Deus ageret modo cæco, & ut nesciens id, quod produceret, ergo.

66. Resp. conc. maj. dis. mi. Scientia simplicis intelligentiæ est speculativa in actu primo conc. in actu secundo subdis. Si ipsi non addatur actus voluntatis per quam applicetur ad operandum conc. adjuncto actu voluntatis ne. mi. & cons. Eodem modo ad secundum dicam, nullam scientiam antecedentem liberam Divinæ voluntatis determinationem esse causam rerum in actu secundo, sed talem fieri per ipsam, & ita scientiam simplicis intelligentiæ, ut potentem dirigere & operari, esse ante dictam determinationem & necessario in Deo, ut vero actu dirigentem & operantem subsequi & libere esse in Deo; Sicut libera est determinatio. Ad aliud; dico, futurum esse causam visionis in esse objectivo, non physico, hoc repugnat, non illud; etenim etiam scientia simplicis intelligentiæ possibilia cognoscit, quia sunt possibilia, non è contra. Ad ultimum, scientia simplicis intelligentiæ reprehesentat res possibiles, & etiam futuras atque existentes in actu primo & in virtute suæ causæ, cognoscit enim Deus, se posse tribuere actualem existentiam rei, & ideo cæco modo non agit, dum eam tribuit.

§. VIII.

Quid sit, & an admittenda scientia media.

67. PUnctum illud attingimus tandem, de quo adeo mentes animique exarserunt, ut per plures annos Romæ habitæ sint Congregationes. Primo. Sub Clemente VIII. ab anno 1598. usque ad an. 1605., deinde sub Paulo V. à die 20. Septembris anni 1605. usque ad diem 28. Augusti anni 1607. agentibus præcipue Patribus Vastida pro una parte, Lemos pro alia, quod negotium ita finem accepit, ut partibus dimissis & inter modestiæ religiosæ fines contineri jussis, nihil in hac re fuerit à Sancta Sede judicio definitivo stabilitum.

68. Est autem scientia media illa, quæ versatur circa conditionate futura independens ab omni decreto antecedente & efficaci absoluto, ipsumque præcedens, vocatur autem media, cum nec sit scientia simplicis intelligentiæ, nec sit scientia visionis, sed medium inter utramque sibi postulet locum, objectum enim illius nec est merè possibile, circa quam versatur scientia simplicis intelligentiæ, neque est absolutè futurum, circa quod versatur scientia visionis, sed esset futurum, si poneretur conditio, sub qua affirmatur, ut patet in exemplo toties adducto Tyriorum, qui conversi fuissent, si voluisset Deus facere signa, & virtutes, quæ factæ fuerunt apud Corozaitas. Sic autem mediat scientia ista, ut secundum quid cum scientia simplicis intelligentiæ conveniat & secundum quid cum scientia visionis; Cum illa, quia non dependet ab aliquo decreto libero absoluto actu existente, & idcirco non est scientia libera, sed naturalis, sicut est scientia visionis, cum alia, quia versatur circa res contingentes, quæ possunt esse, vel non esse, sicut versatur scientia visionis.

69. Huic scientiæ mediæ adeo infensos se exhibuerunt Patres Thomistæ, ut fer-

ferme tanquam hæreſim proſcribendam eſſe, nec à Semipelagianor. errore diſtare exiſtimaverint; Inde poſtea actum eſt, ut Thomiſtæ, Semipelagianos ac Janſeniſtas appellarent alios. Iſti vero Thomiſtas dixerint Calvinianos, ac Lutheranos. Res male ex utraque parte acta eſt, cum nec primos Semipelagianos dicendos eſſe, ſtatuerit Eccleſia, nec ſecundos Calvinianos; Ac proinde ſalvis fidei juribus utramque partem propugnari poſſe, nemo, qui pacato animo rem velit examinare, ibit inficias.

70. Si tamen Thomiſtæ pluſquam par ſit, velint in hac re vel mentem acuere, vel vocem calamumque attollere, tot celeberrimis viris notam inurent, quos univerſus Theologorum Cœtus dignos exiſtimat veneratione, quoſve Catholica Religio maximos experta eſt defenſores, ita ut ſi numero pietate, ingenio velimus contendere, quo poſſint ipſi gloriari non videam, viderem potius, quod valde laudare deberent; Omnes Doctores Societatis, cum pro re ſua potiſſimum agatur, præteribo; Aliquos tantummodo ex Scholis aliis recenſebo. Occurrunt Nominalium Principes. Marſil. in 1. qu.4. Ocham. diſ.38. qu. 1. Gabr. qu. 1. art. 2. Gregor. qu. 2. art.2. Occurrunt Driedo in concor. 1. p. cap. 4. ad 3. Ruard. art. 7. Waldenſ. in doctrin. fid. cap.23. Sot. lib. 3. Summul. cap. 8. ſect. 3. Ægid. in 1. diſ. 40. qu. 2. art.2. Occurrunt Alexand. Peſant. 1. p. qu.14. art.13. Lorca 1. 2. tom. 1. diſp.4. de art. human. Curiel. in lib. controverſ. ſuper illa verba Sap.4. *raptus eſt ne malitia &c.* Illi quidem primarii Theologiæ in Compluten. iſte vero in Salmanticen. Univerſitate. Occurrunt tandem Stapleton. in antid. Evangel. in 11. caput Matth. Alphonſ. Mendoz. quodlibet 7. Corduba lib. 1. ſuarum quæſt. qu.55. dub.10. Leſſius, Ledeſma &c. Non eſt igitur tam floci facienda ſententia illa, quæ ſcientiam mediam defendit quam tot patronis fulcitam eſſe non ignoramus; Immo ſi mentem doctrinamque Sancti Thomæ maturius perpendere vellemus, neque ipſum contrarium docuiſſe non difficili negotio oſtenderemus; quod quidem à Patre Suarez jam factum eſſe, & novimus, & legimus. Hanc tandem admiſerunt in ſtatu naturæ innocentis Doctores illi, qui Auguſtiniani appellari volunt, quamvis pro ſtatu naturæ lapſæ ipſam reiciant.

71. Eſt autem in ſcientiæ mediæ ſiſtemate hic ordo ſtatuendus. Primo. Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentię omnes rerum ſtatus, quos potuiſſet velle, cognoſcit. Secundo. Inter omnes ſtatus illos, eum elegit, in quo homines & Angelos ad finem ſupernaturalem evexit. Tertio. Lapſum hominum & Angelorum prævidit & permiſit. Quarto. Homines, non Angelos reparare decrevit, ideo Chriſtum Redemptorem voluit & omnibus hominibus contulit quædam gratiæ ſufficientis auxilia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſent, ſi vellent. Quinto. Per ſcientiam conditionatam videt omnia, quæ facturus eſt, vel eſſet homo, ſi in talibus circumſtantiis collocaretur, & talia auxilia præberentur. Tertio. Inter multa gratiæ auxilia, quibus homo conſenſurus, vel diſenſurus prævidetur, ea abſoluto ſuo decreto miſericorditer conferre, quibus re ipſa homo eſt conſenſurus, vel juſtiſſimo quidem, ſed occultiſſimo judicio ſuo negare decrevit, quodve decretum non antecedit, ſed ſequitur ſcientiam conditionatorum, aut eſt pars conditionis. Quare in actibus liberis nihil à Deo abſolutè decernitur, niſi prius ſcientia conditionata præceſſerit.

72. E' contrario ſyſtema prædeterminantium eſt hoc. Primo. Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit Deus quiquid poteſt, v.g. innumeros rerum ordines decernere, & innumera ſalutis obtinendæ media, ideſt cujuſcumque generis & conditionis auxilia, quorum efficaciam in ſua tantummodo omnipotentiſſima voluntate reprehe-ſentat. Secundo. Voluntate generali

& an-

& antecedente volens omnium hominum salutem, auxilia sufficientia. quibus eam sibi comparare possint, subministrat. Tertio. Decreto suo absoluto statuit talibus hominibus gratiam ab intrinseco efficacem concedere, talibus vero denegare, & hinc est, alios absoluto & efficaci decreto ad gloriam & gratiam ex se efficacem prædestinare, alios vero saltem negativè reprobare. Quarto. Advenit scientia visionis, qua Deus videt quidquid revera facturus est, aut facturus esset, si aliqua adimpleretur conditio; quod si conditio minimè adimpleatur, futurum hoc non ad scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ spectare contenditur. Qua propter, ut ad summam redigatur, quod docent, volunt, rectitudinem Divinæ scientiæ ex Divinis decretis antecedentibus accipiendam esse. Systema hoc à nobis rejectum esse illos non latet, qui nostra legerunt.

73. De reliquo, quod attinet ad censuras circa scientiam mediam accuratius æquiusque rem perpenderunt duo ex recentioribus Thomistis. Unus est Natalis ab Alexandro 5. Hist. Ecclesiast. cap. 3. art. 8. ubi differens de Semipelagianorum erroribus, ait: *Cavendum tamen, ne quibusdam Theologis, qui scientiam quamdam mediam propugnant, Semipelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter & temere novi quidam authores fecerunt, vel Semipelagiani erroris ignari, vel studio partium in transversum acti &c.* Alius est Hyacinthus Serri, qui in libro, qui inscribitur, Schola Thomistica vindicata, pag. 8. hæc habet. *Nullam, quod jus attinet, censuris illis inesse vim, iis adstringi neminem, nullique fas esse invidiosas illas Pelagianismi notas inurere.*

74. Hinc rejicimus historiam illam, quam quidam Scriptor ex Ordine Prædicatorum sub ficto nomine Abbatis de Blanc edidit Lovanii circa Congregationes de auxiliis, ubi demonstrare contendit, Librum de Concordia Ludovici Molinæ, statim hac prodiit, variis censuris fuisse perstrictum; atque etiam Romanam, quam jam Clem. VIII. pronuntiaturus erat, nisi ex improviso fuisset morte præventus, quamve Paulus V. jam in sua Bulla paraverat, sed variis politicis rationibus adductus ad aliud distulit tempus (Vide non tam Mediistas, quam Pontificem Optimum Maximum hoc scribendi modo vulnerari) Contra quam historiam alia edita fuit Antuerpiæ an. 1705. inscripta: *Controversiarum de auxiliis*. In qua prior edita an. 1700. tanquam falsa redarguitur & confutatur. Sed nobis satis est, afferre decretum Innocen. X. emissum an. 1654. die 23. Aprilis, cujus verba sunt ista. *Cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam asserta acta manuscripta, & forsitan typis excussa, Congregationum habitarum coram felic. record. Clem. VIII. & Paulo V. super quæstione de auxiliis Divinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ olim Rotę Romanę Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Theologorum, & Prȩlatorum, qui, ut asseritur, prȩdictis interfuerunt Congregationibus, nec non quodam Autographum seu exemplar assertę Constitutionis Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu; eadem Sanctitas Sua pręsenti hoc Decreto declarat, ac decernit, prædictis actis assertis tam pro sententia Ordinis Sancti Dominici, quàm Ludovici Molinę aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, & Autographo seu exemplari prędictę assertę Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse, seu debere, sed super quęstione prędicta observanda esse decreta Pauli V. & Urbani VIII.*

75. Porro decretum Pauli V. sub anno 1611. die prima Decembris Urbani VIII. ann. 1625. die 22. Maii; & postremo Innoc. XII. ann. 1694. die 26. Ja-

Januarii, & 6. Februarii ſtatutum habuit; ne Theologi, dum de Divinis auxiliis diſputationem habent, aliqua erroris vel cenſuræ nota ſe afficiant, ſed, prout Chriſtiana modeſtia præcipit, ea in opinionibus ſuis tuendis libertate utantur, quam Eccleſia concedit: Eſt autem ut ſupra.

76. His animadverſis. Admittendam eſſe ſcientiam hanc mediam, præſcindendo modo ab alia ſententia Scotiſtarum admittentium decreta concomitantia, per hoc nimirum, quod quidquid Deus determinat, determinet cum voluntate creata ſibi objectivè præſenti, de qua re nullam quæſtionem inſtituere placet, cum ipſi Scotiſtæ diviſi ſint in hujuſmodi decretis admittendis, & plures ex ipſis noſtram hanc ſcientiam mediam amplectantur, tanquam certum probatum jam ſupereſt; Etenim, ſi debet admitti ſcientia, per quam Deus videat futura libera conditionata, quæ neque ſit ſimplicis intelligentiæ, neque viſionis, hæc erit ſcientia media, ſed admitti debet ſcientia, per quam Deus videt futura libera conditionata, quæ non eſt ſimplicis intelligentiæ, ut omnes concedunt; neque viſionis, ergo. Prob. minoris ſecunda pars, ſcientia viſionis ſupponit decreta antecedentia abſoluta, & deberet eſſe cauſa futurorum, ſed utrumque falſum eſſe, probatum eſt; ergo. Illud igitur à nobis tantum præſtari debet, ut adverſariorum momenta rejiciamus. Ideo &c.

ARTICULUS IX.

Refelluntur Argumenta contra ſcientiam mediam.

77. Multum in hac re nobis laborandum eſſet, niſi jam elaboratum in antecedentibus, & dicendum infra de gratiæ efficacia; præcipua enim prædeterminantium argumenta in eo vim faciunt, quo decreta antecedentia admittenda eſſe, & gratiam eſſe ab intrinſeco efficacem. Contra utrumque vel actum eſt, vel agetur. Quare ne eadem pluries repetamus, plurima omittemus, ea nimirum, quæ deſumuntur vel à Scripturæ auctoritate, vel à Sancti Auguſtini teſtimoniis; ideo negotium hoc brevi perſtringemus; opponendo tantum ea, quæ à ratione argumenta petuntur.

78. Horum primum eſt; Deum eſſe cauſam primam, primum movens & univerſaliſſimum, ergo Deus debet determinare creaturam, non è contra; atque ut ſervetur ordo adeo in rebus neceſſarius, cum Deus & creatura concurrant ad actum liberum, prius ſecundum ordinem cauſalitatis debet concurrere Deus, quam creatura, atqui admiſſa ſcientia media, hæc ſervari non poſſunt, ergo.

Secundum eſt. Debet in Deo eſſe perfectum dominium circa hominum voluntates, ſed in ſyſtemate ſcientiæ mediæ non ſervaretur in Deo perfectum dominium circa hominum voluntates, ergo. Prob. mi. in ſyſtemate ſcientiæ mediæ non poſſet Deus uti hominum voluntatibus, quando, ubi, & quomodo voluerit, quia deberet expectare conſenſus illarum prævisionem, ergo.

Tertium eſt. Scientiam mediam Divinæ omnipotentiæ virtutem adimere, nam primo Deus circa futuros eventus anceps maneret, nec quidquam poſſet, antequam per ſcientiam mediam exploraret, quid in illis circumſtantiis, & cum illo auxilio factura eſſet humana voluntas, ex quo videretur, in Deo non eſſe talem poteſtatem & virtutem, qua hominum voluntates, quo ipſe voluerit, inclinaret. Secundo; quia nihil poſſet Deus ex omnipotentię ſuę theſauris promittere, ſed ex ſola præſcientia ſua, quod tamen falſum eſſe conſtat ex promiſſione facta Abrahæ circa gentium converſionem.

Quartum. Scientia media non ſervat in Deo primi liberi dignitatem; quia non determinaret creaturam, quæ

eſt

est secundum liberum, sed potius ab hoc determinaretur.

79. Resp. ad primum. Jam dictum fuit quo pacto Deus à creatura determinatur; Conc. ant. ne. conf. etenim creatura quantum ad exercitium debet se ipsam determinare, & sic agere, ut possit absolutè non agere, aliter libera non esset. Hanc de re necesse est, ut quando Deus ipsi exhibet concursum suum in actu primo adagendum, illum sic exhibeat attemperatum, & consentaneum, ut sit in ejus potestate illo concursu uti, vel non uti, si velit; Neque hoc Divinam minuit dignitatem, cum Deus sibi ipsi legem hanc imposuerit ita concurrendi, cum creatura ista agere voluerit; Non est igitur talis ordo in rebus statuendus, ut Deus prius natura & causalitate incipiat producere actum creatæ voluntatis, sed omnino simul, alioquin creatura respectu illius actus, quem Deus prius natura in illa produceret esset causa merè passiva. Alium nos ordinem assignamus, & satis causam primam à secunda, distinguimus. Primo. Quia illa à nulla alia causa vim operandi accipit, nec ab alia illius vis conservatur. Secundo. Quia causa secunda nullo modo posset operari sine causæ primæ cooperatione, potest tamen causa prima se sola operari. Tertio. Quia concursus causæ primæ per se primo universalis est, concursus vero causæ secundæ particularis.

80. Ad secundum. Si velint adversarii tale in Deo dominium sibi fingere, ut in creatura libertas non maneat, profecto verum est quod nobis opponunt, sed si servare velint dominium Dei cum libertate creata, nihil Deo rerum omnium domino derogatur. Quo enim pacto scientia illa, quæ Deo reprehesentat innumeros modos, quibus Deus uti potest ad nostras voluntates superandas quando, & ubi voluerit supremum Dei Dominum auferet? Quod vero expectare debeat consensus prævisionem, hoc non obstat, & audies infra de gratiæ efficacia.

Ad tertium. Falsum omnino est, Deum ancipitem fieri circa futuros eventus, non enim Deus utitur scientia conditionatorum aut ex ignorantia aut ex infirmitate, sed ex suavissima providentiæ suæ lege, qua voluit, hominem ita liberum esse, ut possit cuicumque auxilio gratiæ resistere, si velit. At rogo, derogat ne divinæ omnipotentiæ, nullum in præsenti rerum ordine esse gratiæ genus, cui homo resistere non possit? non profecto, cum hoc sit dogma fidei; ergo neque derogat Divinæ omnipotentiæ aliquid absolutè nolle, nec quidpiam facere, nisi prius prævisso voluntatis consensu. Hac in re ait S. Hieronym. in cap. 49. Isaiæ; *Potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justi voluntas premium consequatur.*

Ex his patet ad alium, promisit enim Deus Abrahæ fidem gentium ex thesauris sapientiæ suæ sciens, quod promisit potens esset facere, quam potentiam scientia media non minuit, sed dirigit, Deo proponendo media quibus servata hominis libertate quod promisit adimpleat.

Ad quartum. Immo præmotio physica non servat in Deo dignitatem primi liberi. Probo. Ut servetur primum liberum debet servari secundum & quidem in propria, non in aliena voluntate, quod dico contra eos, qui existimant satis nobis fuisse libertatem Adami, sed præmotio physica non servat secundum liberum in voluntate propria, ut à nobis probatum fuit, ergo. Quare admissa physica præmotione Deus esset unicum liberum, non primum. Est igitur per nos Deus primum liberum, sicut est prima causa, de qua jam dictum est supra.

81. Ob. secundo. Hæc scientia media à nobis admissa est ad dirigendum Deum in suis Decretis absolutis, ita ut primo Deus noverit per scientiam mediam quid homo sit conditionatè operaturus, quam quid operaturus absolutè, sed non est admittenda in Deo

ad

ad hunc finem, ergo. Prob. mi. Deus in suis decretis absolutis habendis satis dirigitur per scientiam simplicis intelligentiæ, siquidem per hanc Deus comprehendit suam omnipotentiam, & videt innumera auxilia gratiæ, quibus potest hominum voluntates, in quodcumque voluerit, inclinare, ergo.

82. Præterea. Si per scientiam mediam Deus dirigeretur in suis decretis absolutis circa hominum salutem, fieri posset, non repugnare ex natura rei esse aliquem hominem, quem Deus de potestate sua absoluta convertere non posset, sed hoc ex terminis absurdissimum est, & contra illud Augustini in Ench. cap. 95. ubi ait: *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere*? Ergo. Prob. maj. Non repugnat ex natura rei hominem inveniri, qui in nulla circumstantia nulloque tempore velit converti, ex alia parte quæcumque auxilia ipsi conferantur non habent infallibilem, & essentialem connexionem cum conversione, ergo.

83. Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. conc. ant. ne. conf. Etenim per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit Deus omnia auxilia gratiæ, quibus homo consentire quidem potest, sed etiam disentire, & per hanc solam cognitionem non potest Deus aliquid absolutè decernere circa liberas hominum voluntates & actiones, nam cognoscit quidem quid fieri potest, non tamen quod futurum est; Necessaria est igitur alia scientia, per quam Deus videat quid futurum esset, si hæc vel illa conditio poneretur, & hæc non est simplicis intelligentiæ, sed media & conditionata.

84. Ad secundum. Suppositio facta in argumento est pure metaphysica, & loquendo moraliter impossibilis est; Sicut enim, metaphysice loquendo, non repugnat omnes homines in eamdem quo ad omnia convenire sententiam, repugnat tamen moraliter, ita, metaphysice loquendo, non repugnat omnem hominem cuilibet gratiæ seorsim acceptæ disentiri, repugnat tamen moraliter omnibus auxiliis fore disensurum; & quodnam auxilium aptum esset; ut de nolente asentiri fieret volens, in omnipotentia videt Deus, qui volens Paulum convertere, illi dixit durum est tibi contra stimulum calcitrare. Aliud exemplum sit in vitatione omnium peccatorum venialium; quamvis enim nullum sit peccatum veniale, quod seorsim homo sine gratia specialissima vitare non possit, attamen in tota collectione aliquod est, ad quod vitandum non habet homo potestatem moralem, & requiritur gratia specialissima, ita licet homo prævideatur à Deo disensurus huic vel alteri auxilio, & cuicumque seorsim accepto, prævidetur tamen asensurus, si aliquod in tota auxiliorum collectione vellet Deus conferre in hac vel illa circumstantia, quæ magis idonea Deo videretur.

85. Ob. 3. Scientia media omnino inutilis est ad conciliandam humanam libertatem cum certitudine Divinæ prædestinationis, & cum gratiæ efficacia, ergo rejicienda. Prob. antec. primo quia Sanctus Augustinus illam conciliavit sine ope scientiæ mediæ, ut etiam testatur ipse Molina, qui in lib. de concord. quæst. 23. art. 4. & 5. ferme sibi gratulans inquit. Si Augustini tempore nata & explorata fuisset, forte nec Pelagiana hæresis nata fuisset, nec Lutherani tam imprudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare.

Secundo. Ex modo quo Augustinus libertatem hanc comprobabat, multi ex fidelibus turbati sunt, ut scribunt Hilarius & Prosper in epist. ad eumdem, turbari autem non potuissent, si scientia media usus esset.

Tertio. Si scientia media apta esset ad conciliandam libertatem &c. facilis esset concordia libertatis humanæ cum prædestinatione Divina, cum tamen Augustinus lib. de Gratia Christi

cap. 47.

cap. 47. & lib. 4. contra Julian. cap. 8. hanc difficillimam esse fateatur.

Quarto. Idem Augustinus, ut explicet efficaciam gratiæ & certitudinem prædestinationis; semper recurrit ad omnipotentissimam Dei voluntatem, & illud dominium, quo magis continet voluntates hominum, quàm ipsi suas.

Tandem. Quo pacto differt scientia media à modo, quo utebatur Faustus, cu'us tritum erat. *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.*

86. Resp.ne.ant.ad prob. etsi Sanct. Augustinus nunquam usus sit vocabulo scientiæ mediæ; admisit tamen scientiam conditionatam, ut à nobis probatum fuit, & Divinam præscientiam non esse causam futurorum; ut pariter fuit declaratum, & de mente S. Doctor's de gratiæ efficacia ampliora dicemus. Quod vero additur ex dicto Molinæ parum mea interest, excusari tamen potest, ibi sermonem habuisse non de scientia media quantum ad substantiam, sed quantum ad methodum & majorem explicationem. Cœterum Augustinus agens contra Pelagianos ac Semipelagianos nunquam ex professo egit de concordia libertatis cum gratia & prędestinatione, hoc enim non erat præcipuus eorum error, sed totus erat in probando, gratiam esse necessariam ad quodcumque opus supernaturale, ad initium fidei & finalem perseverantiam, quod ab illis negabatur.

Ad secundum. Falsum est, turbatos fuisse fideles propter modum, quo usus est S. Augustinus in conciliandа libertate cum efficacia gratiæ, etenim de hoc nullibi disputavit S. Doctor, sed turbati sunt, quia volebat gratiam prævenientem necessariam esse ad quodlibet opus salutare & initium fidei, atque merita sub conditione futura nihil prodesse.

Ad tertium. Ita se gessit Augustinus cum Pelagianis ac Semipelagianis, quia ipsi scientia conditionatorum abutebantur, ut dictum fuit, & ex alia parte cum supponat gratiæ necessitatem, quam negabant componi posse cum libertate, ideo ut ipsos refelleret securius, & per id, quod ipsi negare non poterant, tum per id, cujus abusus non erat, non ad scientiam mediam, sed ad Divinam omnipotentiam recurrebat; Ex quo autem scientia media facilius explicet creatam libertatem una simul cum Divina præscientia & prædestinatione rejicienda non est, alioquin rejiciendi essent etiam illi Sancti Patres, qui ut facilius servent liberum arbitrium cum præscientia Dei, dicunt, non ideo res esse futuras, quia cognoscuntur à Deo, sed ideo cognosci à Deo quia sunt futuræ.

Ad quartum. Optime confugiebat Sanctus Augustinus ad omnipotentiam illam & Divinum dominium, quo Deus magis continet voluntates hominum, quàm ipsi suas, nam per illam revera homines convertit, non tamen utcumque, sed ut supponentem scientiam mediam, per quam dirigatur. Oritur ergo certitudo Divinæ prædestinationis ex Divina omnipotentia, quia habere auxilia, quę si homini dentur, convertatur & salvus fiat, in Divinæ omnipotentiæ thesauris reperitur. Oritur vero etiam ex Divina præscientia, cum per hanc Deus cognoscat hoc non alio auxilio, in hac non in alia circumstantia hominem esse convertendum, & cum de fide sit, cuilibet auxilio hominem posse disentiri, ideo antequam statuat per aliquod auxilium hominem convertere, necesse est, ut videat, illum revera tali auxilio non esse disensurum, & ita concilietur certitudo præscientiæ & decreti Dei cum humana libertate, in quo sensu dicitur de correp. & gr. cap. 14. *Deum habere humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam voluntatem*. Et certe Deus plus continet voluntates hominum, quam ipsi suas, quia non est in humana voluntate potestas habendi auxilium quo convertatur, est autem in Dei potestate

illud

illud auxilium dare, quo revera convertatur.

Ad ultimum. Valde diſtat ſcientia media à dicto Fauſti. Hic enim cum Semipelagianis volebat, prædeſtinationem non antecedere abſolutam meritorum prævisionem, ſed pendere in aliquo prævio merito naturali, & in fidei initio habito ſine gratia, tum etiam in merito conditionatè præviſo, quamvis nunquam extituro, ut jam ſæpius dictum fuit. Hoc nos nunquam aſſerimus, Ideo &c.

SEQUITUR QUÆSTIO IV.

De modo, quo Gratia confertur.

ARTICULUS IV.

Utrum gratiæ efficacia conſiſtat in aliqua phyſica qualitate, quæ intrinſecè efficax ſit.

30. 
Xcluſa illa phyſica prędeterminatione rem noſtram in Quæſtione quarta ſuſceptam iterum proſequimur, atque id in medium proferre contendimus, utrum opera ſupernaturalia pertinentia ad noſtram prædeſtinationem, ęternamque ſalutem, ita dependeant à gratia, ut hæc ſit ex natura ſua efficax, vel omnia haberi poſſint ſine hac intrinſeca efficacia, ſed præciſe per moralem ejuſdem efficientiam reſpectivè ad voluntatem, quamvis influxum phyſicum præſtet in actum, quatenus in ipſo actu reperiatur aliquod prædicatum ipſi gratiæ una ſimul cum arbitrio concuerenti correſpondens. Tota autem difficultas eſt, utrum gratia hæc efficax producat aliquid in voluntate agentis, per quod voluntas tanquam in ſe receptum ad ſanctè cogitandum pieque operandum, vel utrum conſiſtat in aliquo, quod ſolummodo moraliter ſe habeat, per hoc quod intellectum illuminet, affectum inflammet per ſolas illius illuſtrationes, piaſque iſtius affectiones. Primum tuentur prædeterminantes. Secundum vero alii qui ſcientiam mediam propugnant. Aliis terminis, utrum conſiſtat in aliquo precedente pias affectiones & illuſtrationes, an vero formaliter in ipſis affectionibus & illuſtrationibus.

31. Dicendum. Efficaciam gratię non conſiſtere in aliqua phyſica qualitate, ſed in ſolis illuſtrationibus &c. moraliter ſe habentibus ad intellectum & voluntatem, proinde gratiam non eſſe ab intrinſeco efficacem.

Plurima quidem ſunt, quæ ad probandum aſſertum afferri poſſunt; ſed ut ordine claro diſtinctoque procedamus, incipiemus ex teſtimoniis Sancti Auguſtini, quæ præſertim in hac re maximi facienda ſunt, immo adverſarii firmiſſimè tenent pro ipſorum ſententia, ſtare tantum Doctorem. Sed antequam ipſius mentem aperiam, placet hoc argumentum proponere. Si gratiæ efficacia talis eſt, ut uni ſit apta, & ſuum habeat effectum, alteri non, & effectu privetur, gratia non eſt efficax ab intrinſeco, ſed per Auguſtinum res ita eſt, ergo. Major patet quia etiam per Thomiſtas gratia efficax in eorum ſenſu in quacumque voluntate ſit, ſemper ſuo effectui conjungitur. Minor prob. ex toto lib. 1. ad Simplician. qu. 2. ubi diſtinguit gratiam efficacem ab inefficaci, & ſic concludit. *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis. Illi electi qui congruenter vocati.* Rurſus. *Non volen-*

volentis &c. quia etiamsi multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum est, ut sequantur. Et infra. *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ergo per Augustinum gratiæ efficacitas explicatur per congruitatem respectu illius cui datur, & ideo talis est, ut uni sit apta & suum habeat effectum, alteri vero non, & suo privetur effectu.

32. Neque audiendi sunt plures oppositæ scientiæ, qui cum negare non possent, in dictis locis sermonem esse de vocatione & gratia congrua à nobis propugnata, dixerunt, ibi Augustinum non esse loqutum juxta propriam sententiam aliquid stabiliendo, sed solum disputando; Cum inde dicat; *Et tamen intueamur superiora, & inde nostram, quantum Deus dederit, sententiam proferemus.* Primo quia Doctor in lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 4. approbat quod ad Simplicianum scripsit declarando se esse convictum, cum prius oppositum sentiret, & sibi postea aliter à Deo diceret revelatum cum ad ipsum scriberet. *Ecce* (sunt verba ipsius) *quare dixi superius, hoc Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem revelavit.* Secundo quia Augustin. lib. 1. retractationum cap. 23. reprehendit se, quod in prioribus operibus parum de gratiæ mysterio disseruerit, credi ergo non potest, in hac ex propria sententia non esse loquutum, & si res ita esset, dicendum foret, quod tota Doctrina ab ipso tradita usque ad citata verba, *& tamen intueamur &c.* prorsus inanis esset, nulliusque auctoritatis, quod tamen à veritate alienum est, cum Doctores omnes illam producant. Tandem; Vel illa superiora referuntur ad Doctrinam præcedentem, & sic habemus intentum, vel ad sequentem, & ita nihil colligitur, quod contra nos sit; Ibi enim interrogat, quare Deus de hominibus conqueratur, si cujus vult miseretur, & quem vult indurat, cum potius homines de Deo conqueri possent, quod cum ipsis inæqualem in largiendo gratiam se demonstret, & respondet, attendenda esse superiora verba Pauli, quæ erant ista. *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas est apud Deum?* Ex quibus infert, juste Deum conqueri de peccatoribus, cum ipse ad peccandum non cogat, nec sufficientem gratiam neget, juste autem non posse peccatores conqueri de Deo, quia ipsis vocationem congruam non det, sicut aliis, cum ipse nihil debeat, & dona sua, cui ipse voluerit, possit omnino gratis impertiri. Utrum autem hæc destruant quod prius dixerat, videat unusquisque, dummodo claris oculis velit videre.

33. Verum ex aliis Augustini locis amplius licebit ejusdem mentem cognoscere; Sed prius hoc argumentum expono. Si eadem gratia est, sub qua unus convertitur; & alius non convertitur, jam gratia ab intrinseco efficax non est, ut constat, sed eadem gratia est, sub qua unus convertitur, alius non convertitur, ergo. Prob. mi: ex Augustino in toto cap. 14. de bono perseverantiæ, ubi ait Tyrios & Sydonios relictos esse, qui tamen credere potuerunt (loquitur autem de potestate reducenda in actum) si virtutes à Deo factas vidissent, quas tamen videntes Corozaitæ & Betsaitæ conversi non sunt; quid vero ex hoc infert? En ipsius verba. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Dixi, loqui de potestate reducenda ad actum; Prob. quia in Evangelii textu est hujusmodi Sermo. Væ tibi Corozaim, Væ tibi Betsaida, quia si in Tyro &c. Nunc in cinere & cilicio pœnitentiam *egissent*. Non dixit potuissent agere: Secundo quia in pluribus aliis locis iste mos est loquendi Augustini, ut potestatem vel non potestatem sumat pro actu, vel non actu; & ut sistam in eodem c. 14. citato, ubi de Judæis ait. *In eadem per-*

ditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Et tamen ly *non potuerunt* intelligendum est de non potestate non reducenda in actum, nam absolutè potuerunt, aliter non peccassent; Unde prosequitur *Cur enim non potuerunt credere &c.* Ergo ex mente Augustini est, sub eadem gratia unum converti, alium non, proinde &c. Hinc fit, ut idem adnotavit, differri aliquando vocationem Divinam, ut sit congrua pro uno tempore, quæ non esset pro alio, quod ostendit super illa verba ps. 142. *Cito exaudi me Domine* dicens; *pluviam differebas, ut hauriens imbiberem, sic ergo differebas; jam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

34. Alia quam plurima ex libris ejusdem afferri possent, quæ citantur à Bellarmino, Suarez, aliisque, sed nos adductis contenti sumus: cum si præterea probaverimus, motionem descendentem à gratia præveniente & operante esse moralem, & consistere in illustrationibus, & piis affectionibus voluntatis, quod est intentum nostrum, jam punctum evincimus. Jam vero hoc declarandum aggredior; & ab Augustino exordium sumo, lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 17. ait. *Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est.* Et cap. 19. *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat?* Ea gratia operans ea est, quæ movet inspirando & illuminando objectum reprehesentans, & animam alliciens. Hoc clarissime demonstrat tract. 26. in Joan. quærens, quomodo à Patre trahantur homines ad Christum, *nemo enim venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Et respondet trahi, sicut oves trahuntur, si ramus viridis illis ostendatur, & trahuntur pueri, si nuces demonstrentur. *Ramum viridem*, inquit, *ostendis ovi, & trahis illam, nuces puero demonstrantur, & trahitur, si ergo*, concludit, *ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahet revelatus Christus à Patre &c.* Aperte igitur ex hisce similitudinibus colligitur, trahi homines per gratiam, quatenus per ipsam invitantur, alliciuntur; non quatenus determinantur, & à fortiori prædeterminantur.

35. In sensu nostro intellexerunt Augustinum celebriora Concilia, quæ omnem operantis gratiæ vim tribuunt illuminationi intellectus, qua cognoscamus quid agendum sit, & inspirationi, seu piæ affectioni voluntatis, qua id diligamus. Hac de re dixit Milevitan. can. 4. *Utrumque est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Hac de re Concil. Arausic. 2. can. 7. ita definivit, *Si quis per naturæ vires bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, vel eligere, sive Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo veritati, hæretico fallitur spiritu.* Hac de re Concil. Trident. ut cœtera quæcumque prætercam agens sess. 6. c. 5. de præparatione hominis ad justificationem inquit. *Justificationis exordium esse à Dei per Christum Jesum præveniente gratia &c.. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem &c.* Quæ omnia, si perpendantur, nihil aliud tribuunt operanti, seu prævenienti gratiæ nisi illuminationem & inspirationem, proinde dicendum remanet in his, non vero in aliqua physica prædeterminante qualitate illam esse collocandam.

36. Sed si licet ulterius progredi ex centum locis, quibus ex Concilio veritas à nobis stabilita confirmari posset, unum eligam, quod jam alibi indicavi, & illud est quod legitur cap. 11. *Deum non deserere justum nisi prius deseratur*

tur &c. Si autem auxilium Divinum efficax esset ab intrinseco, & in physica prædeterminatione consisteret, Deus prius desereret, quàm desereretur. Probo. Non stat, hominem deserere Deum nisi peccando, sed non stat, hominem peccare nisi per subtractionem auxilii efficacis, quia quoadusque hoc detur, si intrinsecè efficax est, nunquam homo peccabit, ergo. Prius igitur erit Deum subtrahere auxilium efficax; quam hominem peccare, ergo prius erit hominem à Deo deseri, quàm Deum ab homine. Ex alia parte non potest dici, à Deo deseri justum quantum ad auxilium sufficiens, quia hoc in primis non facit hominem justum, deinde perseverat etiam in ipso actu peccandi, ergo. Argumentum hoc mihi satis probans & evincens videtur.

ARTICULUS V.

Idem stabilitur ex testimoniis Scripturæ.

37. Ne sub eodem capite plura confundantur, post Augustinum & Concilia afferamus etiam Scripturarum testimonia, quibus præfatum nostrum assertum comprobemus, magisque stabiliamus. Producatur vero illud in primis, de quo dictum est in anteceden. ex Matt. 11. *Væ tibi Corozaim, væ &c.* sed ut argumentum inde illatum vim retineat, videamus quid prædeterminantes respondeant. Dicunt porro Tyrios & Sydonios fuisse credituros, non præcisè, si apud ipsos fuissent factæ illæ virtutes, sed quia ulterius data ipsis fuisset physica prædeterminatio, quæ non fuit data Corozaitis, & ideo isti nec crediderunt, nec pœnitentiam egerunt, habebat enim Deus decretum conditionatum dandi illis hanc physicam præmotionem, si apud eosdem factę fuissent dictæ virtutes.

38. Sed contra. Jam physica præmotio eliminata à nobis est. Sed hujusmodi responsio est omnino contra superius citatam Augustini explicationem. *Ex quo apparet &c.* num. 33. quæ illatio esset omnino frustranea, si per physicam præmotionem credituri essent, nam licet non habuissent illud intelligentiæ munus, & in omnibus antecedentibus fuissent deteriores, si fuisset illis danda physica præmotio, adhuc credidissent. Secundo; data illi responsione fuisset omnino injusta Christi reprehensio & comminatio, immo prompta non defuisset excusatio, dicendo. Ut quid nos objurgas, si conversi non sumus, cum tamen alii conversi fuissent? Isti physicam habuissent prædeterminationem, quam nos non habuimus; Si & nobis illam dedisses, jam pœnitentes fuissemus; Sine hac nunquam erimus; quid ergo mirum? An quia agere quid possumus, ut convertamur? Sed si ita te cum illis gessisses, sicut erga nos, & ipsi agere potuissent, sed non egissent, ideo paris conditionis essent. Reprehende qui currum non trahit solus, illum comparando cum alio, qui trahit alterius auxilio, profecto iniustè reprehendes.

39. Dices fortasse, nos majora peccata gessisse, quibus prædeterminationis physicæ gratia indigni essemus, aut saltem majora impedimenta à nobis apposita esse, & ideo nos justè exprobrari. Ita sanè dicunt, & afferunt S.Th.3. contra gent. cap.159. & sequenti. Male tamen dicunt. Notum est jam, in ipsorum systemate nullam rationem reddi posse, cur uni potius detur physica prædeterminatio quam alteri, etenim decreto Divino ante omnium futurorum præscientiam statutum fuit, huic dandam esse non illi; Secundo. Judæos obduratos esse in non credendo præsupponit carentiam physicæ prædeterminationis ad credendum, quia hac habita omnis cordis durities ablata esset, ergo illa obduratio præmotionem physicam impedire nequaquam potuit: Tandem. Si non dabatur physica præmotio propter peccata majora, propter hæc reprehen-

di poterant, nec tamen quia pœnitentiam non egiſſent, reprehenduntur vero propter hoc. Potuiſſent immo dicere. Chriſte jocaris & fingis; nobis das externa ſigna, & illis dediſſes phyſicam præmotionem. Nos vocas ad fidem, veniemus nunquam, niſi nos prædeterminas, ſicut veniſſent Tyrii. Vis nos eſſe magis reos, da utriſque eamdem virtutem.

40. Ita reſponderunt, & ita reſponſionem rejecimus; attamen ſaltem argumentum retorquendo ſe ipſos conantur defendere. Levis quidem, & nulla hæc defenſio eſt; audiamus tamen. Non minus per prædeterminantes eſt neceſſaria gratia efficax ad pœnitentiam, quàm per nos ſit neceſſaria gratia congrua, & tamen hæc non fuit data Corozaitis, & fuiſſet data Tyriis, alioquin nunquam pœnitentiam egiſſent, ergo pro utraque parte remanet eadem difficultas, & æquali modo potuiſſent ſe excuſare, non fuiſſe congruè vocatos, ſicut fuiſſent alii.

41. Sed contra, nequaquam eſt eadem difficultas, nec excuſatio eſt æquè juſta; nam phyſicam præmotionem dari pendet abſolutè à ſola Dei voluntate, vocationem vero eſſe congruam vel non congruam pendet ab hominum voluntate, non enim ſine hac congrua fieri poteſt; & ſi dicas, ergo congruitas gratiæ pendet à libero arbitrio, quod Pelagianum eſt, jam reſponſum accepiſti art. 2. hujus quæſtionis, pendet enim à libero arbitrio cooperante, proinde ſupponente gratiam, per quam & cum qua operatur, quod Pelagianum non eſt, ſed omnino Catholicum, *ne dicam*, *ſolummodo Catholicum*; Et ſi iterum dicas, quod ſicut datur impedimentum vocationi congruæ, ita dari poteſt impedimentum phyſicæ prædeterminationi, tibi ipſi contradicis, quia illa non dabitur ſub prævisione talis impedimenti, nec à ſolo Deo, ſed etiam à libero dependebit arbitrio, quod adeo contra nos repetis. Dabitur ergo, replicabis, vocatio ſeù gratia congrua ex prævisione cooperationis creaturæ; Hoc autem Semipelagianum eſt, cum diceretur ab iſtis, Deum præmia largiri, vel pœnas infligere prævisis meritis, vel demeritis eorum, qui ſine baptiſmate moriebantur. Verum male replicas; falſum eſt dari ex hujuſmodi prævisione, cum etiam prævisa cooperatione non detur, ſicut ſupra declaratum fuit, ſi Tyriorum exemplum perpendatur. Datur ergo, quando datur ſub prævisione, non tamen ex prævisione, hæc inferret cauſalitatem in gratiam, non illa. Neque aliquo pacto cum Semipelagianis ſentimus. Quis enim ex nobis aſſerit, ſalutem obtineri ſub prævisione noſtræ cooperationis, ſi gratia non detur, cui cooperemur, & cui non tantum prævideamur cooperaturi, ſi daretur?

42. Properamus nunc ad eximium gratiæ veritatiſque prædicatorem, Paulum videlicet. Quid ait iſte 2. ad Corint. 6.? *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In hoc textu ſermo eſt de gratia in genere ut præciſa à congrua vel incongrua, vel de mere ſufficiente, vel de mere efficaci, ſed quidquid dicatur, excluditur phyſica gratiæ prædeterminatio, ergo. Prob. prima pars min. ſi ſermo eſt de gratia in genere, adhortatio Pauli ſupponit eſſe in proxima hominis poteſtate illam poſtquam receperit facere vacuam, vel non vacuam, ergo illam reddere efficacem, vel non efficacem; Si de gratia ſolum ſufficiente, hæc per adverſarios ſemper vacua remanet, ideſt ſine opere & fructu; Hanc ergo reddi non vacuam, eſt illi cooperari, ſeù illa bene uti, per quam cooperationem bonumque uſum redditur efficax. Si tandem de gratia ſolum efficaci, ſi monet Apoſtolus, ne in vacuum recipiant, ſupponit, hanc vacuam reddi per non cooperationem, ergo non erit efficax ab intrinſeco, quod ſi vacua nunquam redditur, fruſtranea & ridicula erit hujuſmodi exhortatio.

43. Reſpondere ſolent, poſſe homi-

minem reddere hujuſmodi gratiam vacuam ut præciſam à congrua vel incongrua, immo ita illam reddere, ſi non prædeterminatur, facere vero ejuſdem gratiæ fructum, ſi determinatur. Sed inanis omnino reſponſio; recipere enim hujuſmodi prædeterminationem non eſt in hominis poteſtate, nec aliquid ab ipſo fieri poteſt per quod moveatur Deus ad illam conferendam; debuiſſet ergo Paulus illos admonere, ut prædeterminationem reciperent, & ab ejuſdem carentia caverent, ſed admonitio eſſet vana, & riſu accipienda; Supponit propterea, gratiam eſſe talis naturæ, ut homini data per ſuam cooperationem fiat non vacua, & per non cooperationem vacua.

44. Hinc infero, in adverſariorum ſyſtemate vanas eſſe exhortationes, vana conſilia, & exhortantibus & conſulentibus reſpondere homines poſſe, ſi Deus me prædeterminabit, faciam, ſi non, nunquam faciam, & ex alia parte prædeterminationem nunquam promerebor. Vanum eſt, Petrum dicere ep.2. cap.1. *Satagite; ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. Quodnam opus erit per quod certa fiat vocatio & electio? Si Deus me prædeterminando vocavit & elegit, certiſſima eſt vocatio & electio, ſin minus, nunquam certa erit. Neque juvat dicere hoc eſſe per ordinem ad exequtionem, nam ſi vocatio & electio efficax eſt ab intrinſeco certa erit, quin homo ſatagat, ut certa fiat. Proſequatur ergo Paulus argumentum, & dicat 1. ad Corint. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum*, ſed ſtatim ſubdat, ſed *gratia ejus in me vacua non fuit* ut ſimul oſtendat, gratiam & ſuam cooperationem, per quam vacua non fuit; *abundantius*, enim inquit, *illis omnibus laboravi* ſupponens ab ipſo vacuam fieri potuiſſe, & ne in ſe ipſo gloriaretur, ſed in Domino, proſequitur dicens, *laboravi non ego ſed gratia Dei mecum* ideſt ex Auguſtino, nec gratia ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Quare ut gratia vacua non ſit, ideſt ſit efficax, non eſt petenda ratio à ſola gratia, ſed per reſpectum ad liberam arbitrii cooperationem. Quod ſi res ita non eſſet, cur diceret Deus proverb.1. *Vocavi, & renuiſtis*? Cur pſ. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*? Cur Matt.23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti*? Cur per Iſai. cap.5. *Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas*. Potuiſſent dicere, voca nos prædeterminando, & non renuemus nec corda obdurabimus, congrega nos eodem modo & vellemus; non expectares, ut faceret uvas, nec feciſſet labruſcas, ſi ut uvas faceret, tu dediſſes. E' contra in ſententia noſtra omnes iſtæ reſponſiones evitantur.

ARTICULUS VI.

Idem probatur etiam ratione.

45. Rationes illas, quibus Mediiſtę probant, gratiam ab intrinſeco efficacem phyſiceque prædeterminantem omnem libertatem auferre hic pręterimus, eas enim jam expoſuimus in pręcedenti diſputatione ubi de Divina futurorum cognitione. Ab illis itaque hic abſtinendo, ſic primum argumentum inſtituo.

46. In actionibus ſupernaturalibus illud eſt admittendum quod ipſas ſufficienter ſervat, & id excludendum quod ad ipſas neceſſario non requiritur. Illud enim axioma, *non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate*, ſicut verum eſt in Phyloſophicis, ita & in Theologicis, atqui per puram gratiam efficacem ab extrinſeco explicatam per Sanctas illuſtrationes, inſpirationes piaſque affectiones, quibus moraliter intellectus & voluntas moveatur, ſufficienter ſervantur actiones ſupernaturales, ergo. Prob. mi. in actionibus ſupernaturalibus reperiuntur vitalitas, libertas & ſupernaturalitas, ſed per gratiam efficacem ab extrinſeco explicatam per &c. ſervantur hæc omnia, ergo. Prob. mi. Voluntas ex natura

ra sua est facultas vitalis, & libera, gratia etiam efficax ab extrinseco & explicata per &c. est supernaturalis, sicut sunt supernaturales illustrationes & inspirationes, ergo. His omnibus addatur gratia adjuvans & cooperans, quæ ex terminis nequit esse physicè prædeterminans, quid ultra deerit, ne habeantur supernaturales actiones? Habet profecto voluntas virtutem completam in ratione principii proximi per hanc solam gratiam, sicut sol non indiget alia virtute superaddita, ut luceat, nec ignis, ut calafaciat preter suam lucem suumque calorem cum Dei simultaneo concursu.

47. Atque ex hoc intelligas, quo pacto faciat Deus ut velimus atque ut operemur, juxta illud Ezechiel. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis &c.* Quod quidem negari non potest, nam ut agamus, & agendo simus filii Dei, oportet, nos à Deo agi, propter quod dicit Paulus ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Unde Augustinus lib. de correp. & grat. cap. 2. *Intelligant, se Spiritu Dei agi, ut quod agendum est, agant, aguntur enim ut agant.* Hoc siquidem per puras illustrationes & pias affectiones haberi, declarat apertissimè idem Augustinus lib. de Spir. & lit. cap. 14. ubi ait. *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus &c.*. Et ulterius ratio ipsa confirmat, nam ad hunc finem illas Deus elargitur, qui jam prævidit nos esse consensuros semper dependenter ab illis, proinde &c. Propterea, ut jam superius indicavi, possunt istæ considerari vel per respectum ad animam, vel ad actiones, per respectum ad animam moraliter se habent, per respectum ad actiones se habent physice; nisi velimus dicere, ad actiones concurrere Deum per gratiam adjuvantem & cooperantem, quam physice influere negari non potest, sicut admittitur concursus simultaneus, in quo concursu semper aliqua prioritas concedi Deo debet, quia sine ipso nihil creatura agere potest, non tamen illa prioritas ab adversariis propugnata per quam creatura prædeterminetur.

48. Aliam rationem subdo, per quam ostendo, voluntatem per illas intellectus illustrationes, & sui pias affectiones totum id habere, quod ad supernaturales actus necessarium existimatur. Graviter tentetur homo, jam per hanc gravem tentationem, si gratia desit, infallibiliter peccabit, ideo gratiæ necessitatem ad vincendas graves tentationes cum Theologis admisimus, & tamen gravis tentatio nihil ultra facit, quam proponere, suadere, allicere ad peccandum, ergo a pari per illustrationes, & pias affectiones dabitur facultas ad supernaturaliter operandum, nec quidpiam ultra requiretur, quam proponere, suadere, allicere &c. Aliquibus Theologis hæc argumentandi ratio fortasse parum satisfacit, cum videamur, non plus virtutis Deo tribuere ad bonum, quam Dæmoni tribuamus ad malum. Sed si nos in hoc reprehendendi sumus, reprehendantur prius duo præcipui Doctores Augustinus & Hieronymus, qui simili exemplo usi sunt. Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. habet hæc verba. *Si tamen potens est Deus sive per Angelos malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum hominum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, quid mirum, si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut corda ipsa essent ex malis bona?* Hieronym. vero lib. 2. contra Jovinian. sub initio habet hæc alia. *Liberi arbitrii nos condidit Deus &c. sicut in bonis operibus perfectio est Deus, sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiva & perfectio Diaboli.* Argumento hoc nostro usus est ipse S. Th. qui lect. 5. in Joan. explicans quomodo Pater trahat ad Filium, inquit. *Aliquis homo trahit aliquem suadendo ratione, & hoc modo Pater trahit homines ad Filium vel per internam inspirationem, vel per miraculorum operationem &c.* Usus est Sot. lib. 1. de

de nat. & gr. cap. 16. dicens: *Quod Deus aliquo modo illuminet, inspiret, & tangat corda nostra absque voluntate nostra, patet similitudine tentationis ad malum.* Neque verum est, nihil plus ad bonum à nobis Deo tribui, quam Dæmoni tribuamus ad malum; Sed argumentum nostrum fit à fortiori; Si enim Dæmon nos moraliter movens ad malum, sufficit, ut mali simus; tanto magis Deus nos moraliter movens ad bonum, sufficiet, ut simus boni. Multo enim excellentiori modo potest Deus accommodare cordibus inspirationes suas, quam Dæmon suas tentationes, multoque majorem suavitatem infundere potest Deus ut ad honestum trahat, quam Dæmon ut trahat ad delectabile; Sistimus tamen semper in linea morali, quæ in indivisibili non consistit. Verum tamen est, neque hujusmodi moralem determinationem semper ad actus supernaturales necessariam esse, cum sufficere possit etiam minor, cui si voluntas humana correspondere per gratiam adjuvantem, ipsi actus haberentur.

ARTICULUS VII.

Afferuntur in oppositum Sanctus Augustinus, & ipsum afferentibus satis fit.

49. JAM dictum fuit adversarios nostros tanquam de propriæ sententiæ authore & præcone de Augustino gloriari. Pro modulo nostro Augustinum pro nobis proferre tum in præcedenti disputatione, tum in hac quæstione afferre studuimus. Quid igitur pro ipsis dicere videatur, justum est à nobis expendi, ne ea disimulemus, quæ contra nos militare videntur.

Primum quod opponitur est, Sanctum Doctorem lib. de gr. Christi c. 24. docere, *Deum occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*; de correp. & grat. cap. 6. *Posse Deum quem velit ad pænitentiam potentissima suæ medicinæ potestate convertere*; in Ench. cap. 95. *Efficacissimam esse voluntatem Dei, quæ nihil vult, quod non faciat, omnia enim quæcumque voluit, fecit & posse hominum malas voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonas convertere.* Idem semper repetitur in lib. de prædest. Sanct. cap. 20. de bono perseveran. cap. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 20.

50. Respondebis omnia hęc esse vera, modum tamen à S. Augustino in dictis locis non indicari. Hæc servantur, si admittamus gratiam congruam, & ab extrinseco efficacem, sicut à nobis ex mente ejusdem Sancti Augustini probatum est. Operatur porro Deus in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates, & quem vult convertit, quando vult, ubi vult, sed nec absolute antecedenter vult, nec vult quando, nec vult ubi, nisi sub præscientia, & prævisione sua, ut jam declaratum fuit, & sicut nos explicamus gratiam efficacem per vocationem & gratiam aptam, ita explicamus efficacissimam per vocationem & gratiam aptissimam semper tamen in linea morali, & sic intellige adeo vulgatam Doctoris auctoritatem, in qua dicitur, Deus efficacissimas vires voluntati tribuere.

51. Oppones. Data nostra Doctrina totum servaretur, quia voluntas hominis vellet, quamvis dependenter à gratia, sed juxta Augustinum hoc dici non potest, ergo. Prob. mi. Si res ita esset, gratiæ efficacia non est mysterium occultissimum, sed per S. Augustinum est hujusmodi, proinde ipse ad judicium Dei, & ejus investigabiles vias totum negotium reducit, ergo. Maj. declaratur, quia per nos dici posset, gratia est efficax uni, quia iste vult, non est efficax alteri, quia iste non vult, & sic totum mysterium revelatum compertumque fieret.

52. Sed contra conc. maj. ne. mi. ad prob.

prob. transf. maj. dist. mi. est mysterium occultissimum in sensu diverso ab adversariis intento conc. in eo sensu me. mi. & Conf. Gratiæ efficacia & est mysterium, & mysterium non est, si, ut debet considerari, consideretur. Novit hoc Augustinus, & quin confugeret ad investigabiles Dei vias rem definivit, sicut nos definimus. In lib. de vera Religione cap. 7. inquit. *In area Ecclesiæ quisque vel palea vel furmentum est pro voluntate sua* de prædest. Sanct. cap. 6. ait citans verba Massiliens. *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt, volunt ergo isti credere nolunt autem illi*; respondet; *Quis hoc ignorat? Quis hoc negat?* Responsio ergo nostra est responsio Augustini, Est tamen per Sanctum Augustinum & per nos occultissimum mysterium in alio sensu, nimirum si consideretur secundum ordinem prædestinationis, nam semper quæstio manet irresoluta, cur Deus huic congruam dederit vocationem, idest vocaverit, quando erat prævisus consensurus, non dedit alteri, & propter hoc solum ad incomprehensibilia Dei judicia superest confugiendum. Vis mentem Augustini cognoscere? Augustinus ipse loquatur cit. cap. de prædest. Sanctorum. *Cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, videndum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Verba sunt ejus; & clarius lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 5. dixit. *Cur istum illo, illum isto modo adjuvet, penes ipsum est & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* In hoc sententia nostra magis arridere debet, quod etiam mysteria magis declaret, & humano captui magis se accommodet; Si fieri hoc posset cetera mysteria explicando, non ne fieret? An non laboramus quantum possumus, ut exemplis & similitudinibus Trinitatem exponamus?

53. Secundum quod opponitur desumitur ex locis de gr. Christi, ubi dicit Doctor, hominem in operibus bonis agi à Deo, idem autem videtur, agi ac prædeterminari, quod & magis confirmatur ex eo, quod habet cap. 2. de actibus Concilii Palestini, ubi ait. *Plus esse agi, quam regi, nam qui regitur aliquid agit, qui autem agitur vix agere videtur.*

Respondebis. Totum hoc bene dictum esse ab Augustino, & prius jam dictum esse ab Apostolo Paulo, qui omnes Dei filios à Deo actos esse cognovit; *Qui* enim *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Hoc autem non est dictum à Paulo propter physicam prædeterminationem, sed propter Spiritus Sancti inspirationes, & instinctus, quibus illos gubernat in quibus vel inhabitat, vel quos ad sui ipsius mansionem disponit. Vis claram Augustini mentem agnoscere? Legas illum in Enchir. cap. 94. hæc verba invenies. *Quamvis filii Dei Spiritu Dei agantur, sic tamen Spiritu Dei excitantur, & tamquam filii Dei ad Deum proficiunt, ut etiam spiritu suo interdum deficiant*. Vides jam ex istis nil aliud esse per magnum Sanctum Doctorem agi, nisi quod excitari; Vides ulterius ita agi & excitari, ut aliquando non agant, sed deficiant, quod certè non eveniret, si gratia in sensu adversariorum efficax esset. Quod si dixit, illum, qui agitur vix agere, profecto asserere non potes, nisi quia Dei gratia in operibus bonis principem obtinet locum, non vero quia propria actio etiam ipsi non conveniat, nisi te Lutheri Calvinique asseclam fatearis. Accipe pro hac re alia verba ejusdem lib. de grat. Christi cap. 25. *Ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est, non quia nos non volumus, aut quia nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus*. Cur ergo, inquies, distinxit illa duo Augustinus *regi*, & *agi* plus huic tribuendo quam illi? Plus distinxit, respondeo, non quia substantia diversam habeant significationem, sed quia agi plus habet emphasis & energiæ, ad indicandum, regimen Divinum maximam habere virtutem

teni ad hominis voluntatem reddendam promptissimam atque obsequentissimam, sicut licet eadem sit fidelitas in Deo, sive tantum promittat, sive promittat cum juramento, attamen ad majorem expressionem reperitur, Deum aliquando cum juramento promisisse. Cœterum; præter superius dicta, verbum *agere* explicat Doctor per verbum *regere* ser. 13. de verbis Apost. dicens. *Agi homines non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante*. Quid clarius pro re nostra vel afferri, vel unquam excogitari potest?

54. Tertium quod opponitur, est, maximam inter Augustinum & Pelagianos fuisse controversiam, atque istos illi objecisse, gratiam, ab eodem admissam, humanam auferre libertatem, ut colligitur ex quatuor libris contra ipsos, & lib.4. contra Julian. cap. 8. Sed si Augustinus docuisset scientiam mediam, nullum hoc dicendi habuissent fundamentum, ut manifestum est, ergo. Quod magis declaratur, si perpendamus, Pelagium negasse hanc gratiam physice prævenientem, ac prædeterminantem, contra quem cum egerit Augustinus, recte licet inferre, hanc ab Augustino fuisse traditam, alioquin superflua omnino fuisset disputatio. Totum hoc apertius habetur ex iis, quæ scribit ad Vitalem ep. 107. ubi leguntur hæc verba. *Inter eos agi de gratia quæstionem, utrum præcedat, vel subsequatur hæc gratia hominis voluntatem, hoc est, utrum, ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam hoc etiam efficiat Deus, ut velimus*.

55. Responsio jam patet ex alibi dictis, quia Pelagiani asserebant, etiam ex concursu Dei simultaneo auferri libertatem creaturæ, ideo illum negabant, quare minor neganda est, aut etiam negandus esset concursus simultaneus tanquam ex mente Augustini, sed cur miremur, si ex Doctrina Augustini colligebant Pelagiani libertatis detrimentum, si nunc ex illa colligunt alii physicam prædeterminationem, cum tamen hujus nullibi mentionem fecerit, immo ut ostensum est, contrarium omnino docuerit? Ignoranter aut calumniose id fecerunt illi, quomodo faciant isti judicare non audeo. Neque verum est, ita Augustinum probasse gratiam prævenientem, ut ipsam voluerit esse prædeterminantem; nam in primis quamcumque gratiam prævenientem & excitantem internam negavit Pelagius admittens dumtaxat doctrinam, legem, & revelationes, quibus homines excitarentur & in quibus totum adjutorium esse affirmabat, unde dicebat, non auxilio Dei, sed ex nobis effici voluntatem bonam. Secundo; etiamsi admisisset Pelagius gratiam prævenientem sufficientem, adhuc Augustinus in ipsum contendebat, volens hanc gratiam esse etiam efficacem, non tamen prædeterminantem, sed congruam, in sensu à nobis explicato. Ex verbis illis in Epis. ad Vitalem nihil ad rem evinci potest; Hic enim negabat; voluntatem credendi esse donum Dei, & tantum requiri, doctrinam fidei proponi, Quid igitur Doctor? Ipsum impugnat, ostendens Deum in nobis facere ut velimus, & simul demonstrat modum, quo hoc facit per hæc verba. *Si ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta & secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi ac doctrinæ accommodaret assensum, non opus esset orare &c.* notentur hæc omnia, *præpararet*, *accommodaret*. Et perspicies ex hoc testimonio nostram magis confirmari doctrinam.

56. Quartum, quod opponitur, est, sententiam nostram ita esse rejiciendam, sicut error Semipelagianorum. Mens enim istorum erat, initium bonæ voluntatis à nobis esse, non à Deo, & Deum adjuvare voluntatem nostram, non quia Deus incipiat, sed quia ista, contra quos agit Augustinus in toto libro de prædestinatione Sanct. sentit ergo efficientiam con-

consensus totam esse à Deo, neque verum esse consentire Deum, quia nos consentimur, sed nos consentiri, quia Deus facit nos consentiri. Roboratur magis argumentum, cum in eodem libro ita loquatur, ut velit totum dari Deo, & deinde addit contra duas epist. Pelagian. cap. 9. *Nunquid Christianus liberum arbitrium esse negat in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod rectè vivimus?* Ita autem dicere profecto contra sententiam nostram argumentum valet.

57. Respondebis; Ita argumentantes vel non intellexisse hæresim Semipelagianorum, vel nostram non percepisse sententiam. Illi siquidem dicebant initium salutis nostræ prius esse quocumque gratiæ auxilio, neque illum haberi vel à voluntate cooperante gratiæ, vel à gratia cooperante cum voluntate, sed ab hac sola per proprias vires; Quapropter Augustinus scribens contra ipsos totum librum de prædestin. Sanct. dicit, per ipsos subjici gratiam arbitrio, tanquam arbitrii pedissequam, quod nos omnino detestamur & condemnamus. Hinc efficientia consensus tota tribuitur Deo, non quia etiam voluntas in consensum non influat, aliter merè passivè se haberet, quod est Hæreticum, sed quia id, sine quo voluntas nunquam consentiret, totum est donum Dei, per quod explicatur majus robur argumenti propositi. Possumus autem in consensu considerare ordinem voluntatis Divinæ & humanæ, tum ipsum actualem consensum; Si ordinem, voluntas Dei antecedit voluntatem hominis, non quia hanc prædeterminet, sed quia præparat & allicit; Si vero actualem consensum, simul agunt tum voluntas Divina sive gratia, tum voluntas humana tanquam duæ causæ partiales, & ita verum est, Deum non adjuvare nisi voluntas coadjuvet, nec voluntatem agere, nisi Deus agat & adjuvet, quod est juxta veram fidem Catholicam.

ARTICULUS VIII.

Afferuntur in oppositum Scripturæ, & afferentibus satis fit.

58. INvito animo ad hoc punctum devenio, in quo quidquid à Thomistis sine aliqua nota affertur contra nos ad probandam physicam præmotionem, affertur impie à Calvinistis ad probandum, Divinam gratiam inferre homini necessitatem. Sed si ostendero, omnium Scripturarum testimonia per nostram posse servari sententiam, certè magis Calvinianum errorem confutabimus, & Catholicam veritatem facilius sustinebimus.

59. Id in primis opponitur, in quo corda hominum & voluntates esse dicuntur in manu Dei, atque ineluctabili ipsius decreto. Proverb. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* In quo textu perpendendum est, non solum opera hominum, quæ facile Deus impedire posset ac mutare, sed ipsum cor hominum, idest ipsam internam electionem & volitionem in manu Domini esse ac contineri. 2. Paralip. 30. *In Juda facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum Regis.* Esther 15. *Convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem.* Eccles. 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei.* Idest juxta paraphrasim Caldaicam. *Ab eo decretum est omne, quod erit in diebus eorum.*

60. Hisce atque similibus respondemus, sicuti primo argumento desumpto ex S. Augustino in antec. Sunt igitur in manu Dei omnium voluntates & potestates, & quocumque voluerit; illas inclinat, sed per cogitationes sanctas & congruas, nec non inspirationes & affectiones ipsis cogitationibus correspondentes, sicut à nobis demonstratum fuit; & dum dicitur *quocumque voluerit* intellige Deum aliquid nolle, nisi prævisо consensu voluntatis dissensu. Hoc

Hoc etiam pacto tradidit tribui Judæ cor unum totum populum excitando & movendo, ut infallibiliter suo Regi adhæreret; quodve additur de Assuero, cujus spiritus conversus est à Deo in mansuetudinem, utique per cogitationes menti objectas, & per excitationem amoris erga Esther, magis explicat quod intendimus. Audiamus quid Esther à Domino petierat cap. 14. *Converte*, inquiit, *consilium eorum super eos*. Et statim subdit; *Tribue sermonem in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius*. En quo pacto cordis mutatio sermoni tribuitur, ita ut fuerit aptus, compositus, & accommodatus ad movendum cor Regis, quod non per physicam prædeterminationem, sed moralem motionem & suasionem mutandum erat, addente Deo interna cognitione & inspiratione. Ita explicandus est ultimus textus, quamvis aliæ explicationes non desint, præcipue vero opera justorum esse in manu Dei, idest sub Dei judicio & trutina, cum qualia sint ipsis justis ignotum sit, & nesciant, utrum amore vel odio digni sint. Quo pacto autem ab eo omne decretum sit, habes in præcedente disput.

61. Secundo id opponitur, quod ad efficaciam & Divinæ voluntatis omnipotentiam pertinere videtur. *Omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit*, ait David; *Omnis voluntas mea fiet*, legitur Isaiæ 46. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ*, habetur Esther 13. Est igitur decretum Divinæ voluntatis semper prius deliberatione cujuscumque voluntatis creatæ, cum illud sit æternum, hoc temporaneum, illud progrediens à causa prima, à qua pendet ac determinatur quilibet effectus causæ secundæ, sed hujusmodi decretum ita efficax, ut semper fiat, nec illi valeat humana voluntas, resistere est per physicam prædeterminationem, ergo.

62. Respondemus, in dictis Scripturæ locis contineri dogmata Catholica, in quibus nulla controversia esse potest; Quis enim omnem voluntatem Divinam & efficacem semper adimpleri, Divinumque consilium semper permanere ibit inficias? Sed quæstio est, quomodo sit hæc voluntas Divina Divinumque decretum; Nos dicimus, voluntatem Divinam efficacem, Divinumque decretum præsupponere scientiam consensus liberi futuri, per quam scientiam dirigatur tam voluntas, quam decretum ut velit & decernat quod infallibiliter erit. Est igitur decretum Divinum semper prius quacumque deliberatione voluntatis creatæ in se, non tamen in Divina præscientia, & in illo sensu omnis effectus causæ secundæ ab illo determinatur; Unde minor argumenti est falsa. Major imminet difficultas adversariis in explicanda hac Divinæ voluntatis efficacia & physica decreti prædeterminatione cum humana libertate; ut jam probavimus. Verum demus etiam, decretum Divinum esse absolutum & antecedens, adhuc contra nos nihil concluderetur. Nam Deus adhuc ita res disponeret fortiter & suaviter, ut moraliter movendo quidquid vellet assequeretur, cum absolutè & antecedenter decrevisset tum substantiam, tum modum magis consonum libertati, in quo sensu loquuntur illi Scotistæ, qui decreta antecedentia defendunt, nec tamen physicam prędeterminationem admittunt.

63. Tertium, quod opponitur, ex illis Scripturis evincitur, in quibus omnia opera nostra tribuuntur Deo. Sic Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. 1. ad Corint. 2. *Operatur omnia in omnibus*. Et ad Philip. cap. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Verum quo pacto ex hisce physica prædeterminatio colligatur, profecto non video, nisi consequentia omnino sit ab antecedente aliena, cum omnia serventur per solum concursum Dei simultaneum, & si strictè intelligantur, totum tribuatur Deo, nihil arbitrio. Nostram profecto expositionem adhibuit S. Thom. su-

super verba Apostoli citata, & in Comment. super cap.26. Isaiæ, immo eam insinuavit Apostolus in eodem capite, nam, cum dixisset: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*, statim adjunxit, *Deus est enim qui operatur in vobis*. Quibus verbis ostendit, homines quidem suam salutem operari, præcipue vero operari Deum, & Deum ita operari, ut sit in hominis facultate non perficere quod Deus incipit, & impedire illa auxilia, quibus velle & perficere Deus operatur in nobis, quod cum auxilio prędeterminante componi non potest, cum non subsit hominis potestati, ut illud detur vel auferatur, proinde non est cur timeat, ne aut propter opera mala negetur, aut si detur, suo unquam careat effectu.

64. Quare autem omnia opera nostra præcipue Deo tribuantur, quamvis ex dictis satis colligi posset, placet amplius declarare; Primo ex Concil. Trident. dicente sess.6. can.5. *Hominem per Spiritus Sancti inspirationem non nihil omnino agere*, quo loquendi modo parum tribuitur homini, reliquum tribuitur gratiæ. Secundo ex Augustino jam citato. *Qui autem agitur, agere vix ipse intelligitur*. Homo autem est, qui gratia Divina agitur, proinde agit, sed vix agit, præcipue vero gratia agit. Tertio tandem hoc exemplo. Demus puerum, qui movere possit pondus unius librę, si cum auxilio superaddito pondus moveat centum librarum, posset dicere, non ego moveo, sed auxilium superadditum me cum movet; ita liberum arbitrium, cum possit tantum actus naturales, quos excedunt actus supernaturales plusquam centum excedant unum, si per gratiæ virtutem illos profert, gratiæ virtuti cum libero arbitrio elevato agente tribuendum est, tanquam causæ excellentiori. Hoc magis valet in illorum sententia, qui vitalitatem asserunt ab arbitrio provenire, supernaturalitatem vero à gratia, illi autem causæ præcipua vis agendi datur, cui prædicatum, quod in effectu nobilius est, datur, proinde &c. Videant ergo quantum à sententia Pelagianorum differat nostra; Isti enim nihil gratiæ tribuebant, nos vero gratiæ primam dignitatem concedimus, cum ipsi totum concedere, ut simus Catholici, non possimus.

65. Alia Scripturarum loca prætereo, cum juxta dicta debeant explicari; esset aliquid tantummodo dicendum de prædestinatione; sed utrum hæc sit ex prævisione meritorum, nec ne, est magna controversia inter Theologos, quam nos post ista expendemus. Sed si etiam fieret independenter à prævisione meritorum, adhuc nihil contra nos probaretur, quia hæc infallibiliter esset exequutioni mandanda non per physicam præmotionem, sed per gratiam congruam, quæ certissimè danda esset omnibus prædestinatis; Sed si nobis objiciunt prædestinationem objectivam, nos ipsis opponeremus reprobationem. Si removeatur prædeterminatio physica, procul dubio solum imputabitur creaturæ, quod difficulter per ipsos. Sed de hac re alibi.

ARTICULUS IX.

Afferuntur in oppositum rationes, & refelluntur.

66. Plurima sunt, quæ contra sententiam nostram à ratione proficiscuntur argumenta, partim quidem Philosophica, partim Theologica; Si nos ab iis abstinuimus, quæ ad Philosophiam pertinent, & ea tantùm protulimus, quæ ad rem nostram de gratia conferunt, abstineant & adversarii, & ea tantum adducant, quæ ad præsentem materiem directè revocantur. Res itaque hoc pacto agetur, quamvis ita, ut etiam alia, aliqua saltem ex parte promoveantur, quæ tamen in articulo de scientia media prætermissa non sunt.

67. Primo itaque opponunt. Gratia operans ac præveniens talis est, ut ipsam

ſam Deus operetur in nobis ſine nobis, ſed pias cogitationes intellectus, & affectiones voluntatis non poteſt Deus operari in nobis ſine nobis, ergo in iſtis nequit conſiſtere gratia operans & præveniens. Prob. mi. piæ cogitationes intellectus,& affectiones voluntatis ſunt actus vitales,ſed actus vitales non poteſt Deus operari in nobis, ergo.

68. Reſpondent communiter ſententiæ noſtræ propugnatores, gratiam prævenientem & operantem eſſe à Deo in nobis ſine nobis libere concurrentibus, non tamen ſine nobis phyſicè & vitaliter operantibus, per quod ſatis ſervatur, pias cogitationes intellectus & affectiones voluntatis eſſe actus vitales, & tamen in ſenſu requiſito eſſe in nobis ſine nobis.Reſpondere tamen poſſumus, pias cogitationes &c. poſſe conſiderari ex parte principii quod & effectivè, & ex parte principii quo & formalis; in primo ſenſu ſunt actus vitales & ſunt in nobis & à nobis; in ſecundo ſenſu ſunt à Deo tribuente ſpecies intellectus & moralem motionem voluntatis, in quibus gratia præveniens & operans conſiſtunt, & ſic ſunt in nobis ſine nobis, cum illæ ſpecies & illa motio à ſolo Deo proveniant, & in nobis recipiantur, proinde ſunt ſine nobis activè quamvis non ſine nobis paſſivè concurrentibus.

69. Secundum quod opponitur, multifariam proponi poteſt, ſed quidquid dicatur ad hoc reducitur, quod ſi Deus per gratiam ſuam non prædeterminat creaturam ad bene agendum, jam determinatur per ſe ipſam, in linea ergo determinandi erit ens independens, & à ſe. Rurſus Deum determinari per determinationem creaturæ, quia ſequitur, Deum operari quia operatur homo, & ideo à Deo adjuvatur, quia vult conſentire. Hoc autem omnino erroneum eſt. Si enim per nos dedecet, libertatem creatam determinari à Deo, majus inconveniens erit, Deum determinari à libertate creata. Hinc pars una operis boni fiet à libero arbitrio, altera à gratia, ſed quæ à libero arbitrio erit prior, quæ à gratia erit poſterior. Tandem per nos ſufficientia gratiæ eſſet à Deo, efficacia gratiæ eſſet à nobis, plus ergo in converſione noſtra tribuendum eſſet nobis, quam Deo, immo Deus expectaret conſenſum noſtrum, ut ſua gratia efficax fieret, quod totum omnino falſum eſt.

70. Etſi huic argumento reſponſum ſit, ubi de ſcientia media, attamen dum modo agimus de actionibus non ſolum liberis, ſed etiam ſupernaturalibus, dicimus, primum falſum eſſe, ideſt creaturam abſolute determinare ſe ipſam, ſiquidem ante ſui determinationem datur determinatio moralis, quam per ſuaſiones ſuas alliciendo & delectando illi Deus imprimit,ſicut probatum eſt,quando vero ſe ipſam determinat, datur ulterius gratia adjuvans & cooperans, quæ ſimul cum creata libertate concurrit, & ſine qua nunquam ſe determinaret & nunquam ageret, non erit ergo creatura etiam in hac linea independens & à ſe. Ad ſecundum negatur, Deum determinari per determinationem creaturæ, nec vera eſt illa cauſalis, Deum ideo operari quia operatur creatura, & creaturam à Deo adjuvari quia vult conſentire; nam in ipſa operatione creaturæ & voluntate conſentiendi eſt gratia adjuvans, quæ ſimul cum creatura operatur, cum ſimultate autem operationis, non ſtat priorem eſſe operationem creaturæ operatione Dei. Quare adnotandum eſt, has duas propoſitiones, Deum non operari niſi voluntate hominis cooperante, & Deum operari, quia voluntas hominis operatur, eſſe valde diverſas, ſicut diverſa eſt quælibet propoſitio cauſalis à propoſitione ſimplici. In noſtro caſu prima propoſitio eſt vera, ſecunda eſt falſa, quod in omni operatione cauſæ ſecundæ poteſt demonſtrari. Sic Deus non concurrit cum igne niſi ignis calefaciat, non concurrit tamen cum igne quia ignis calefacit, dici ergo debet in re noſtra. Niſi creatura operetur non operatur Deus, niſi velit conſen-

sentire non adjuvatur à Deo, non tamen quia creatura operatur, operatur Deus, quia vult consentire adjuvatur à Deo, & sic compertum erit nihil à nobis dici, quod dici non possit & debeat. Ex his corruit quod addebatur, idest unam partem boni operis fieri à libero arbitrio, alteram à gratia, nam in ipsa liberi arbitrii operatione involvitur operatio gratiæ, & ita etiam efficacia gratię est à nobis, sed per ipsam gratiam, sicut calefactio ignis est ab igne, illuminatio solis à sole, sed Deo simul concurrente.

71. Quantum ad ultimum, in quo dicebatur, Deum expectare consensum nostrum, quod apertissimè est contra can. 4. Concilii Arausicani citatum. *Si quis dixerit, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare &c.* Paululum immorandum est, cum maximum ex hoc adversarii nostri existiment se fundamentum habere. Ad hoc evertendum dico. Deum consensum nostrum non expectare in aliquo sensu esse verum, in aliquo sensu esse falsum. Pro priori parte nihil afferam, cum jam sit definitio Concilii. Pro postrema vero Sacra Scriptura non deest; Apocal. 3. *Ecce ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit, intrabo.* Hic autem loquendi modus clare indicat, Deum, postquam pulsaverit, expectare responsum, & notetur illa conditionalis, *Si quis aperuerit* expectat ergo ut ipsi homo aperiat. Isaiæ 30. *Expectat Dominus, ut misereatur nostri.* Et cap. 5. post recensitas gratias, quibus suam vineam ditavit, inquit Deus. *Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* His igitur perspectis, non expectat Deus voluntatem nostram ut à peccatis purgemur quantum ad vocationem, illuminationem, aliaque hujusmodi, expectat tamen postquam vocati & illuminati sumus, ut ipsi respondeamus, ipsique cooperemur. Atque in hoc sensu fuisse Concilii definitionem, nullo modo ambigendum est; primo quia servari debent Scripturæ à nobis adductæ, nec dici potest contra earumdem veritatem quidquam Concilium definiisse. Secundo; si ita esset intelligendum, ut physicam prædeterminationem inferret, quid rogo Deus expectaret? An ut fieret auxilium efficax intrinsecè? Sed quis unquam id expectat, quod à sola propria libertate dependet? Expectabat profecto fructus à vinea, at physicam prædeterminationem vinea nec factura erat, nec facere poterat; tum etiam data hac prædeterminatione statim vinea fecisset fructum, non data, vanum erat expectare. Verum amplius etiam licet Concilii mentem explicare; dum dicit, voluntatem nostram à Deo non expectari, ut purgemur, vel ut purgari velimus, contra quos tunc Concilium agebat? Certissime contra Semipelagianos dicentes, initium salutis desumi aliquid ex semetipso merente, saltem volendo, & desiderando salutem, & ideo asserebant, hanc esse voluntatem, quam Deus expectabat, ut salutem desideratam conferret; In hoc ergo sensu damnat Concilium quemcumque, qui dixerit, voluntatem nostram Deum expectare. At nos totis viribus hunc detestamur errorem, & dicimus, initium salutis nostræ non à nostro incipere arbitrio, sed à Dei vocatione, inspiratione, aliisque prævenientibus auxiliis; atque huic explicationi nostræ idem suffragatur Concilium, nam ut definitionis suæ rationem redderet, profert celeberrimam illam sententiam, *præparatur voluntas à Domino*. Præparatur autem eo modo, quo à nobis dictum fuit. Quod si quis diceret, Semipelagianorum errorem fuisse, Deum expectare eum, qui etiam fuit ad pœnitentiam vocatus, & in hoc sensu fuisse damnatum, falsum omnino dicit, nec aliquem authorem pro se proferet, aut ex epistolis Hilarii & Prosperi ad Augustinum, vel Augustini lib. de prædestinat. Sanctorum quidpiam pro se inveniet.

72. Dices. Concilium non dicit, Deum non expectare voluntatem nostram

ſtram ut excitemur & vocemur, ſed ut purgemur, ergo loquitur de voluntate etiam excitata. Præterea Apoſtol. ad Philipen.2. ait: *Deum in nobis operari velle* non dicit, *nobiſcum* ergo operatur per aliquid antecedens operationem noſtram. Rurſus ratio affertur. Cauſa non expectat effectum ſuum, quem habet quando vult, ſed Deus per operantem gratiam eſt cauſa conſenſus noſtri, cum ſit cauſa cur homo velit, ergo illum non expectat.

73. Sed contra. Primum ly ut *purgemur* intelligi debet de purgationis incohatione, quæ tota eſt à Deo, non vero de integra purgatione, cum certum de fide ſit, hanc etiam eſſe à nobis, aliter in juſtificatione nihil ageremus. Ad ſecundum. Quomodo Deus operetur in nobis velle, jam dictum fuit, & ſi velint ponderare verbum illud, non dicit *nobiſcum* ſequitur etiam, Deum in nobis *perficere* ſed non *nobiſcum*, quod eſt Hæreticum, operatur ergo in nobis velle per ſuam vocationem altam & ſecretam, *ita movendo ſenſum, ut accommodet aſenſum* quæ ſunt verba Auguſtini. Ad rationem. Conſenſus hominis eſt effectus procedens & à Deo, & ab homine, eum enim non expectat Deus, ut eſt effectus Dei, ſed ut effectus hominis; ſolus Deus eſt cauſa vocationis, & pro hac hominem non expectat; ſed aliud eſt, eſſe cauſam vocationis ad conſenſum, aliud eſt, eſſe cauſam conſenſus. Hunc profert gratia, hunc profert & arbitrium; ut Paulus tam magna & efficaciſſima vocatione traheretur, gratia Dei erat ſola; ut vero Paulus converteretur, & laboraret pro Chriſto, gratia Dei non erat ſola. *Non ego, ſed gratia Dei mecum* ita loquitur Apoſtolus, ita ſentit Auguſtinus.

74. Opponitur tertio ſic. Si gratia operans non eſt ab intrinſeco efficax, poterit à libero arbitrio inefficax reddi, ſed hoc eſt falſum, ergo. Prob. mi. Si gratia operans poſſet &c. Id quod procedit à propoſito Dei abſoluto, & à Divina voluntate, cui nemo reſiſtet, poſſet inefficax fieri à libero arbitrio, ſed hoc non propter dictam rationem, ergo. Alio modo argumentum efformatur. Gratiæ operanti congruæ vel fieri poteſt reſiſtentia, vel non; Si poteſt, ergo gratia illa non erit efficax, ſi non, ergo omnes difficultates, quæ fiunt contra phyſicam prædeterminationem, urgent contra hanc gratiam à nobis congruam appellatam.

75. Reſpondemus, ut jam diximus art.2. hujus quæſtionis, & hoc ab omnibus concedi debet, aliter ſi fieri non poteſt inefficax, homines ad aſenſum impelleret. Sed quia ad probandam minorem aſumitur diverſa ratio, ideo reſponſioni jam ibi allatæ addimus, advertendum eſſe ex Auguſtino de bono perſeverant. cap. 9. & 10. cooperationem liberi arbi[illegible]i cum congrua vocatione dupliciter poſſe conſiderari, vel ut comparatur voluntati Dei, ſeù propoſito æterno dandi congruam vocationem, vel actuali efficientiæ ipſius vocationis; rurſus, vel prout eſt ratio, propter quam voluit Deus illam nobis elargiri, vel prout eſt ratio, ob quam vocatio in ſe fit efficax, & congrua. In priori ſenſu nihil omnino facit arbitrii operatio, nec propter hanc movetur Deus ad illam conferendam, ſed eſt effectus gratiæ à Deo conferendę, & ad ſummum eſt finis, propter quem voluit Deus libere illam conferre, quod non obſtat, cum quomodocumque explicetur auxilium Dei efficax, dici debeat, hominibus conferri, ut illi infallibiliter cooperentur, licet non detur ipſis, quia cooperaturi ſunt, in quo ſenſu loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Elegit nos ut eſſemus Sancti* non quia futuri eramus, & Auguſt. de prædeſtin. Sanct. cap. 17. *Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur qui crediderunt, ſed qui eliguntur, ut credant*, & cap. 19. *Non quia credidimus, ſed ut credamus, vocamur*. Quod quidem ex eo amplius demonſtrare licet, quod etiamſi præviderit Deus plures vocatio-

ni

ni consensuros, si data fuisset, tamen data non fuit, ut dictum est; Si autem sermo sit, comparando cooperationem liberi arbitrii efficientiæ vocationis & gratiæ, seù prout est ratio, ob quam vocatio in se sit efficax & congrua, dico, gratiam secundum se habere efficaciam suam, nec illam desumere ab arbitrio, effectum tamen suum habere non posse sine cooperatione liberi arbitrii, & ideo per ordinem ad effectum esse gratiam & arbitrium duas causas partiales, per ordinem vero ad facultatem, quæ cum gratia debet ad effectum concurrere, gratiam esse causam moralem moraliter determinantem ipsam facultatem ad liberè asentiendum & operandum, & sic solutum est argumentum priori modo propositum, præsertim cum propositum Dei absolutum, & Divina voluntas, cui nemo resistet, non sit, nisi sub prævisione infallibiliter sequturi consensus creati, ut in nostro systemate.

76. Argumento posteriore modo efformato respondent aliqui gratiæ congruæ fieri posse resistentiam, ut servent in arbitrio libertatem, aliqui vero negant. Ego tamen censeo distinguendum esse; nam vel vocatio, seù gratia congrua sumitur secundum suam entitatem, vel ut vocatur congrua per ordinem ad effectum infallibiliter futurum. Si priore modo sumatur, dico, ipsi resistentiam fieri posse, quia per eam voluntas non determinatur nisi moraliter, & si velit. Si vero modo posteriore, dico, ipsi resistentiam fieri non posse, & quia procedit à proposito Dei sub prævisione consensus infallibiliter futuri, & quia gratia fit congrua per ipsum consensum actualem voluntatis tanquam per concausam, cogitari autem non potest, quomodo voluntas consentiendo resistere possit, nisi dicamus, resistere posse proprio actuali consensui, & nolle agere, dum agit, quod in terminis repugnantiam involuit.

77. Opponitur quarto sic. Admissa sententia nostra non est assignabile, quid auxilium efficax auxilio purè sufficienti addat, nisi cooperationem arbitrii una simul cum auxilio simultaneo Divino, sed hoc non est dicendum, ergo. Prob. mi. Si hoc dicatur, auxilium efficax non facit, ut arbitrium consentiatur, sed cum arbitrio cooperante facit ipsum consensum, sed dici debet, auxilium efficax facere, ut arbitrium consentiatur, & non tantum &c. Ergo. Præterea. In nostro systemate conversio hominis non resolvitur ultimo in Divinam voluntatem, sed etiam in humanam, & unum credere, alium non credere non est tribuendum soli Divinæ voluntati, sed præcipuè humanæ, quia unus vult credere, alius non vult credere, & hoc dato, non est, cur Augustinus admiretur, quare hunc trahat, & alium non trahat, nam facile respondere quis posset, quia unus vult, alius non vult, & rursus falsum erit quod dicit Paulus: *Quis te discernit?* quia quilibet discernet se ipsum per suum velle, & nolle, sed hæc dicere absit, ergo.

78. Respondemus juxta dicta ubi sententiam nostram ratione probavimus, idest auxilium efficax etiam tale ab extrinseco facere, ut velimus, & consentiamur; Sed quia argumentum petit, quid hoc addat auxilio pure sufficienti, ideo dico, non addere aliquid, quod sit absolutum & distinctum à toto auxilio sufficiente, sed solummodo ordinem ad cooperationem liberi arbitrii infallibiliter futuram cum auxilio gratiæ simultaneo, & sic etiam gratia congrua distinguitur à non congrua non per aliquam proprietatem absolutam, sed quia illa est accommodate & attemperate tributa, seù cum Augustini phrase, *apta* non sic vero ista, & hoc modo causat velle, cum voluntatem excitet, moveat, & inducat, ut velit. Ad secundum; non est in quo reprehendamur, si hominis conversionem etiam humanę voluntati tribuamus, immo hoc dicimus, esse unice & tutissime defendendum, alioquin in sui conversione esset tantummodo mortuum & passi-

passivum instrumentum. Aliud est ergo, hominem vocari ad conversionem, aliud converti. Quod vocetur, opus est solius Dei, quod vocatus convertatur, est etiam opus hominis non quidem secundum se sumpti, sed jam vocati & adjutorium habentis ex gratia, quod jam in ante dictis satis demonstravimus. Subsistit propterea adhuc admiratio Augustini, quare hunc trahat, alium non trahat, sicut admirandum mysterium est, quare hunc vocet, alium non vocet. Hoc siquidem totum dependet à Divina voluntate & decreto Dei absoluto, quod tamen satis adimpletur per gratiam congruam, quin ad physicam prædeterminationem confugiamus. Qui igitur non convertitur, non convertitur, quia non vult, qui convertitur, convertitur, quia vult, dispari tamen ratione, nam primus propria libertate & potestate non vult, secundus vero vult propria libertate, sed non propria potestate. Tandem servatur quod dicit Paulus; *Quis te discernit?* Certum enim est, fidelem ab infideli discerni, quia credit, & eum, qui convertitur, discerni ab eo, qui non convertitur; & quia Pelagiani dicebant, credere & converti fieri per proprias vires, ideo non Deus discernebat, sed homo. Hoc à nobis non asseritur, sed dicimus, ipsam fidem & conversionem haberi quidem ab homine libere credente & se convertente, sed prius per vires gratiæ, Unde nos Deus per gratiam discernit, per quam actus salutares proferimus, & sic gloriari non possumus, quasi à Deo non acceperimus, cum talem gratiam accipiamus, Hæc fuit Apostoli mens in illis verbis, scribebat enim ad Corint. qui de fide, aliisque operibus bonis, quæ exercebant, gloriabantur. Hæc mens Augustini contra duas Epistolas Pelagiano: cap. 7. Apostoli verba explicantis; *Tanquam*, inquit, *respondisset, discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum; Quid enim habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis, hoc est, quasi de tuo sit, unde discerneris; ergo ille discernit, qui unde discernereris, impertit.*

79. Pro sententæ nostræ complemento, quæ apud aliquos vel ignorantia vel injusto judicio ferme hæresis appellatur, addam pro ea citari à Ledesma quæst. unica de auxiliis inter Theologos antiquiores, Scot. Alex. Bonavent. Marsil. Gabriel. Gregor. Henricum, Capreol. & Cajetan. Inter recentiores recensentur à Suarez, Sot. Alphon. de Castro, Michael de Palat. Ruardus, Driedo, Stapleton. Corduba, Pighius, aliique plures; Immo contenditur hanc docuisse S. Thomam. De horum mente quæstionem instituere non placet. Hoc certum est, melius & facilius Calvinum & Lutherum per nostrum systema confutari.

ARTICULUS X.

Utrum prædestinatio fiat ante, vel post meritorum prævisionem.

80. AD plenam statutę quęstionis resolutionem juvat etiam propositam difficultatem perpendere nec non stabilire, omissis aliis, quæ de voluntate Dei prædestinantis dici possent, de quibus Deo auspice in proprio loco scripturi sumus.

Sub aliis terminis proponitur à Doctoribus hæc difficultas inquirentibus, an prædestinationis detur aliqua causa non quidem consideratæ in exequtione, constans est enim omnium sententia, istam non haberi nisi dependenter à meritis, sed in ordine intentionis. Dum vero prædestinationem audis, scias, hanc sumi posse vel per respectum ad primam gratiam, vel per respectum ad perseverantiam finalem & gloriam. Si in primo sensu accipiatur, certum est, mere Divino fore beneficio abscribendam, nec ex parte prædestinati aliquam causam reperiri, quod probat Augustinus cap. 15. exemplo Christi, qui cum sit nostræ prędestinationis exemplar, electus est ad

unionem hypostaticam absque ullis præcedentibus meritis, & sola gratuita Dei dilectione, quod etiam ego dicam in tractatu de Incarnatione; nec immerito ita sentiendum est, *Si enim gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia*, ait Apost. ad Rom. 11. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* dixit Christus Joan. 15. Est igitur quæstio de prædestinatione ad gloriam.

81. Certum insuper est, parvulorum prædestinationem ad gloriam non fieri ex prævisione bonorum operum, quæ egissent, si ad ætatem adultam pervenire ipsis datum esset, ut contra Semipelagianos probat August. in lib. de prædestin. Sanct. nemo enim salvus fit propter merita conditionate futura, nec propter hujusmodi demerita damnatur, sed attendenda sunt merita vel demerita absoluta, dicente Paulo ad Corint. 5. *Oportere nos manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum.* Est igitur quæstio de prædestinatione adultorum, & quidem ante vel post prævisa merita comparanda non ex viribus solius liberi arbitrii, sed ex viribus gratiæ, nihil enim hominem mereri posse, quod ad salutem æternam conferat, jam declaratum probatumque est.

82. Tandem in hac re prorsus reiciendus est error Origenis, qui somniatus est, causam motivam nostræ prædestinationis fuisse merita comparata ante unionem animæ cum corpore. Hoc enim falsum omnino esse probant S. Cyril. Alexandr. lib. 1. in Joan. cap. 9. & Justinian. Imperat. ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, ut habetur in appendice ad V. Synodum, immo damnatum fuit in 6. Synodo art. 10. ubi definitum habemus, animam esse formam corporis, quæ ante corpus producta non fuit, ut legitur in Gen. historia, ubi postquam Adam fuerit de limo terræ formatus, dicitur Deus inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ. Pro omnibus tamen sive rationibus, sive auctoritatibus sit textus Apostoli ad Rom. 9. dicentis. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante Deo dictum est, quia major serviet minori. Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Igitur quæstio est de prævisione meritorum post unionem animæ cum corpore.

83. Quatuor sententias in hac re adinvenimus. Prima est, causam motivam prędestinationis esse pręscientiam meritorum. Hanc docent Rubio, Vasq. Turrian. Amic. Pontius, Pennotus. Secunda est omnino opposita, ita ut aliam non agnoscat prædestinationis causam, quam gratuitam Dei benevolentiam. Hæc tribuitur à Thomistis S. Thomæ & à Mastrio Scoto, eamque sequuntur communiter Neoterici cum Bellarmino, Petavio, Suarez, quapropter nota hic, nihil ad præsentem quæstionem conferre aut scientiam mediam, aut physicam prædeterminationem. Tertia duplicem prædestinationem distinguit, unam singularem, ad quam pertinent insignes sanctitate viri, ut Beatissima Virgo, S. Joannes Baptista, Apostoli &c. Aliam communem cœteris hominibus; Illam à solo Divino beneplacito, hanc vero à meritorum prævisione devenire contendit. Pro ista citantur Ocham. Gabriel, Catharin. Quarta tandem secernit Angelos ab hominibus, illos intuitu proprii meriti prævisi, istos ex sola dilectione prædestinari testatur. Ita præ aliis Juvenin. Sed quidquid sit de hac prædestinationis divisione.

84. Dicendum cum prima sententia, in qua Scotus problematicus est, efficacem & absolutam prædestinationem ad gloriam esse post prævisa merita cum gratia comparanda.

Assertum hoc pluribus ex capitibus probandum est; primo quidem ex Sacris Scripturis, deinde Patrum monumentis, tandem rationibus Theologicis. A primis exordiamur. Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Sed quare

rè paratum ? rationem reddens, ſubdit, *eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* quam explicationem inſinuat Chryſoſt. ſuper illa verba Matt.20. *Quibus paratum eſt à Patre meo*, dicens, *non eſt meum dare vobis, ſed quibus labore ac ſudore præparatum eſt*. Perpendatur alius textus ibidem; *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus, eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare*, ita igitur paratum eſt Regnum Cœlorum electis propter bona illorum opera, ſicut reprobis ſupplicium propter mala, ſed reprobis paratum eſt ſupplicium propter prævisa eorum opera mala, ergo etiam electis paratum eſt Regnum Cœlorum propter prævisa eorum opera bona.

85. Hoc amplius ſignificat Paulus ad Corint.2. dicens: *Oculus non vidit, nec auris audivit &c. quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, quo in textu verba hæc, *qui diligunt illum* juxta communem loquendi ſenſum cauſam indicant præparationis, nam ſiquis diceret, Regem præparaſſe purpuream veſtem in prælio decertantibus, meritum in bello cauſa foret, propter quam præpararet. Tandem, alia quàm plurima prætereundo, Jacobi 2. legitur: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, quod promiſit Deus diligentibus ſe?* Quæ verba juxta contextum melius explicari non poſſunt, quam dicendo, divitiam ſeù meritum in fide hujuſmodi electionis cauſam fuiſſe; ubi duo obſervanda ſunt; Unum, Regni promiſſionem fieri diligentibus Deum; Alterum, electionem primo fieri ad fidem, deinde ad hæreditatem Regni, ut innuatur prioritas ordinis meritorum reſpectu gloriæ.

86. Hiſce, aliiſque Scripturæ teſtimoniis communi reſponſione occurrunt adverſantes Doctores, intelligenda eſſe de prædeſtinatione ordine exequutionis, non intentionis. Ut hujuſmodi reſponſio primo refellatur, devenio ad ſecundam partem argumenti, ideſt ad Patrum monimenta, à quibus noſtram explicationem accepimus; Clariſſime eam tradunt S. Ambroſius & Chryſoſtom. Primus lib. 5. de fide cap. 6. ad illud Apoſtoli, *Quos præſcivit & prædeſtinavit*, Inquit, *non enim antea prædeſtinavit, quam præſciret, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit*. Secundus vero Hom. 8. in cap. 25. Mat. ait: *O' quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba ſunt? Nec dicit, accipite, ſed hæreditate quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra, quæ vobis à principio debebantur, nam antequam nati ſitis, quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuerunt*. Quid maniſeſtius afferri poteſt?

87. Sed quia, etſi aliorum Patrum auctoritates in omni materia magni ponderis eſſe debeant, illa tamen Auguſtini præſertim in hac re præhabenda ſit; ideo Auguſtinum, id quod nos aſſerimus, tradidiſſe declarabo; quamvis non deſint plures Scholæ Magiſtri, qui cum Petavio & Maldonato candide fatentur, Sanctum Doctorem admiſiſſe prædeſtinationem ad gloriam omnino gratuitam, & tamen Auguſtinum in hac parte deſerendum eſſe, affirmare non trepident.

88. Antequam vero aliquid depromamus, præmittendum eſt, Sanctum Doctorem duplicem prædeſtinationem diſtinguere, unam, præmiſſo examine eorum, qui eligendi ſunt vel rejiciendi, & hæc eſt ſecundum juſtitiam, ut ille videlicet eligatur qui dignus eſt, reiciatur vero qui dignus; alterum vero nullo præmiſſo examine, & hæc eſt ſecundum gratiam. Ecce illius verba ſer.100. de verbis Evangelii Luc. cap.10. alias ſer.7. de verbis Domini ſecundum Mat. tom. 10. ubi ait: *Elegit autem Deus*, ſicut inquit Apoſtolus, *& ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum ſuam juſtitiam*. Quid eſt eligere ſecundum gratiam, niſi omnino gratis ſine aliqua præviſione ſed juxta ſuum beneplacitum? Quid eligere ſecundum juſtitiam, niſi ea opera eligendo, per conſequens prævidendo, quæ ſecundum

dum suam gratiam erat quisque facturus. Et explicans illud ad Rom. 11. *Reliquiæ secundum electionem salvæ factæ sunt.* Sic Dominum loquentem inducit. *Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se.* Amplius idem præclarissimus Doctor lib. 1. ad Simplician. qu. 2. ante medium explicans illud ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent &c.* Concludit. *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, idest, non quia invenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ eligat ad Regnum Cælorum, nam si non esset electio, non essent electi, nec recte diceretur, quis accusabit adversus electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; Nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo, qui reiicitur, unde quod dicitur, quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia; Hic autem quod ait, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, non electione meritorum, quę post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Hic Sanctum Augustinum manifeste loqui de duplici prædestinatione, una ad gratiam, quæ fit ex liberalitate donorum, altera ad gloriam, quæ fit ex electione meritorum, quis inficiabitur?

89. Testimonium hoc Sancti Augustini Doctores contrarios non mediocriter premit; Unde librum hunc, inquiunt, compositum esse ab Augustino cum esset adhuc Junior & Presbyter, antequam orta esset hæresis Pelagianorum & Semipelagianorum, cœterum, cum maturæ factus esset ætatis, & Episcopus, se retractasse. Sed hoc perperam omnino dicitur. Perperam primo, libros istos conscriptos dum esset junior, ut enim notat Tournely, fuerunt conscripti ann. 397. dum esset quadragenario major, & jam Episcopus. Perperam, Augustinum se retractasse, immo lib. 3. retractat. librum istum recensens, nihil plane ex illa secunda quæstione corrigendum invenit, & lib. de prædestin. Sanct. cap. 4. de bono perseverant. cap. 21. asserit, Doctrinam in illa contentam sibi à Deo fuisse revelatam, cujus verba à me adducta sunt in hac quæst. num. 32. Nunc addam id, quod cap. 4. lib. 3. retract. inquit. *Viditis, quid tunc de fide & operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem, in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam curaverunt proficere mecum, nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem Divinarum scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi.* Tandem S. Augustinus, ut occurram illis, qui ad ordinem exequutionis, tam frequenter confugiunt, lib. de prædestin. Sanct. cap. 3. hæc habet in fine. *Ex præscientia igitur offensionis, ultionem ut justus Judex prædestinavit, sicut ex præscientia virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis.* Atqui ita prædestinat ultionem ordine intentionis, ut non nisi post prævisa merita prædestinet, ut fatentur ipsi contrarii, ergo ita prædestinat remunerationem, ut non nisi post prævisa merita prædestinet.

90. Quanquam quid plura ad Augustini mentem sincere explorandam adducam? Sanctus Fulgentius ejusdem discipulus illam explicet; ait autem lib. 1. ad Monim. cap. 24. *Ostensurus Deus quid reddendum præsciverit, & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros, & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.*

91. Superest modo, ut adductis scripturarum testimoniis, & Patrum momentis, rationes Theologicas pro senten-

tentia noſtra proferamus. Primam deſumo ex conditione ipſius gloriæ, ad quam quis prædeſtinatur non tanquam ad donum, ſed tanquam bravium & mercedem, quæ ſicut hujuſmodi retribuitur in tempore, ita ab æterno hujuſmodi præparatur. Argumentum hoc vim ſuam habet, ſi ab humanis ad Divina conſcendamus; Si enim Rex aliquis proponeret præmium aliquod bene certantibus ea lege, ut nullus illud aſſequeretur, niſi qui victor eſſet, certe nunquam decerneret alicui præmium conferre, quamvis etiam illum diligeret, antequam victorem aut certo præſciret, ſi tamen præſcire poſſet, aut re ipſa videret; poſſet quidem illi tribuere arma meliora ad certandum. Cum ergo Deus vitam æternam omnibus proponat ut præmium, eamque promittat legitimè certantibus & uſque in finem perſeverantibus, non potuit non expectare victoriam, ut hujus intuitu præmium conferre decerneret; Sed quia præſcius futurorum eſt, & omnia, tanquam ſi præſentia eſſent, videt, fit, ut non expectando victoriam in tempore, ſed eam ab æterno prævidendo, ad gloriam tanquam præmium prædeſtinet. Atque ut verum fatear, quodnam eſſet hoc Decretum efficax & abſolutum gratis prædeſtinandi ad gloriam, quæ non niſi per merita bonorum operum comparanda eſt? Ad hæc. Vita æterna nobis, ſub conditione promittitur, ſemper enim ſubintelligitur conditio, ſi mandata ſervemus. *Quaſi vero*, dicit Trident. ſeſ. 6. ca. 20. *Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ eternę ſine conditione obſervationis mandatorum*. Ergo etiam voluntas Dei, qua nobis vult vitam æternam, eſt conditionata, ſi enim promiſſio eſt ſignum voluntatis. etiam conditionata promiſſio eſt ſignum conditionatæ voluntatis, ergo non eſt voluntas in Deo abſoluta dandi æternam vitam, niſi prævìſo complemento conditionis, ſub qua promittitur.

92. Secundum argumentum deſumere placet ex meritis Chriſti, atque illud breviter ita proponere. Quoſcumque Deus prædeſtinavit, ex meritis Chriſti prædeſtinavit, & non utcumque, ſed ut unicuique applicandis. *Elegit enim nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, ad Epheſ. 1. & act. 4. *Non eſt aliud ſub Cœlo nomen, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Ergo antequam Deus aliquem prædeſtinaret, Chriſti meritorum applicationem prævidit, ergo etiam merita prædeſtinati, quæ ab hujuſmodi applicatione tanquam fundamento & præcipua cauſa meritoria progrediuntur.

93. Tertium argumentum deſumo tanquam à poſteriori. Regnum Cœlorum in noſtra poſitum eſſe libertate, ideo in oratione Dominica dicimus, *adveniat Regnum tuum*, & Apocalip. 3. legitur. *Tenc quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. At ſi nos Deus ad illud eligeret nulla libertatis noſtræ, proinde meritorum ratione inſpecta, jam à noſtra libertate non penderet, nemo enim, qui ſemel electus ad gloriam, eſt in vas honoris, poſſet ſe efficere vas contumeliæ, quod tamen falſum eſſe ait Paulus 1. ad Timot. 2. cum non minus putet, unumquemque emundando ſe à peccatis poſſe evadere vas honoris ex vaſe contumeliæ, quam è contra ſi à juſtitia decidat, ex vaſe honoris evadere poſſe vas contumeliæ: rurſus poſſet quilibet reſpondere. Si Deus habet clavem, & ita claudit, ut nemo poſſit aperire, ita aperit, ut nemo poſſit claudere, jam ſi electio mea non pendet à libertate mea, ſi electus ero, peribo nunquam: & ſic argumentum illud tritum. Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum, ſibi quiſque præfigere poſſet.

ARTICULUS XI.

Refelluntur argumenta contraria.

94. OPpones primo ex Sanctis Scripturis, in quibus omnia mala & pericula ab electis propelluntur, & ipsis gratiæ conceduntur beneficia, non ex alio fine, nisi ex absoluta & efficaci intentione ipsis gloriam conferendi, quo dato sic argumentaberis. Prædestinatio est mere gratuita,& prior quacumque meritorum prævisione, si ex efficaci intentione prædestinationis Deus electis gratiæ dona concedit, & omnia mala propellit, atqui res ita se habet, ergo. Prima pars min. ostenditur. Act.13.*Crediderunt quotquot erat præordinati ad vitam æternam*. In hoc textu præordinatio ad vitam æternam dicitur causa fidei. Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis* in hoc textu electio est causa fructus. Ad Ephes.1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti* in hoc textu electio est causa sanctitatis, non sanctitas causa electionis. Ad Roman.8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*. In textu prædestinatio est causa vocationis, justificationis, & glorificationis, ergo Deus ex efficaci intentione prædestinationis Deus dat electis dona gratiæ, quare si hæc sunt omnino gratuita, à fortiori gratuita erit illa. Prob. secunda pars primæ minoris. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*. Nota ly *complacuit*. Et statim inferes, ergo prædestinare ad Regnum est mere gratuita Divina liberalitas. Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ejus*. Et rursus; *Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis*. Tandem. Matt.24. *Nisi brevitati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi*. Ex quibus omnibus constat, electos ab hisce periculis ereptos esse, non alia ratione, nisi quia erant prædestinati, ergo.

95. Resp. ne. primam propositionem; ad argumentum transf. maj. nam licet vera sit de intentione efficaci conditionata, non tamen de intentione efficaci absoluta, ne. mi. ad prob. ex nullo textuum adductorum, quod intendunt, evincunt; non ex primo, nam ibi dicuntur quidem credidisse omnes præordinati ad vitam æternam, sed quomodo præordinati sint, non explicatur, immo verosimile non est, omnes qui crediderunt, ad æternam vitam fuisse præordinatos; aliter dici potest, ibi sermonem fieri de præordinatione ad gratiam fidei, quæ potest æterna vita appellari juxta illud Joan.17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Non ex secundo, cum etiam in eo sermo non sit de electione ad gloriam, sed ad fidem vel Apostolatum; manifestum est hoc, quia inter eos, quibus dictum est: *Non vos me elegistis &c.* erat etiam Judas, qui certè reprobus erat, & rursus in contextu legitur: *Elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Non poterat autem mundus eos odio habere propter prædestinationem ad gloriam. Non ex tertio; Pariter enim ibi sermo est de electione ad gratiam. Hoc evinco primo quia ignorabat Apostolus, quinam electi essent ad gloriam. Secundo quia scribebat tunc ad omnes illos fideles, qui certe omnes ad gloriam prædestinati non erant. Tertio, quia gratias agit pro vocatione illorum & justificatione, ait enim: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in charitate*. Non ex ultimo, etenim respondemus ut supra; nec obstat dici, & glorificavit, nam quo-

quomodo ad glorificationem elegerit, non indicatur; nisi velis cum pluribus Doctoribus, præsertim Estio, nomine glorificationis juxta phrasim græcam non significari æternam gloriam in Cœlis, sed quandam externam illustrationem per dona linguarum, sanitatum, miraculorum & hujusmodi, per quæ Sancti & electi sui etiam apud homines conspicui redduntur. Hæc responsio non placet, etenim fuerunt plures Sancti & finaliter justi, qui tamen apud homines nihil habuerunt hujusmodi. Melius arbitratu meo diceretur, vocationem esse à solo Deo, & hanc esse sine prævisione meritorum, justificationem esse à Deo & à consensu creaturæ, & hanc non dari nisi ex prævisione consensus, & ita dicendum de glorificatione.

96. Quantum ad probationem secundæ partis illius minoris; in primo textu non loquitur Christus absolutè sed conditionate, revera inter pusillum gregem erat Judas; proponit igitur Christus Apostolis Regnum sub conditione, idest, si bonis operibus Divina adjuvante gratia illud comparare voluerint, & de facto subdit. *Vendite quæ possidetis & date eleemosynam*, quasi dicatur. Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum, si tamen hæc opera peregeritis, nec movere nos debet verbum illud *complacuit*. Nam præter explicationem datam dici potest, electionem etiam ad gloriam esse gratuitam & secundum Divinum beneplacitum fundamentaliter & incohative, non formaliter & ultimate, sicut dicitur ubi de merito condigno pertractabitur. Textus ille Sapien. 4. nihil probat, nam raptum fuisse justum ex hac vita non infert ante prævisa merita fuisse prædestinatum, immo ex sequentibus contrarium colligi posse videtur, inquit enim, *consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat &c.* Sed est placita propter gratiam & merita, ergo. In textu postremo sit sermo non de prædestinatione ad gloriam, sed de obsidione Jerosolymorum, quæ si diutius durasset, etiam electi ex Judæis fame gladioque periissent. Quod si etiam de salute spiritali sermo esset, profecto de prædestinatis ad gloriam sine meritorum prævisione non posset intelligi, nam posita absoluta prædestinatione, sive breviati fuissent dies illi, sive non, salvi effecti fuissent, cum decretum absolutum irritum esse non possit.

97. Instabis. Atqui etiam electio ad gloriam æternam omninò gratuita est, ergo. Prob. sub. mi. multiplici Scripturæ testimonio. Primo ex illo Apost. ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit, miserebor cujus misereor, & misercordiam præstabo, cujus miserebor.* Rursus ibidem. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et infra. *O' homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit; Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Tandem post exemplum Pharaonis, qui induratus à Deo fuerat, concludit. *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Nulla est ergo causa prædestinationis nisi misericordia Dei.

98. Resp. ne. ant. Primus textus jam à nobis explicatus fuit juxta S. Augustini Doctrinam num. 88. Si tamen illum admittunt adversarii juxta sententiam suam, pari ratione debebunt admittere, etiam reprobationem esse ante prævisa demerita, cum æquali modo dicatur. *Aut aliquid boni egissent aut mali, Jacob dilexi Esau autem odio habui, &c.* quod tamen nemo Catholicorum admittit; loquitur ergo Apostolus dumtaxat

taxat de inæquali distributione gratiæ & donorum in hac vita.

Sed ad uberiorem doctrinam duplex modus perpendatur, quo textus ille posset intelligi; vel enim intelligitur juxta literam, vel juxta spiritum. Si primum, ibi sermo est de duobus populis Israelitico & Idumæo, Rebeccæ enim Gen. 25. à Domino petenti, quare parvuli, in utero colliderentur, responsum fuit. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo Populi in ventre tuo dividentur, Populusque Populum superabit, & major serviet minori*. Et cum dictum fuit *Jacob dilexi, Esau odio habui* non ad prædestinationem ad vitam æternam vel reprobationem spectat, sed ad bona & mala hujus sæculi, etenim Malacchiæ 1. cum dixisset Deus, *Jacob dilexi &c.* explicat dilectionem & odium hisce verbis. *Posui montes ejus*, ideſt *Esau in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti*. Dilexit itaque Jacob, quia dedit ei terram lacte & melle fluentem, odio habuit Esau, quia dedit ei terram sterilem, & desertam; Si secundum, sermo est de vocatione ad veritatem Evangelii, & fidem Christi, quæ procul dubio omnino gratuita est; atque hoc faciebat Apostolus, ut superba Judæorum corda reprimeret, qui suis legis operibus ita gloriabantur, ut se merito proprio ad fidem vocatos esse arbitrarentur, atque iniquo animo ferrent, gentiles in eo beneficio sibi pares effectos esse. Hæc est Sancti Augustini interpretatio, cujus lib. 1. ad Simplic. qu. 2. verba sunt ista: *Intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent, & ex hoc evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant eandem gratiam dari gentibus tanquam indignis, nisi Judaica Sacramenta susciperent*.

99. Textus alii intelliguntur de prædestinatione ad fidem & gratiam: Non est igitur volentis neque currentis, sed Dei miserentis, quia ipsum salutariter velle & currere ex præveniente & adjuvante misericordia & gratia descendit. Ex eadem massa facit Deus alios vas in honorem ipsis suam gratiam & sua dona præstando, alios in contumeliam, ipsis pro sui libertate & dominio gratiam non largiendo, in quo etiam sensu cujus vult miseretur, & quem vult indurat, quæ postrema verba non sunt accipienda positivè, sed negativè.

100. Post ea, quæ ex Scripturis adversantes opponunt, plura Augustini loca, quibus sententia nostra rejiciatur, congerere contendunt. Sed quia nimium prolixe me gererem, nec quidpiam facerem quam ea quæ apud Petavium & Tornellium, in meam paginam advocare, ideo, quo pacto explicandus sit egregius Doctor, regulam tradam. Ubicumque igitur videtur, prædestinationem sine ullis prævisis meritis edocere, vel loquitur contra Pelagianos & Semipelagianos excludendo nimirum prævisionem meritorum, quæ fiunt sine viribus gratiæ ex solis naturæ conatibus, vel de prædestinatione ad gratiam non ad gloriam, vel etiamsi ad gloriam, intelligi debet in radice, vel loquitur de omnibus prædestinationis effectibus, non determinando tamen ordinem causalitatis inter ipsos. Cœterum; ut amplius videamus, Sanctum Augustinum nihil nobis oppositum tradidisse attendamus quod ipse in lib. de grat. & lib. arb. ait cap. 6. *Pelagiani dicunt, illam gratiam quæ datur in fine, ideſt æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis; Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia*. Sed nos ita dicimus prædestinationem ad gloriam fieri dependenter à prævisione meritorum, quæ sunt dona Dei, quia sunt ex Dei gratia, ergo Augustinus sententiam nostram non reprobat, immo ut probavimus, appro-

approbat. Eodem modo explicamus Prosperum, Fulgentium, quoslibet.

101. Oppones ratione Theologica. Prædestinatio ad gloriam est voluntas efficax dandi gloriam, sed voluntas efficax dandi gloriam prior est cujuscumque meriti prævisione & omnino gratuita, ergo. Prob. mi. Voluntas efficax dandi gloriam est prior voluntate efficaci dandi gratiam, sed ita, est prior cujuscumque meriti prævisione &c. ergo. Mi. patet, cum meritum nullum dari possit aut prævideri nisi dependenter à gratia. Prob. maj. Voluntas efficax finis prior est voluntate efficaci mediorum juxta illud. *Finis primus in intentione*, sed voluntas efficax dandi gloriam est voluntas finis, voluntas efficax dandi gratiam est voluntas mediorum, ergo. Argumentum hoc innititur illo principio. Omnis ordinatè volens prius vult finem quam media.

102. Resp. conc. maj. ne. mi. illius probatio vera est de voluntate efficaci conditionata dandi gloriam, non de efficaci absoluta, & voluntas efficax finis prior est voluntate efficaci mediorum, quando media ad finem dependent à sola voluntate illius, qui finem intendit, non quando dependent etiam ab alio. Voluntas igitur efficax dandi gloriam vel sumitur conditionatè, vel absolutè, si in primo sensu, transmitto priorem esse prævisione meritorum, quia continetur in hac propositione. Volo dare gloriam, si Petrus v. g. consensum dabit gratiæ. Si in secundo sensu nego; & ratio est, quia hujusmodi absoluta voluntas non solum habetur ex collatione gratiæ, sed etiam à consensu creaturæ præviso, quare voluntas efficax finis prior est voluntate mediorum, quando omnia media conducentia ad finem dependent à voluntate illius, qui vult finem, non ita, si aliquod medium dependet etiam à voluntate illius, cui finis proponitur. Sic autem res se habet in casu nostro, nam gloria, quę finis est, non solum pendet à Deo volente gratiam tanquam medium, sed etiam à creatura libere gratię consentiente, ideo prępvideri debet istius consensus, & per consequens meritum, ut voluntas finis dicatur efficax non solum conditionatè sed etiam absolutè. Ex hac doctrina explica principium illud à quo desumebatur argumentum; cui respondet Ocham. in 1. dis. 41. qu. 1. in fine duplicem finem distinguens. Unus, inquit, est finis, quem quis sibi assequendum proponit; Alius vero, quem quis proponit alteri, & liberè assequendum relinquit. Primus finis prior est in intentione quolibet medio, & sic v. g. qui vult sibi justificationem & merita ex intentione gloriæ, prius intendit gloriam, quàm ipsam justificationem & merita. Secundus vero finis posterior est medio conducente ad finem, quia qui vult finem, quem alter liberè assequatur, nequit absolutè efficaciter velle, nisi videat, utrum alter positurus sit media, quæ ad finis assequutionem prærequiruntur. Ita autem se habet æterna gloria, quę non est finis ipsius Dei, sed finis, quam Deus creaturæ proponit, ideo &c. Præterea. Adductum argumentum solvitur à pluribus dicentibus, illud esse verum de gloria ut finis mediorum est, non ut merces est, nam sicut Deus non potest intendere pœnam nisi prævisa culpa, ita non potest intendere præmium nisi pręviso merito. Duę priores responsiones aptiores sunt, ex quibus solvuntur omnia argumenta, quæ ab adversariis congeruntur.

103. Quod autem dico de prædestinatione ad gloriam, dico etiam de perseverantia finali, quæ non datur nisi prævisa creaturæ cooperatione, & quæ, licet sit magnum donum, suppliciter emereri potest, licet cum datum fuerit amitti contumaciter non possit, ut ait August. de bono perseverant: cap.6. Quod si quis contenderet perseverantiæ donum non posse esse sub merito nec quidem congruo, nunc transmittam, sed ne argumentum inde inferant, ergo sicut da-

datur perseverantia finalis sine ulla meritorum prævisione, ita etiam datur prædestinatio ad gloriam; nam in hoc discrimen est, quod perseverantia finalis in eo sensu in quo non est sub merito, à sola Dei voluntate progreditur juxta definitionem Tridentini sess. 6. cap. 13. ubi ait. *Quod donum aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere.* Et certe à sola Divina providentia & misericordia pendet, nunc hominem ex hac vita migrare, cum justus est, è contra æterna gloria pendet tum à Dei voluntate, tum à meritis creaturæ, sic enim fuit à Deo statuta & proposita, qui decedentibus in gratia promisit beatitudinem tanquam coronam, non tamen justis promisit finalem perseverantiam; ideo hæc esse potest omnino gratuita, si passive sumatur, non illa. Aliter etiam dici posset. Perseverantia finalis vel sumitur prout est conjunctio gratiæ cum morte & sic non est sub merito propter dicta, vel sumitur prout supponit gratiam conjungendam cum morte & sic cadit sub merito, idest sub opere cræaturæ, sicut cadit ipsa justificatio.

104. Finem imponat huic difficultati S. Franciscus Salesius, qui in Epist. ad Patrem Leonardum Lessium data 27. Augusti ann. 1618. assertum nostrum hisce verbis confirmat. *Sententia illa antiquitate, suavitate, scripturarum auctoritate nobilissima de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sane mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi &c.*

ARTICULUS XII.

An Deus conferat omnibus auxilia sufficientia ad salutem.

105. MUltifariam dividenda est præsens difficultas, nam cum inter omnes homines reperiatur inæqualitas peccatorum, videndum est, si dentur aliqui hujusmodi auxiliis sufficientibus carentes. Porro inter peccatores, aliqui sunt, qui aliquando peccant, aliquando pœnitentiam agunt, aliqui peccant & peccata augendo in peccatis persistunt & volutantur, aliqui, qui nondum ad fidem pervenerunt, sed acriter fidei mysteria rejiciunt & pernegant, & vocantur infideles positive; Aliqui, qui non credunt, quia non sunt eis proposita mysteria; & sunt infideles negativè. Tandem aliqui, qui nondum vel ad usum rationis pervenerunt, vel in matris utero mortui sunt sine baptismate. De hisce omnibus resolvenda res est, quæ ut ex omni capite pertractetur, expedit prius, quod in sequenti paragrapho inquiritur contra Jansenium stabilire.

§. I.

An in Deo sit vera & sincera voluntas salvandi omnes. Et Christus pro omnibus & singulis mortuus sit.

106. DUplicem videor difficultatem proponere, una tamen est, nec quod primo inquiritur, sine secundi definitione decerni potest, ac pertractari, & miror, à veteribus Theologis rem ita peractam esse, ut de voluntate Dei salvandi omnes perquirerent, de Christi vero morte nihil declararent, cum tamen Apostolus 1. ad Timot. 2. utrumque simul commemoret, immo Divinæ voluntatis omnes salvos faciendi, unicam in Christo Jesu Dei & hominum mediatore rationem agnoscat & fateatur; ait enim. *Qui omnes homines vult sal-*

salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Unus enim Deus, Unus & mediator Dei & hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Porro ex his verbis consurgit difficultas; nam primo de qua voluntate loquatur Apostolus clarum non est, & quo pacto sit intelligendum verbum illud *omnes* non constat, cum Augustinus illud aliquando coarctet ad solos prædestinatos explicando per distributionem accommodam, ita ut sensus sit, neminem salvari, nisi quem Deus vult salvare, ut habet in Ench. cap. 103. to. 3. & de prædestin. Sanct. cap. 8. de correp. & grat. cap. 14. lib. 4. contra Julian. cap. 8. & ep. 107. ad Vitalem; aliquando vero dicat, intelligendum esse non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ita ut Deus velit de quolibet hominum statu, sive Judæi sint, sive Gentiles, sive divites sive paupe-res, sive mares sive fœminæ, aliquem salvum fieri, ut pariter habet in locis superius citatis.

107. Prætermissis in hac re omnibus Pelagianorum ac Semipelagianorum erroribus asserentium, Deum velle omnes homines salvos fieri, si velint, sed hanc voluntatem solis naturæ viribus & conatibus, vel initio fidei tribuebant, de his enim satis dictum est; docent Calvinistæ, voluntatem Dei omnes salvos faciendi ex Adami culpa fuisse suspensam, & ita neque Christum pro omnibus omnino mortuum esse, quod & tradunt Janseniani iisdem fundamentis innixi, nimirum, quia omnis Dei voluntas efficax est, nec sine maximo infinitæ Divinæ potestatis detrimento inefficax ex creaturæ vitio admitti potest. Sed etiam inter Catholicos non est eadem sententia; Siquidem plures, ut Zumel, Bannez, Alens. & Marsil. penes Gonzalez inquiunt, hanc voluntatem non esse actu & formaliter in Deo, sed solùm metaphoricè & signi. Plures vero admittentes, hanc voluntatem esse antecedentem & beneplaciti, asserunt, eam versari circa media, quæ salutem antecedunt, non vero directè & immediatè circa ipsam salutem, pro qua opinione citantur Gabr., Maj., Durandus, immo etiam ipse Scotus. Rursus alii opinantur, voluntatem istam esse solius complacentiæ, pro quo dicto afferuntur Vasquez & Turrian. Alii tandem defendunt, Deum velle salutem omnium hominum voluntate antecedente & beneplaciti, quæ sit vera & sincera positivè in Deo, & hoc pacto etiam Christum pro omnibus & singulis mortuum esse. Cum istis.

108. Dicendum primo. Deum voluntate antecedente & beneplaciti velle omnes & singulos homines salvos fieri. Si à me petis hujusmodi voluntatum explicationem, à te peto ea legi, quæ dicam in tractatu de Deo Uno. Hujus etiam primi dicti probationem pręteribo; pendet enim potissimum ex eo, quod probetur, Deum omnibus dare auxilia sufficientia ad salutem, & Christum pro omnibus & singulis mortuum esse. Primum demonstrabo post ista. Ut vero secundum ostendam.

109. Dicendum secundo. Christum pro omnibus & singulis mortuum esse.

Atque in primis mortuum non esse pro solis prędestinatis, in quo puncto est tota controversia, præter alios Scripturæ textus manifestum fit ex illo Jo. 17. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et rursus. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Ex quibus argumentum ita conficitur. Christus mortuus est pro iis omnibus, qui in ipsum credituri erant, & quos ipsi dedit Pater, sed non solùm prædestinati in ipsum credituri erant, nec illos tantùm dedit ipsi Pater, ut constat, ergo. Præterea ad Rom. 8. legitur: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Manifestum est autem nos omnes non fuisse prædestinatos.

110. Ista porro fuit omnium Sanctorum Patrum sententia. Augustin. tract. 4. in Joan. loquens de Judæis ad Christum non conversis inquit. *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum & fecerunt damnatorem suum*. Fuit igitur Christus etiam eorum Salvator, ergo etiam pro illis mortuus est. Et in ps. 68. de Juda proditore ait: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec cognovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat*. S. Hieronym. in Comment. 2. ad Corint. cap. 5. super illa Apostoli verba: *Christus pro omnibus mortuus est*. Hæc habet. *Solus inventus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur*; Atque in epis. ad Occan. *Mentitur Joannes Baptista & digito Christum & voce demonstrans; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in hoc sæculo, quorum Christus peccata non tulerit*. Idem docent Ambros. lib. de Paradiso cap. 8. lib. 2. de Cain & Abel cap. 3. lib. 3. de offic. cap. 3. Cyprian. tract. de opere & eleem. ubi Dæmonem adversus eos, qui æternis suppliciis addicti sunt, ita loquentem inducit. *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis, & cruoris redemi &c.* Quæ autem non fecit Dæmon, fecit Christus &c.

111. Liceat tamen paulisper aliquantulum regredi, atque ut magis ostendam contra Jansenium, Christum non solum mortuum esse pro electis, aliorum vero salutem neglexisse, sicut Dæmonis neglexit liberationem, duo Scripturæ testimonia proferam. Illud in primis quod scribit Apost. 2. ad Corint. 5. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus nobis, & unus pro omnibus mortuus est, sicut omnes mortui sunt, & omnes in unum peccaverunt*. Super quæ verba August. contra Jul. lib. 4. cap. 9. inquit. *Apostolus unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt, in illo autem mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus*. Argumentor. Sed in uno omnes & singuli mortui sunt, ergo unus pro omnibus & singulis mortuus est. Secundum est aliud, quod legitur Luc. 23. ubi Christus Patrem oravit dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*, constat autem non omnes crucifixores fuisse electos. Hinc ab Innocentio X. damnata fuit hæc Jansenii propositio. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*.

112. Juxta Scripturarum & Sanctorum Patrum doctrinam plures non defuerunt Conciliorum definitiones. In Arelaten. ann. 475. post lectam & approbatam epis. Fausti Regien. Episcop. ad Lucid. Presbyt. habetur. *Anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit*. In Mogunt. 2. sub Raban. Archiepis. ann. 848. damnatus fuit Gotescalc. qui veterum Prædestinatianorum errorem excitaverat. Tandem, ut omnia, quæ fortasse in dubium revocari possent, nec hujusce loci est probare, prætereamus, sufficiat Trident. quod sess. 6. de justific. cap. 2. dicit: *Missum à Patre Christum, ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*.

113. Fuit igitur & est in Deo vera & sincera voluntas omnes & singulos salvandi, & pro omnibus & singulis mortuus est Christus; & quidem voluntas hæc fuit directè, & immediatè ad salutem æternam, nec solum ad aliqua media, quod clarum est, si perpendamus, media non esse elegibilia nisi propter finem, immo finem prius intentum esse, quam quodlibet medium. Quod si hæc Di-

Divina voluntas & Christi redemptio in solis prædestinatis suum effectum consequitur, non potest inde inferri, ergo tantùm istos vult salvos fieri, & tantùm pro istis Christus mortuus est. Hoc siquidem est verum de voluntate absoluta & consequente efficaci, non de antecedente & conditionata, quam solum nos propugnamus, & quam ex mente Patrum & Conciliorum magis ostendimus. S. Hieronym. in cap. 1. epis. ad Ephes. de voluntate Dei ita loquitur. *Vult salvari omnes, & in agnitionem veritatis venire, sed quia nullus absque propria voluntate salvatur, vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium.* S. Ambros. in ps. 72. *Venit Christus ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret, sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ideo volentes curat, nec adstringit invitos.* S. August. tract. 12. in Joan. *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum; Ipse se interimit qui præcepta medici servare non vult; Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus est mundi nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.* Sed quia nimium diuturnum esset omnia Sancti Augustini testimonia proferre, ejus mentem fidelissimus discipulus Sanctus Prosper exponat; ait autem præter multa in respon. ad 2. objectionem. *Sincerissime credendum, atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus, quod multi pereant, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum.* Ex qua auctoritate sic. Pro illis omnibus mortuus est Christus, pro quibus orandum est, & orat Ecclesia, atqui pro omnibus & singulis orat Ecclesia, & orandum inquit Apost. 1. ad Timot. 2. ergo.

114. Ex hisce omnibus apparet turpissime Jansenium errasse, neque errori suo suffragari quod sæpissime repetit, idest Christi passionem & sanguinem fuisse pro omnibus, & singulis quantum ad valorem & sufficientiam pretii, non tamen valorem & pretium, à Christo fuisse exhibitum & Deo Patri oblatum; etenim in adductis textibus sermo est de voluntate liberandi, redimendi, salvandi, quod servari non potest per solam sufficientiam, & pretii valorem, sicuti quis non diceretur velle captivum liberare, si valorem pecuniæ sufficientem in arca contineret, & animum non haberet paratum in libertatem captivi pecuniam impendendi; immo quantum ad se attinet, non impenderet obice tantum apposito ex parte alterius. Est propterea hæc voluntas Dei efficax ex parte sui effectum obtentura, nisi creatura resistat; quod quidem apertissime insinuat Trident. sess. 6. cap. 13. ubi habet. *Quamvis nemo sibi aliquid de ea absoluta certitudine sibi polliceatur, tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, Deus enim nisi illius gratiæ defecerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet.* Quod si non perficit, Divinæ voluntatis defectui aut imbecillitati tribuendum non est, sed humani arbitrii vertibilitati ac malitiæ; Sicut si quis, sole mundum illuminante, clauderet oculos, non soli culpę verteretur, sed oculos claudenti, si non videret; Ex alia parte nec Deus debet, nec Deus vult arbitrii libertatem adimere, ut statuta providentia servetur, & ratio meriti vel demeriti non auferatur. Ut enim ait S. August. lib. de Spir. & lit. cap. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vult vel bene vel male utentes justissime judicentur.* Porro ex hoc universali judicio, quod Christo reservatum est, alia possent argumenta proponi. Sed nos expositis contenti sumus.

§. II.

§. II.

Refelluntur argumenta in oppositum.

115. OPpones 1. Voluntas Dei salvandi omnes vel non est efficax, vel non est sincera, ergo. Prob. ant. Si voluntas Dei salvandi omnes esset efficax & sincera, omnes salutem assequeretur, sed hoc est falsum, ergo. Prob. maj. Omnes salvarentur, si nullus impedimentum apponeret, sed si voluntas Dei esset efficax & sincera, nullus apponeret impedimentum, ergo. Prob. mi. Si voluntas Dei esset efficax & sincera, daret auxilia ad salutem necessaria, per quæ nullus impedimentum apponeret; ut enim quis dicatur sincere & efficaciter velle aliquem finem, dat ea omnia, quæ ad finem prærequiruntur, ita ut per ipsum non stet, ergo si &c. Et revera quod omnes non salventur, à Deo provenit, qui cum dare posset auxilia efficacia, noluit dare.

Confir. Voluntas, quæ sit efficax conditionate, si seria & sincera sit, non potest admitti in eo, in cujus potestate est adimplere conditionem, sed in Dei potestate est adimplere conditionem, qua omnes salvarentur, ergo. Maj. constat, quia si hæc voluntas non conjungitur cum effectu, ideo est, quia non vult, si autem non vult, quomodo est sincera & seria? Rursus hujusmodi voluntas antecedens pugnare videtur cum voluntate consequenti, sic enim Deus vellet, & nollet omnium salutem.

116. Respond. argumentum hoc excludere omnem voluntatem Dei conditionatam & ex parte sui efficacem, quam tamen dari necessum est ex dictis de scientia Dei. In forma: ne. ant. ad prob. omnes propositiones veræ sunt de voluntate seria & sincera absoluta & consequente, falsæ de voluntate seria & sincera conditionata & antecedente, ad quam probandam seriam & sinceram satis est, Deum dare auxilia sufficientia ad salutem, quibus habitis non attinet ad Deum impedimentum auferre, sed ad creaturam, quare si non aufertur, non Deo vertendum, sed creaturæ, quæ auxiliis sufficientibus, cum possit uti, non utitur. Hoc magis valet in scientia mea negante gratiam ab intrinseco efficacem.

Ex his patet quid respondendum argumento in confirmatione posito; negatur enim major; ad prob. voluntas hęc non conjungitur cum effectu, quia non vult consequenter, non quia non vult antecedenter, & ideo voluntas hæc non est seria & sincera consequenter, est tamen antecedenter. Quare autem voluntate consequente nolit, maximum mysterium est, quod investigandum non esse monet Augustinus, de quo Sanctus Prosper in resp. ad 14. objectionem inquit. *Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare.* Et libro de vocat. gent. cap.20. sive sit Prosperi sive alterius Doctoris, legitur. *Verumtamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor humilitatis nostræ, si firma & stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum, & ubi investigari non potest, quare ita judicat, sufficiat scire quis judicet.* Sed plura non proferam, satis, ubi de gratiæ efficacia, dictum est, si quod divisim dictum est, simul colligatur.

Patet insuper hanc Dei voluntatem antecedentem non opponi consequenti, tanquam si Deus velit & nolit. Non pugnabat per Jansenium in statu naturæ innocentis & respectu Angelorum, quia juxta ipsum volebat Deus omnes Angelos salvos fieri, qui tamen omnes salvi facti non sunt, erat ergo illa voluntas antecedens, consequens non erat. Ratio autem hujus est, quia voluntas antecedens, ut dicam in tract. de Deo uno, fertur in hominem salvandum absolute & omnibus personæ circumstantiis præcisis non attento merito vel demerito, asensu vel disensu creaturæ, voluntas vero con-

consequens fertur in hominis salutem attentis omnibus circumstantiis, & sic bene operantem usque in finem vult salvare, male operantem in fine damnare vult & punire. Utriusque exemplum afferunt Doctores, & ipse S. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. hisce verbis. *Unumquodque secundum quod bonum est sic est volitum à Deo; Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideretur, vel bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, è contrario se habet; Sicut hominem vivere bonum est, & hominem occidi est malum secundum absolutum considerationem; Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere; Unde potest dici (ecce exemplum) quod Judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi, similiter Deus vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ*. Dixi supra, *omnibus personæ circumstantiis præcisis* ne inferret Jansenius, ergo præcisa circumstantia peccati Originalis vult Deus omnes homines salvos fieri; siquidem peccatum Originale non est circumstantia personę, sed naturę; & homo consideratus sine hac circumstantia est homo in abstracto, & merum ens rationis, cum seclusa Dei ordinatione & decreto homo esse nequeat sine tali peccato, ut suppono.

117. Dices. Si salvare hominem præcisis omnibus circumstantiis personalibus bonum est, etiam salvare hominem cum talibus circumstantiis bonum est, ergo si ea ratione vult omnes salvare voluntate antecedente, vult etiam voluntate consequente, ergo omnes salvarentur. Sed contra ne. secundam partem præced. antec. Velle enim salutem omnium hominum secundum se est quid bonum, nec est majoris aut saltem æqualis boni impeditivum, at velle eorumdem salutem etiam attentis circumstantiis voluntate consequenti esset quid impeditivum alterius boni relucentis, vel in effectibus Divinæ justitiæ, vel in varietate Divinæ providentię etiam in ordine gratiæ, vel etiam in majore gratiæ æstimabilitate, orta ex eo, quod non omnibus conferatur, proinde &c.

118. Ob. 2. Primo quia voluntas illa generalis & antecedens est omnino sterilis & otiosa, cui nullus correspondet effectus & operatio, quod quidem etiam declaratur exemplo Judicis juxta mentem S. Th. quamvis enim Judex velit, hominem vivere, quatenus homo est, vult tamen eum mori, quatenus reus homicidii est, nec ulla illi media suppeditat, quibus possit mortem à se avertere, ergo. Secundo. Hujusmodi voluntas antecedens potius velleitas appellanda est, quam voluntas teste S. Thom. 1. p. qu. 19. art. 6. ad 1., sed nulla velleitas in Deo admittenda est, ergo. Tertio. Illa particula *omnes* in textu Apostoli omnes & singulos homines non complectitur, sicut enim, dum dicitur Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. Et ps. 31. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* non infertur, omnes & singulos fuisse injustos, ita &c.

119. Resp. ne. ant. ad prob. licet non correspondeat collatio gratiæ efficacis, correspondet tamen collatio auxiliorum sufficientium. Pro exemplo Judicis, quod ad rem explicandam aptum est, dico, non in omnibus parem esse rationem. Deus enim provisor est generalis, & imponens præcepta, quæ serventur, ne dicatur impossibilia præcipere, omnibus conferre debet ea media, per quæ possit illa servare, per consequens comparare salutem. Hac de re voluntas antecedens, per quam Deus vult omnes homines salvos fieri, comparatur etiam voluntati mercatoris, qui imminente tempestate vult merces servare, & tamen voluntate consequente illas projicit, mercator tamen adhibet, quantum ad se attinet omnem diligen-

tiam

tiam sufficientem ad illas conservandas, ergo etiam Deus, quantum ad se spectat, præbet omnia media, ut omnis homo salvus fiat, modo tamen à nobis exposito.

Ad 2. si hæc voluntas antecedens consideretur comparativè, idest comparatur voluntati consequenti, velleitas dici potest, si autem consideretur absolutè & secundum se, est vera & sincera voluntas, ideo docet S. Th. 1. p. qu. 19. art. 6. voluntatem antecedentem esse secundum quid, non vero simpliciter, idest conditionatam, non absolutum.

Ad 3. fateor, particulam *omnes* non semper pro singulis accipi, ut constat ex textibus adductis aliisque quàm pluribus, attamen explicari debet juxta circumstantias textus, juxta Ecclesiæ consensum, juxta Patrum explicationem, ut cum dicitur: *Omnes in Adam peccaverunt* ly *omnes* complectitur omnes & singulos præter Beatissimam Virginem, pro qua specialis militat ratio; & jam pro hac re adduxi Sanctum Augustinum num. 111.

120. Plura opponuntur ex doctrina Sancti Augustini, quæ tamen explicari debent de voluntate consequente, efficaci, & absoluta, non de antecedente, & efficaci quidem ex parte Dei, sed conditionata, & quamvis textum Augustinus explicaverit, sicut supra dictum est, non tamen dixit, ita explicari debere, sed solummodo posse. Ut autem explicationem nostram vanam non esse demonstremus, præter rationes à nobis expositas, testes adducimus Sanctum Thom. & Sanct. Bonavent. Primus in 1. dis 46. qu. 1. art. 1. ad 1. inquit: *Verbum Apostoli intelligitur de voluntate antecedente, non de consequente, sed secundum Augustinum intelligitur de consequente*. Secundus vero in 1. dis. 46. qu. 1. art. 1. ait: *Egregius Doctor Augustinus duplicem facit vim in modo distribuendi, sed Damascenus facit vim in modo volendi*. Nota, hanc divisionem voluntatis antecedentis & consequentis desumi ex doctrina præsertim Sancti Damasceni, ut dicam in tract. de Deo Uno.

121. Ob. 3. ad probandum, Christum non esse mortuum pro omnibus & singulis. Primo ex Scriptura pluribus in locis dicitur Christus mortuus pro multis. Sic Mat. 20. *Filius hominis venit non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*: c. 26. *Hic est sanguis &c. qui pro vobis & pro multis effundetur*. Et Apost. ad Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Insuper pluribus in locis innuitur peracta passio tantummodo pro prædestinatis, & ad summum pro solis fidelibus. Sic Joan. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Matt. 1. *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Et 15. dixit Christus se missum non esse nisi *ad oves quæ perierunt Domus Israel*. Ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et Joan. 6. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*. Ex quibus aliisque similibus sic potest subsumi, atqui oves Christi sunt solum prædestinati, de quibus dictum fuit. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Qui ad Ecclesiam pertinent sunt solum fideles & baptizati, ergo ad summum Christus mortuus est tantum pro prædestinatis, & ad summum pro fidelibus. Adde; Christum mortuum esse pro quibus oravit, atqui oravit tantum pro prædestinatis juxta illud Joan. 20. *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*, quibus consonat id quod scribit Sanct. Augustin. 21. de Civit. cap. 24., nimirum; *Si Ecclesia de aliquibus certa esset, quod prædestinati sint in ignem æternum ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso*, ergo Christus, qui omnia sciebat, pro solis prædestinatis oravit; & profecto non est admittenda in Christo oratio inanis, quæ non exaudiatur, inquit enim Joan. 11. *Ego sciebam, quia semper me audis*. Sed si oras-

set

ſet pro reprobis, oratio fuiſſet inanis nec exaudita, ergo.

122. Reſp. primos textus intelligendos eſſe de efficacia non de ſufficientia, de applicatione Chriſti abſoluta & conſequenti non antecedenti & conditionata. Sed præterea advertendum eſt, quod ſicut aliquando particula *omnes* ſumitur pro multis, ita particula *multi* ſumitur pro omnibus, exemplum habemus in epiſ. ad Rom. 5. ubi ait Apoſtolus. *Unius delicto multi mortui ſunt* & tamen omnes mortui ſunt, teſtante eodem Apoſtolo. *Omnes in Adam peccaverunt*. Immo Apoſtolus probat 2. ad Corint. 5. quod ſicut in Adamo mortui ſunt, ita pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, de quo argumento jam dictum fuit num. 111. Juxta priorem intelligentiam explicantur etiam textus ſecundo loco adducti; Sed addo; Aliud eſſe, omnes actu eſſe oves Chriſti, & aliud, omnes eſſe poſſe oves Chriſti, & Chriſtum velle omnes hujuſmodi eſſe, licet primum non ſit verum, verum tamen eſt ſecundum, & hoc ſufficit pro re noſtra; Omnes & ſinguli ſunt oves Chriſti, ſi velint, quod ſi nolint, hoc fit contra Chriſti intentionem, & Dei voluntatem, non eſt diſtinctio apud Deum Judęi & Gręci; Omnia enim dedit Chriſto Pater in manus juxta illud pſ. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Perperam tandem intelligitur ab adverſariis illud: *Omne, quod dedit mihi Pater, non pereat*. Datus fuit Judas, qui tamen periit, juxta textum adductum nu. 109. Si periit Judas datus à Patre, quid mirum, ſi pereant tot alii quamvis Chriſto traditi à Patre? Ad additum ne. mi. cujus falſitas evincitur ex primo textu adducto in probatione noſtra, & ex alio Joan. 5. *Ut mundus credat, quia tu me miſiſti*. Sed mundus conſtituitur non ſolum per prædeſtinatos, ſed etiam per reprobos & infideles, ergo. Tandem Luc. 23. *Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*, ſed illi non erant omnes prædeſtinati, ergo Chriſtus non oravit tantum pro prædeſtinatis. Aliquando igitur Chriſtus rogavit pro ſolis prædeſtinatis & Apoſtolis, aliquando vero etiam pro aliis & quibuſcumque, pro illis quidem oratione efficaci & abſoluta, pro aliis vero conditionata & ſolum antecedente. Si de illa loquamur, ſemper fuit exaudita non ſi de iſta; conſtat hoc, etenim oravit Patrem Mat. 26. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, nec tamen calix tranſivit, per quod refellitur ultimum; Nunc devenio ad textum S. Auguſtini, quem juxta doctrinam Sancti Bonaventuræ aliter etiam explicabo in ſequentibus; nihilo tamen minus diſpar eſt ratio de precibus Eccleſiæ & de Chriſti oratione, etenim oratio Eccleſiæ præſupponeret eorum, qui damnandi eſſent, reprobationem, ideo in omni ſenſu inanis eſſet oratio; at deprecatio Chriſti pro reprobis antecederet eorum reprobationem, ratio eſt, quia reprobatio eſt effectus abuſus, ſeu non uſus gratiæ, non uſus gratiæ ſupponit collationem gratiæ, collatio gratiæ præſupponit meritum Chriſti, proinde etiam ejus orationem, propter quam vel tanquam futuram, vel præſentem, vel præteritam quælibet gratia collata fuit, & conferenda eſt, ideo &c.

123. Afferri poſſent alia teſtimonia Sancti Auguſtini, quæ tamen juxta ſuperiorem doctrinam explicanda ſunt, cui addo Concil. Trident. ſeſs. 6. de juſtific. cap. 3. ubi ait: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*.

§. III.

Utrum Deus omnibus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

124. NUNC faciliori perfectiorique calamo difficultatem iſtam art. 12. propoſitam reſolvamus; quamvis

vis autem apud omnes catholicos pars affirmativa sit certa, attamen, utrum hujusmodi auxilia sint solummodo preparata, vel etiam oblata inter ipsos est quæstio. Primum defendunt Alens. Gonet. Godoy, & nonnulli alii Thomistæ. Secundum vero Scotistæ, Salmantic. & frequentius Neoterici. Cum istis.

Sentiendum; omnibus & singulis, cujuscumque conditionis sint, data esse à Deo auxilia sufficientia ad salutem. Hoc valet de adultis, de parvulis dabitur in fine resolutio. Adverto autem, auxilia sufficientia alia esse remota, & alia proxima, rursus, hæc alia remissa, alia intensa & uberiora. Procedit conclusio de auxiliis sufficientibus præcise acceptis, seù disjunctive, ita ut Deus vel hæc, vel illa conferat.

125. Prob. conclusio generatim. Omnes & singuli tenentur ad mandatorum observationem, sed si ipsis non essent data auxilia sufficientia ad hujusmodi observationem, non tenerentur, ergo. Prob. mi. Nemo tenetur ad id, cujus observatio impossibilis est, immo neque Deus præcipit quod est impossibile, sed si non essent data auxilia sufficientia ad salutem, mandatorum observatio impossibilis esset, cum ad hanc naturæ vires non sufficiant saltem per ordinem ad finem supernaturalem, & in præsenti providentia, ergo.

Dices; adhuc omnes teneri ad mandatorum observationem, & peccare formaliter, si non servent, non quia habent auxilia sufficientia, & facultatem observandi mandata; Sed quia habuerunt, & culpa propria amiserunt, ex quo fit subtractionem auxilii sufficientis esse poenam præcedentis culpæ, & ita impossibilitatem servandi precepta consequentem esse liberum arbitrium, proinde imputabilitatem culpabilem nequaquam adimere. Manifestum est hoc. Quis per ebrietatem amisit posse evitare homicidium, & per culpabilem carentiam breviarii factus est impotens ad recitandum officium, non ne adhuc peccat ille perpetrando homicidium, iste non recitando officium? Ita à pari, quamvis peccatores auxilia sufficientia non habeant, & impotentes sint ad servanda mandata, adhuc non observando peccant, quia voluntarie facti sunt impotentes.

126. Sed contra; Multifariam propositum argumentum refello, dico primo quod si hæc impossibilitas non sit in causa prævisa & voluntaria sufficit ad excusandum à peccato, unde ait S. Augustinus, culpandum esse Loth, quantum meretur ebrietas, non quantum incestus cum filiabus commissus, atqui subtractio auxilii sufficientis non est prævisa sequtura ex præcedenti culpa, immo peccator potius existimat sibi non defutura auxilia ad poenitendum, nec scit, per quodnam peccatum contrahatur destitutio, ergo. Secundo nego absolute ad peccatum proprie tale & in se ipso sufficere facultatem illud vitandi præteritam culpabiliter amissam, sed tunc inferri potest tantummodo, esse peccatum in causa, nec habere diversam malitiam à malitia præcedentis peccati, per quod facultas amissa est, & hoc pacto homicidium sequturum ex ebrietate non habet malitiam diversam à malitia ebrietatis, atqui peccata, quæ committuntur ab hominibus etiam post volnntariam excæcationem & obdurationem, sunt in se ipsis peccata, alioquin post excæcationem & obdurationem impune & absque novo demerito possent præcepta violare, ergo. Tertio sequeretur, quod si aliquis culpa sua factus esset demens, omissio omnium præceptorum, ut audiendi sacrum die festo, & jejunandi diebus præscriptis esset culpæ vertenda, quod tamen est contra Sanctum Augustin. lib. 3. de libero arbitr. cap. 18. & 19. penes Alvarez lib. 11. de auxiliis disp. 112.

127. Neque obstant aliqua dicta S. Augustini, quibus videtur innuere, carentiam auxiliorum ex precedenti culpa derivare. Affero quod legi de correp. & grat. cap. 11. ubi loquens de adjutorio, quo

quo Adam poterat perseverare, si voluisset, inquit. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est*, ergo in pœnam præcedentium delictorum potest esse subtractio auxiliorum, quibus possit homo perseverare, & consequenter bene operari. His consona est doctrina S. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. dicentis. *Auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur, quibuscumque autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati*. Et 3. contra gentes cap. 16., ubi ait, quod etsì aliqui non habeant potestatem vitandi peccata, nihilominus non vitatio culpæ imputatur, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur.

128. Non obstant inquam, nam Augustinus distinguit dupplex auxilium sufficiens, unum tribuens posse operari sine lucta & faciliter, aliud tribuens posse operari difficulter & cum lucta. Illud asserit non dari, & esse pœnam peccati, ex quo concupiscentia & pugna inter sensum & rationem promanavit, aliud vero dari non negat. Sanctus Thom. in textu loquitur de privatione auxilii efficacis, non sic mere sufficientis; Vel dic, utrumque Sanctum Doctorem loqui de privatione auxilii proximi & uberioris, non sic remoti & absolute talis. Ad ultimum jam dictum est supra, hoc verum esse, quando in præcedenti peccato prævisa fuit hęc impossibilitas ad vitanda peccata.

129. Prob. secundo conclusio de peccatoribus obduratis & excæcatis. Quamtumvis dentur peccatores obdurati & cæcati, attamen in Sacris Scripturis vocantur ad pœnitentiam, sed frustra vocarentur, nisi ipsis darentur auxilia sufficientia ad salutem, ergo dantur. Major patet nam ipsis dicitur. Is. 31. *Convertimini sicut in profundum recesseratis*. Ezech. 37. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris*, & rursus, *Convertimini convertimini, quare moriemini?* 2. Petri 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Minor ex terminis patet, si enim non habent posse pœnitentiam agere, manifestum est, si ad pœnitentiam vocantur, potius irrideri, sicut, si quis oculis careret, frustra immo non citra injuriam ipsi diceretur, ut videat. Neque dicatur, satis esse, si ipsi hujusmodi auxilia parata sint, etenim auxilium paratum & non collatum nullas ad agendum vires conferre, compertum est, sicut medicina parata & non collata nullam vim habet ad sanandam ægroti infirmitatem, & in carceribus clauso nihil prodest, claves ad aperiendum paratas esse, si ipsi non conferantur, instabis fortasse, medicinam paratam, quamvis non collatam habere vim ad sanandum, si velit ægrotus illam sibi aptare, sicut & claves paratæ ad aperiendum, si velit captivus manum ad illas extendere, quare si non sanetur, aut liberetur ipsi tribuendum est; Sed frustra instas, etenim ex hoc probatur, auxilia sufficientia parata sufficere, si peccator velit, sed ut velit debet habere auxilium, quo possit velle, & hoc non satis erit, si paratum tantummodo sit, alioquin semper redit argumentum. Quis obduratior Pharaone? Et tamen Chrysost. super cap. 9. Epis. ad Rom. ser. 171. inquit; *Tulit Pharaonem multa patientia ad pœnitentiam inducere volens*. Quis nequior Juda? nec tamen, quibus converti posset, caruit auxiliis, ut testatur S. Ambros. hom. de Paradiso.

130. Dices. Si Scripturas attendamus, potius hisce peccatoribus auxilia sufficientia denegari comperiemus; Aliquando Deus omnino illos deserit; ideo ps. 8. *dimisi eos secundum desideria cordis eorum* & Jerem. 7. *Projiciam vos à facie mea*. Aliquando dicuntur peccatores non posse corrigi, nec posse misericordiam consequi; ideo Eccles. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*; & 2. Machab. 9. legitur de Antioc. *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam* con-

consequuturus. Et ad Hæbr. 12. habetur de Esau; *Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisivisset eam*. Aliquando peccata dicuntur irremissibilia, ideo Mat. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Et Joan. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut oret quis* Si vero Sanctos Patres adeamus, clarius docent nihil. Celebre est dictum illud Augustini de verbis Domini; *Cum vult*, idest peccator obduratus, *non potest, quia quando potuit, non voluit, ideo per malum velle perdidit bonum posse*. Cui consonat aliud Isidori lib. 2. de sum. bono cap. 15. *Non nulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint*. Quamobrem plura nobis exempla offeruntur legenda vel audienda, in quibus ostenduntur peccatores in mortis periculo constituti, prohibuisse adstantium preces, cum sibi amplius non prodessent, quod dici non posset, si tunc haberent auxilia sufficientia ad salutem. Ratio etiam suffragatur, nam si esse possunt homines ita in gratia confirmati, ut gratiam nequeant amittere, cur esse non poterunt homines ita in peccato obdurati, ut peccatum nequeant deponere?

131. Sed contra. Omnes istæ auctoritates, & siquæ sint aliæ, explicandæ sunt de privatione auxiliorum vel efficacium, vel sufficientium, quæ sint proxima & uberiora, non vero quæ sint remota & absolute sufficientia; sicut homines corrigi nequaquam posse, & peccata aliqua non posse remitti, non est intelligendum absolute, sed solummodo difficulter, de qua re agitur in tract. de pœnitent. Rursus deesse tempus ad pœnitentiam agendam, obtinendamque misericordiam, sicut solent peccatores procrastinando semetipsos decipere, propter quod ait August. tract. 33. in Joan. *In quo Propheta mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam*: & Greg. hom. 12. *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinam non promisit*. Sed duo satis diversa sunt, non dari auxilium ad pœnitentiam, non dari majus vitæ spatium ad pœnitentiam; Primum tantummodo est ad rem nostram. Quod si Sanctorum Patrum testimonia stricte explicare contenderemus, non solum peccatoribus obduratis contingeret, auxiliis sufficientibus destitutos esse, sed etiam ipsis justis. An non justus Petrus, priusquam Christum negaret? & tamen audi quid de negante Petro scripserit Chrysost. hom. 2. in Joan. *Neque enim frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit*, & hom. 3. in epis. ad Hebr. *Negatio Petri non tam erat socordiæ ac negligentiæ, quam ex eo quod Deus eum deseruerit*; Quod jam ante docuerat August. ser. 124. de tempore dicens. *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negavit Christum? & ideo Beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit*, Nec tamen dices, Patres intelligendos esse in hoc sensu, quod à justis & à Petro auxilia sufficientia Deus subtraxerit. Ita responde exemplis; nisi velis dicere, Dæmonum fraude in hanc desparationem homines fuisse prolapsos. Nunc ad rationem postremo productam, negando in primis antec. quod tantum est verum potentia consequente, &, ut ajunt, actuanda, non antecedente & actuabili. Secundo omittendo ant. & negando cons. nam confirmatio in gratia non extrahit hominem à statu viæ, immo ipsum perficit, obduratio vero auferens facultatem ad conversionem, & afferens carentiam auxiliorum sufficientium, hominem à statu viæ extraheret, & tendentiam ad terminum prorsus adimeret, per quam rationem probant plures Doctores sententiam nostram.

132. Videtur tamen ex illis textibus Chrisostomi & Augustini de Sancto Petro adductis sic argumentum fieri posse. Deus quandoque etiam justis auxilia denegat sufficientia, ergo multo magis peccatoribus obduratis. Prob. ant. auxilia sufficientia negavit Petro, antequam Christum negaret, sed Petrus tunc erat ju-

justus, ergo. Prob. maj. Negatio Petri ex dictis textibus non tam frigiditati, secordiæ, ac negligentiæ Petri tribuenda est, sed Divinæ gratiæ auxiliique defectui, ergo; quod constat, quia quo adusque non desit auxilium Dei, semper homini tribuendum est, si peccat.

Hisce respondemus primo ex generali regula à nobis statuta in prima probatione num. 125. Si enim Petrus auxiliis sufficientibus caruisset, Christum negando, non peccasset. Intelligendi itaque sunt Sancti Patres de carentia auxiliorum efficacium, vel proxime uberiorum, non de quibuscumque. Quod si hoc non tribuitur pigritiæ, frigiditati, & secordiæ Petri, intellige Petrum in eo statu, in quo erat, dum dixit Christo, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, non absolute. Brevius tamen, non fuit tribuendum frigiditati, secordiæ, ac negligentiæ Petri, sed nimiæ ejusdem fiduciæ, qui sibimetipsi fidens in ea verba prorupit, *etsi omnes scandalizati fuerint &c. etiam si oportuerit me mori tecum &c.*

133. Prob. tertio de infidelibus; & ratio desumitur ex quo si cœteris hominibus dat Deus auxilia sufficientia ad salutem, etiam infidelibus dabit ad fidem, si de adultis loquamur, est enim fides initium salutis, & sine qua impossibile est placere Deo; rursus, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, & pro omnibus Christus mortuus est, ut probavi, ergo. Punctum tamen hoc validius suadebimus, si scripturæ auctoritatibus innitamur. *Illuminat* enim ait Joan. cap. 1. *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Apostol. inquit, *vult omnes homines &c. et ad agnitionem veritatis venire*. Ps. 18. habetur, *nec est qui se abscondat à calore ejus*. Merito propterea infert S. Augustin. lib. 1. de gen. cap. 3. omnes posse, si velint, credere & se ad præcepta servanda convertere; & S. Prosper. *Elaboratum est, ut in cunctis retro sæculis probaretur, gratiam Dei omnibus adfuisse* quod certe etiam de infidelibus dictum esse nullus ibit inficias.

134. Dices. Hæc omnia servari, si auxilia sint parata, & Deus, quantum ad se pertinet, illa det, quamvis in homine non sint recepta, atque primum dicendum tantum relinquitur, nisi velimus prorsus à mente Sancti Augustini recedere, & à S. Thom. quem in hac parte etiam nos sequimur. Augustin. ep. 107. ad Vitalem inquit: *Scimus, gratiam Dei non omnibus dari*; & serm. 11. de verbis Apost. cap. 4. *Communis est omnibus natura, non gratia*. Angelicus de verit. q. 24. art. 15. in corp. hæc habet. *In nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali*; & 3. contra gent. cap. 159. *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri*: nota illa verba, *quantum in se est, paratus est*.

135. Sed contra. Jam supra declaratum fuit, quo pacto frustraneum sit confugere ad auxilia parata, & non collata; nihilominus amplius declaro. Si homo per auxilia sufficientia exhibita & non collata seù in se ipso recepta salvari posset, ut requiritur ad servandos textus à nobis adductos, posset tantummodo per facultatem extrinsecam, sicut auxilia ista tantùm extrinsecè se habent, sed hoc non sufficit, ergo. Prob. mi. primo exemplo causæ partialis, quæ potest effectum proferre, si alia causa ipsi uniatur, non verò si tantùm parata sit, & hoc pacto creatura posset totum id, ad quod elevari potest, quia id potest per virtutem extrinsecam Dei, quod tamen est falsum, nisi hæc virtus ipsi conferatur, aut saltem extrinsece applicetur. Secundo probaretur, etiam damnatis non deesse auxilia sufficientia ad salutem, quia Deus quantum est de se habet remedium & auxilium aptum ad ipsos salvandos; nec officit, ipsis non offerri, nam offerri peccatoribus in via & non præberi, appellabimus titulum sine re, & idem in substantia, sicut dictum fuit de medicina &c.

136. Ita

136. Ita doctrinam adversantium rejecimus, operæ tamen pretium est, laudatas auctoritates exponere. Augustinus ibi non sumit pro gratia auxilia sufficientia, sed fidem & charitatem, propter quas fidelis discernitur ab infideli, & justus ab injusto, ut videri potest in lib. de prædest. Sanct. cap. 4. Angelicus docet, ut constat in contextu, in nullo omnes homines convenire nisi in natura, convenientia permanente & jure debita, non sic in transeunte & ex suppositione debita, sicuti est gratia explicata per auxilia sufficientia. In secundo loco ly *quantum est de se* pertinet ad distinguendam gratiam efficacem à sufficiente, non vero ad distinguendam collationem gratiæ ab oblatione, videlicet, quantum est de se est paratus ad conferendam gratiam efficacem; Cum ipsa gratia sufficiens, præsertim per nos fieret efficax, si creatura vellet.

137. Oppones primo & omisso Augustini testimonio, *si nosset Ecclesia, qui prædestinati sunt in ignem æternum &c.* de quo num. 121. inquit idem Augustinus, *solis prædestinatis ad æternam vitam, non autem omnibus ejus bona opera profuerunt* non igitur bene infertur ex generali voluntate Dei antecedente salvandi omnes collatio auxiliorum sufficientium ad salutem; Unde Jansen. lib. 3. de gratia Salvatoris asserit, *illam generalem voluntatem salvandi omnes, & illam sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparationem, Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit*. Neque deest ratio; nam ut loquitur S. Thom. Ita Deus vult voluntate antecedente omnium salutem, & voluntate consequente reproborum damnationem, sicut rectus Judex vult voluntate antecedente salutem furis, & voluntate consequente ejusdem mortem, atqui Judex rectus esto velit &c. non dat furi auxilia sufficientia ad evitandam mortem, ergo neque Deus dat reprobis auxilia sufficientia ad evitandam damnationem.

138. Jam primum textum Augustini expendimus num. 122. Illum tamen expendit alio modo S. Bonavent. in 1. dis. 46. art. 1. ad 3. dicens, Ecclesiam non esse oraturam pro reprobis, si ipsos certo cognosceret, quantum ad æternam salutem consequendam, non autem quantum ad auxilia sufficientia obtinenda, quæ componuntur cum damnatione, tum quantum ad committenda minora peccata, per quæ minor injuria inferretur Deo, & sibi reprobus minora supplicia cumularet; Verum hæc responsio non satisfacit, cum fieri posset argumentum, ergo etiam Christus, qui certissime noverat reprobos, oravit tantum pro ipsis, ut sic haberent auxilia sufficientia, non tamen per ordinem ad æternam salutem. Secundo textui jam occurrimus, valere nimirum de efficacia non de sufficientia; Qua de re S. Th. ponderans illa verba Mat. 26. *Hic sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Ait: *Sanguinem Christi effusum esse pro multis, & pro omnibus, quia si consideretur sufficientia, ipse est sufficiens pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed totius mundi, sed si consideramus efficaciam, effectum non habet, nisi in his, qui salvantur, & hoc ex culpa hominum*. Immerito propterea & stultissime dixit, quod dixit Jansenius. Ad rationem; non in omnibus tenent exempla; in hoc autem dispar est ratio, quod Judex rectus, ut Judex est, tenetur tantùm ad infligendas pœnas pro delictis, & voluntate antecedente vult salutem furis, ut homo est; Deus autem cum etiam in ordine gratiæ sit provisor universalis, habet sub hac ratione & voluntatem antecedentem dandi omnibus auxilia sufficientia, & voluntatem consequentem non bene utentibus idest reprobis pœnas infligendi. Præterea. In humanis legibus supponuntur vires sufficientes ad illarum observationem, aliter essent leges injustæ; ad servandam autem legem Divinam non sunt in hominibus sufficientes vires; debet igitur

Deus

Deus illas impertiri, ne præcipiat impoſſibilia.

139. Ob. 2. loquendo de infidelibus. Dantur per S. Th. 2. 2. qu. 10. artic. 1. infideles negative; ſed ita non dantur omnibus auxilia ſufficientia ad fidem, ergo. Prob. mi. Ut dentur infideles negative, ipſorum infidelitas culpæ verti non poteſt, ſed ſi haberent auxilia ſufficientia ad fidem, ipſorum infidelitas culpæ verti poſſet, ergo. Hinc S. Auguſtin. tract. 89. in Joan. quærens, utrum illi, ad quorum notitiam Chriſtus non venit, excuſationem habeant, reſpondet, habere non de omni peccato, ſed de hoc, quod in Chriſtum non crediderunt, ergo quantum ad hoc auxilia ſufficientia non habuerunt.

140. Reſp. tranſ. maj. quæ ab aliquibus negatur; diſ. maj. non dantur &c. auxilia proxima & immediata ſufficientia conc. remota & mediata ne. mi. & conſ. in ſenſu diſtinctionis; & verum eſt, infidelitatem negativam culpæ verti non poſſe. Infideles carere auxiliis proximis & immediatis ad habendam fidem, non negatur, carere tamen remotis & mediatis non conceditur; quod ſic explico. Vel infidelis ſequutus eſt ductum rationis, vel non; Si primum dicatur, jam certiſſimè tenendum eſt cum S. Th. qu. 14. de verit. art. 11. ad 1. & alibi lumen recepturum à Deo quo fidei myſteria percipiat & audiat; & ad ſequendum illum habuit auxilia non ſolum ſufficientia, ſed etiam efficacia. Si ſecundum, jam peccavit; ſed ſi non habuiſſet auxilia ſufficientia ad ſervandum, non ſervando non peccaſſet, ergo. Porro hæc auxilia ad ſervandum, ſeù ſequendum ductum rationis erant auxilia remota & mediata ſufficientia ad habendam fidem, ergo hic infidelis habuit &c. Hinc S. Proſper de infidelibus ait: *Licet abundantia gratiæ pari antea largitate non fluxit, tamen adhibita eſt menſura, quæ ſufficit.*

141. Dices; Cum auxiliis remotis ad fidem infidelitas ſine culpa non eſt, ergo non eſt negativa, ſed poſitiva. Prob. ant. cum auxiliis remotis ad obſervandum præceptum, non obſervantia præcepti ſine culpa non eſt, ergo à pari. Ant. patet, quia pluribus peccatoribus non conferuntur niſi auxilia remota, & tamen ſi præcepta non ſervent, peccant.

Sed contra. Ne. ant. ad prob. diſ. ant. ſi præceptum conſtet, ac ſit promulgatum conc. ſi non conſtet, nec ſit promulgatum ne. ant. & conſ. eodem modo. Infidelitas negativa duplici modo poteſt inculpabilis eſſe; uno, ſi non darentur auxilia ſufficientia ad credendum, in quo ſenſu neque infidelitas poſitiva peccatum eſſet; alio, ſi præceptum credendi non ſit ſufficienter promulgatum, nec objecta fidei ſint propoſita. In re noſtra nemo eſt infidelis negative ex primo capite, eſt tamen ex ſecundo & idem dico de peccatore, qui habet auxilia remota ad ſervandum aliquod præceptum, nec tamen peccaret, ſi præceptum non eſſet ſibi propoſitum, illudque invincibiliter ignoraret.

142. Urgebis. Ipſa carentia propoſitionis eorum, quæ credenda ſunt, culpabilis eſt, ergo non credendo ſemper peccat. Prob. ant. ideo datur hujuſmodi carentia, quia non eſt ſequutus ductum rationis, ſed non eſſe ſequutum ductum rationis culpabile eſt, ergo.

Sed contra ne. ant. ad prob. diſ. maj. ideo &c. Neſciendo ſe habiturum auxilia ſufficientia ad credendum ſi eſſet ſequutus, non habiturum, ſi non eſſet ſequutus conc. è contrario ne. maj. Illud autem culpabile dicitur, quod in cauſa eſt præviſum & voluntarium, conſequenter &c. Cur ergo, inquies, docui in tractatu de fide, eſſe non poſſe ignorantiam invincibilem incarnationis? Reſpondeo, me ibi etiam docuiſſe, non eſſe damnandum hominem propter carentiam hujus fidei, ſed propter alia peccata, quæ impediunt myſterii notitiam, unde ignorantia invincibilis non poteſt eſſe, non quia ipſa culpabilis ſit per reſpectum ad myſterium, ſed per reſpectum

ctum ad causam, propter quam mysterium notum nequaquam est factum. Ex dictis habes quid respondendum addito ex S. Augustino.

143. Instabis. Deest igitur illis auxilium proximum ad fidem; Sed quibus deest auxilium proximum ad fidem, deest quodcumque auxilium ad salutem, ergo. Prob. sub. mi. auxilium ad salutem est auxilium ad actum supernaturalem, sed cui negatur auxilium proximum ad fidem negatur quodcumque auxilium ad actum supernaturalem, ergo. Prob. mi. omnis actus supernaturalis regulam sumit à fide, quæ est primus actus salutaris, & appellatur radix & initium salutis nostræ, proinde ex Augustino de prædest. Sanct. cap. 6. habetur. *Sicut prima gratia non est ex meritis ita nec fides.* Hujusmodi autem non esset, si aliquis actus supernaturalis illam præcederet.

Sed contra ne. sub. min. ad prob. dis. maj. auxilium proximum ad salutem debet esse supernaturale conc. remotum subdis. debet esse ad actum supernaturalem remote conc. proxime ne. maj. & ita ad reliqua. Sicut auxilium ad salutem aliud est proximum & immediatum, aliud remotum & mediatum, ita auxilium ad actus supernaturales & ad ipsam fidem aliud est proximum & immediatum, aliud remotum & mediatum; auxilium immediatum & proximum ad fidem debet esse ad actum supernaturalem, non sic remotum nisi remote, quo si quis bene utatur, accipiet inde à Deo novas illuminationes atque inspirationes, per quas ad fidem perveniet juxta Doctrinam Sancti Thomæ toties repetitam, non quod usus ejusdem per se conferat ad hujusmodi illuminationes atque inspirationes, sed ex Divina misericordia, quæ, si non apponatur impedimentum, vult omnes illuminare, & ad agnitionem veritatis venire. Ex hoc fit, omnem actum supernaturalem proxime regulam desumere à fide, quæ pariter proxime est initium & radix nostræ salutis, non sic vero omnis actus supernaturalis remote, nimirum remota & negativa dispositio ad actum supernaturalem, & in hoc sensu intellige tum Concilium tum Augustinum.

Responsio tamen communis proposito argumento est; omnem actum supernaturalem regulam sumere à fide vel late vel stricte dicta, idest vel à fide prout est assensus præstitus Divino testimonio, vel ab actibus fidem præcedentibus, ut est judicium speculativum & practicum circa mysteriorum credibilitatem, & pia affectio, imperiumque voluntatis, & hoc modo omnibus datum esse auxilium si non ad fidem stricte dictam saltem ad ipsam late acceptam, cum quo stat infidelitas negativa, atque juxta hanc doctrinam explicant allatas auctoritates. Id tamen mihi non arridet, nam quomodo esse potest judicium practicum & speculativum circa mysteriorum credibilitatem, pia effectio imperiumque voluntatis, nisi mysteria sint proposita? si autem sunt proposita, jam infidelitas negativa non est.

144. Oppositiones, quæ fieri possunt de peccatoribus obduratis, jam expositæ sunt; alias tamen subdam omittendo communissimum illud desumptum ex Jerem. 51. *Curavimus Babylonem & non est sanata derelinquamus eam* ex quibus verbis ita argumentum conficitur. Babylon. fuit relicta, sed non quantum ad auxilia efficacia, ergo quantum ad sufficientia. Prob. mi. fuit relicta quantum ad illa auxilia, quibus curata fuit, nec fuit sanata, sed hæc non fuerunt auxilia efficacia, quia per hæc infallibiliter sanata fuisset, ergo. Aliter itaque sic. Potest Deus in pœnam præcedentium delictorum privare hominem usu rationis, ergo etiam auxiliis sufficientibus tum proximis tum remotis, ant. patet in Nabuchodonosor. Secundo Augustinus in exposit. epis. ad Rom. de Pharaone obdurato inquit, ipsius inobedientiam non fuisse culpabilem; en verba ejusdem. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperavit, quandoquidem*

dem obdurato corde obtemperare non poterat. Ergo quia tunc nec habuit auxilia sufficientia remota. Tandem idem Augustin. lib. 4. contra Julian. cap. 1. ait. *Deus non est benevolentior sceleſtiſſimis & impiiſſimis hominibus propria voluntate repugnantibus, quam innocentiſſimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant*. Sed esset benevolentior, si conferret auxilia sufficientia, quamvis remota, cum hæc aliquando pluribus parvulis non conferantur, ergo.

145. Resp. omittendo responsionem omisso argumento, quæ jam patet ex dictis, relictam scilicet Babylonem quantum ad auxilia sufficientia proxima non remota, vel etiam quantum ad auxilia proxima, sed uberiora, non absolute juxta dicta ex S. Prospero. Ut tamen verum fatear, necesse non est ad hanc distinctionem confugiant Theologi, cum in textu sermo sit de Babylone derelicta quantum ad bona temporalia & de sui destructione, ut legenti compertum esse potest. Ad 1. conc. ant. dis. conf. etiam auxiliis sufficientibus post statum viæ, & quando non obligant præcepta conc. in via & quando obligant præcepta ne. conf. Jam huic argumento responsum est supra; Si quis autem incidat in amentiam, durante amentia est moraliter mortuus incapax meriti vel demeriti. Ad 2. verbum illud *non imputatur* non debet intelligi absolutè, sed comparativè, idest non imputatur sicut ipsum peccatum obdurationis, sicut blasphemo habitu non imputatur blasphemia ad culpam, sicut imputatur antequam habitu blasphemus evadat; vel dic, in eo textu parum auctoritatis habere Augustinum, cum expositio illa facta fuerit sub initio suæ fidei & parum accuratè, ut idem fatetur lib. 1. retract. cap. 23. Ad 3. argumentum probat nimis, cum probet, neque aliis peccatoribus, utcumque sint peccatores, tribui auxilia sufficientia, quia Deus non est benevolentior istis, qui propria culpa prolapsi sunt, quam innocentiſſimis parvulis, qui voluntate propria non ceciderunt. Ibi itaque sermo est de pœnis infligendis post mortem, quæ certe acriores infliguntur hominibus, quam pueris, atque hanc fuisse mentem Augustini, ambigendi locus non relinquitur, cum scriberet contra Julianum, contendentem pueros damnari propter peccata, quæ commisissent, si permansissent in vita. Sed quoniam in minore dicitur, aliquando pluribus parvulis auxilia sufficientia non conferri, ideo ad hoc punctum resolvendum progredimur.

146. Sentio, etiam parvulis dependenter à voluntate aliena dari auxilia sufficientia ad salutem, loquendo per se. Dictum probatur ea ratione, qua superius ostensum fuit, esse in Deo voluntatem salvandi omnes, sicut pro omnibus Christus passus est; & pro hoc stat auctoritas Sancti Prosperi (Si ejusdem hic liber est) de vocat. gent. cap. 23. ubi ait; *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*.

Dixi, *dependenter à voluntate parentum* ut afferatur discrimen inter auxilia, quæ conferuntur adultis, & ea, quæ parvulis, illi siquidem gaudent voluntate propria, isti sunt sub aliena; dixi, *per se* quia aliquando contingit, parvulis baptismum conferri non posse propter aliquod impedimentum ortum ex concursu causarum secundarum, quem Deus impedire noluit, nec ad impediendum tenebatur, hunc enim statuit tanquam provisor generalis, ad quem spectat, unumquodque sinere suos motus peragere, neque fieri miraculum debet, quando sine hoc infans baptizari non potest. Plerumque evenit, baptismum parvulis non conferri, aut istos in utero materno mori priusquam nascantur, culpa à parentibus derivata, sive sint parentes immediati, sive mediati, quam cul-

culpam utique parentes ipsi evitare potuerunt; & licet in aliquo casu fortuito id etiam accidat, attamen potuerunt parentes se in talibus circumstantiis non constituere, in quibus & propter quas id evenit.

147. Contra hoc militant potissimum quædam Sancti Augustini momenta; dicit in primis de natura & grat. cap.8. *Ego autem dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte præventum idcirco talem fuisse, idest sine lavacro regenerationis exiisse, quia aliud esse non potuit*; & infra, *quamvis Christianus non solùm non fuerit, sed nec esse potuerit*. Et clarius de bono perseveran. cap.12. *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut detur*. Quod alibi frequenter repetit.

148. Propter hoc aliqui nostræ sententiæ propugnatores Augustinum explicare non nituntur, & fatentur, ipsum oppositum docuisse, satis sibi arbitrantes, si pro se Prosperum habeant; attamen, ut vides, non adeo coarctamur, ut ipsum explicare non possimus, dicendo, id verum esse loquendo per accidens, non per se; vel ly *non potuit*, & *non potuerit* intelligendum esse de potestate proxima, & non remota; & ly *Deo nolente* excludere voluntatem consequentem, non antecedentem, aut voluntatem impediendi motus aliarum causarum &c.

SECTIO UNICA.

De Jansenio, & ejus Systemate.

1. PLURA quidem in hac re producturus essem, si ea omnia, quæ ad Jansenium pertinent, recensere placeret, in qua certe potius Historici munus obirem quàm Theologi; Cum tamen hoc Cornelii Jansenii nomen tam celebre factum sit, ut in mulierum etiam ore sæpissimè personet, nec solum in Scholis, in quibus ejusdem doctrina ad trutinam revocatur, verum etiam in sæcularium nocturnis diurnisque consessibus in medium afferatur, ideo illud prorsus præterire non potui; Qui vero plura de eo cupiat non ignorare, Eminentissimum de Noris præsertim consulat.

2. Anno 1585. in Territorio Leerdamensi apud Batavos ex Catholicis parentibus ortum duxit; Lovanii à Jacobo Jansenio, qui doctrinam Michaelis Baii plurimi faciebat, strenuèque propugnabat, Philosophicas ac Theologicas Quæstiones excepit; Parisys nobili cuidam adolescenti instituendo præfectus fuit, inde Bajonam se conferens illius Collegii Primarii munere perfunctus est, & post annos aliquot Lovanium reversus novum Sanctæ Pulcheriæ Collegium Provisorum pecunia extruxit; ibi anno 1617. laurea Doctorali in Theologica facultate donatus fuit, atque ab ea Academia bis in Hispaniam Delegatus commissa sibi negotia tanta cum laude perfecit, ut ann. 1630. Regius Sacrarum Litterarum Professor fuerit institutus, atque eo anno typis excudendum tradidit sub nomine Alexandri Patricii Armacani Theologi librum, quem inscripsit *Mars Gallicus*. In eo parum verecunde contra Gallorum Reges actum est, idcirco in Jansenium commota tempestas, quam tandem evadens an. 1635. Episcopus Iprensis fuit consecratus. Brevi tempore pasto-

storali insula enituit, nam duos post annos peste correptus occubuit; Vix tunc ultimam manum apposuerat operi, cui titulus *Augustinus*. Quod cuidam Capellano suo commendavit, ut illud typis re prius communicata cum Liberto Fromondo & Henrico Caleno mandari curaret. De ejusdem ingenio, moribus ac eruditione hæc sub initio ejusdem libri leguntur: *In rebus semel prudenter destinatis magnanimus, acer & instans. Ingenium ipsi fuit acerrimum, judicium gravissimum, memoria capacissima, subtilis choleræ non nihil habuit. Ad istas naturę dotes accesserat studium noctu diuque infatigabile, & veritatis immensus amor; Rogatus aliquando à sodali, quodnam Dei attributum maximè ei cordi esset, & veneraretur, veritatem respondit &c.* Sed profecto qui veritatem tam sollicite amavit ac quæsivit, in hoc libro non invenit, quamquam neque in hoc reprehensibilis; etenim ante mortem hæc verba habuit. *Si Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.* Quod amplius cap. 29. libri proemialis & in epilogo totius operis contestatus est sequentibus verbis loquens de Romano Pontifice Petri successore. *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit, apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est; ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario; ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ capite, moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno &c.*

3. An sicut lingua ita & animo senserit Jansenius, ad me non interest, qui de omnibus recte cogito; novit Deus, qui scrutatur renes & corda, certe si lib. proemial. cap. 28. perlegamus, ipso sub initio Jansenius videtur errasse, inquit enim, se confidere puram Sancti Augustini doctrinam à quingentis annis à Scholis Catholicis exulem, revocare. Hæc non fuit totius Ecclesiæ levis injuria, tanquam si per quinque sæcula in Sancti Augustini mente intelligenda Ecclesia defecisset. Per viginti & duos annos huic libro perficiendo totam Jansenius operam dedit, nec mirum si tantum temporis dederit, plurima etenim continet in tribus Tomis. In primo octo sunt libri de hæresi Pelagiana. In secundo quatuor sunt partes. In prima de ratione, & auctoritate in rebus Theologicis pertractatur. In secunda de gratia primi hominis & Angelorum. In tertia per quatuor libros de statu naturæ lapsæ; In quarta per libros tres de statu naturæ puræ. In tertio Tomo duæ sunt partes. Primam absolvunt decem libri de gratia Christi; secundam unicus liber, qui inscribitur, Parallelum erroris Massiliensium & opinionis quorumdam recentiorum.

4. Plura equidem sunt in hisce libris, præter ea, de quibus dicemus, quæ non sine moderati animi nausea percipi possunt. Ita de omnium Theologorum Schola ipse opinatur, ut ista dixerit lib. proem. cap. 28. *Neque spem, neque cupiditatem, neque naturam, neque gratiam, eamque neque Angelorum, neque hominum, neque stantium, neque lapsorum, neque sufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque præmium, neque supplicium, neque liberum, neque servum arbitrium, denique neque vetus, neque novum testamentum intelligere videantur*. Soli igitur Jansenio intelligentiæ munus, & veritatis agnoscendæ privilegium reservata erant. Si hæc tibi parva videntur, audi quid dicat ep. 16. admirans enim doctrinam Sancti Augusti. non tantum sui, sed etiam præteritorum temporum Theologis ignotam fuisse, inquit. *Ingenue dicam quod sen-*

sentio, existimo post Hæreticos à nemine magis quàm à disputatoribus illis Scholasticis adulteratam & corruptam esse Theologiam. Sed quod tolerari non potest; ibidem dicit: *Cum Augustinum degusto, fastidit Thomas*, & loquens de Thomistarum & Patrum Societatis sententia circa physicam præmotionem & scientiam mediam hæc habet. *Audeo dicere, mihi compertum esse, quod etsi utraque tùm Jesuitarum, tùm Thomistarum Schola usque ad extremum judicii diem disputatura sit, tantum à veritate sit aberratura, in quantum utraque ab ipsa centum leucis distat*.

5. Fromondi itaque & Caleni Lovaniensium Doctorum cura Jansenii liber prodiit, sed vix lucem aspexit, cum facto Romæ examine à Summo Pontifice Urbano VIII. ann. 1641. per Constitutionem, quæ incipit: *In Eminenti* prohibitus damnatusque fuit. Jansenio mortuo contigit, quod Jansenius vivus jam dubitaverat; etenim epist. 19. *Non audeo*, inquit, dicere, *quid sentio de prædestinatione & gratia, ne forte antequam omnia parata & matura sint, mihi quod alijs, accidat. Romæ damnetur, sicut damnatus fuit Bajus*. Et ep. 63. protestatur, *daturum se operam, ne se vivente liber suus in lucem prodeat, quo vitæ suæ tranquillitas possèt turbari*. Mitissima tamen fuit Urbani sententia, quippe qui duabus tantum ex causis librum damnaverit; Prima erat, quia contra decretum Pauli V. ann. 1611. & suum ann. 1625. de non scribendo circa materiam de auxiliis editus fuerat. Secunda erat, quia in ipso continerentur plures propositiones Baii, quas jam Pius V. & Gregorius XIII. damnaverant.

6. Damnato libro magnus Jansenianorum questus ac dolor. Missis Romam à Lovaniensibus duobus, Synnichio & Papio, qui libri Jansenii causam agerent, factum est, ut Summus Pontifex audiendis ac maturè discutiendis ipsorum querelis tres Cardinales, videlicet Bernardinum Spadam, Joannem Baptistam Pamphilium, qui fuit Innocentius X. & Lelium Falconerium præfecerit; Iterum innovata sed non mutata Bulla, quam prius subreptitiam existimaverant, de qua Alex. VIII. an. 1690. hanc propositionem proscripsit. *Bulla Urbani VIII. est subreptitia*; Urbanus tamen à Ministris Catholici Regis, ut sua contra hujusce librum Constitutio in Belgio solemniter promulgaretur, unquam obtinere non potuit.

7. Defuncto Urbano ad Petri Sedem evectus Innoc. X. statim ad Gubernatorem Belgii Marchionem Castri Rodrici breve misit, in quo ait: *In isto ab hac Sancta Sede vetito Jansenii libro expressam novimus ac reassumptam doctrinam Michaelis Baii, cujus improbatis opinionibus vehementer commotus Philippi II. claræ memoriæ Regis animus ea æstuavit sollicitudine ac zelo, ut præcipuis illc monitis suo in Urbe oratori acriter præscripserit, impensè ageret cum Pontificibus prædictis Pio ac Gregorio, ut eas abolitas omnino vellet ac damnatas*. Datæ insuper ad omnes Belgii Episcopos epistolæ; sed non nisi anno 1648. Catholici Regis jussu ac studio Leopoldi Archiducis Constitutio Urbani promulgata ac recepta fuit, ea quidem lege, ut nemo Civile aut Ecclesiasticum munus obtinere posset, nisi prius juramento firmaret, *se obsequentem esse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac SSmo D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, & acceptare debita obedientia Constitutionem Urbani, in qua damnatur & prohibetur liber Jansenii*.

8. His Romæ & in Belgio ita peractis, etiam à Sorbonica Academia Jansenii doctrina rejecta ac damnata fuit, omnibusque severè injunctum, ne aliqua è damnatis à Pio V. & Greg. XIII. propositionibus propugnaretur. Subinde plures propositiones Jansenii ad examen & censuram revocatæ. Septem istæ fuerunt, quamvis duæ postremæ postea prætermissæ. Prima hæc erat. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & co-*

& tonantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant. Secunda. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. Tertia. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*. Quarta. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem; & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*. Quinta. *Semipelagianorum error est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Sexta. *Sensit olim Ecclesia, privatam Sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere*. Septima. *Naturalis attritio sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ*. De quinque prioribus propositionibus magna lis, & controversia gravis excitata est.

9. Hac de re octoginta quinque Episcopi Gallicani illas quinque Jansenii propositiones ad Innoc. X. detulerunt; anno itaque 1650. ad Pontificem Maximum supplices litteræ delatæ sunt. Initium est. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat &c.* Vides, quanta eo tempore Gallicana Ecclesia Summo Pontifici obsequens fuerit. Undecim tamen ex altera parte Episcopi datis ad eundem Pontificem epistolis de hac delatione conquesti sunt; Sed nihil per istas actum est, nec commoveri Pontifex potuit, ne 12. Aprilis ann. 1651. Congregatio institueretur, in qua juxta octoginta quinque Episcoporum petitionem propositiones in examen vocarentur, suisque juxta meritum censuris afficerentur. Delecti fuerunt Cardinales Julius Roma Sacri Collegii Decanus, Bernardinus Spada, Martinus Ginettus, Dominicus Sechinus, paulo post Roma è vivis sublato, Fabius Chigius, qui fuit Alexander VII. atque isti additus est Cardinalis Pamphilius; omnes experientia, scientia, mentisque sagacitate nemini inferiores. Secretarius Congregationis fuit Albizius Sancti Officii Assessor, tredecim ex Religiosis Ordinibus Doctiores Theologi designati. Duo S. Dominici, duo Sancti Francisci, duo S. Augustini, duo Carmelitæ Discalceati, unus Capuccinus, unus Seruvita, duo Theatini, unus ex Societate Jesu. Ex his non deerant qui Jansenii libro faverent, quorum nomina præterire placet.

10. Pro tuendis quinque delatis Jansenii propositionibus nonnulli tanquam ab aliquibus Gallicanis Episcopis deputati Romam adventarunt, idest Domini Brousse, Delalane, & Angran, deinde Pater Desmares, & Dominus Manessier; è contrario ad promovendam propositionum censuram accesserunt DD. Hallier, Lagant, & Joysel. Plura, quæ facta sunt, renuit animus ferre, ne aliquos ex præcipuis Religiosorum ordinum viros Jansenii partes adjuvasse demonstrare contingat. Factæ & repetitæ sunt Congregationes plures etiam præsente Pontifice; Omnium rationes multoties auditæ, ac tandem post longam maturamque duorum annorum discussionem, indictis ad Divinum implorandum auxilium privatis publicisque precibus prolata Pontificio ore sententia est, tali pacto, ut prima propositio declaretur *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica*. Secunda, *ut hæretica*. Tertia, *ut hæretica*. Quarta, *falsa & hæretica*. Quinta; *falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta in eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ Pietati derogans & hæretica*.

11. Missa hujusmodi Constitutio ab Innoc. X. ad omnes Catholicos Reges, præsertim vero cum Epistola sua ad Regem Galliarum, quæ debita reverentia excepta, in toto Regno promulgata fuit; excepta etiam maximo gaudio & plausu ab Epis-

Episcopis, qui datis ad Pontificem Epist. die 15. Julii ipsi gratias retulerunt, gratulantes summopere, quod auctoritate sua grassantem pestem ejecisset.

12. Omnia nunc esse composita quis dubitaret? At non ita fuit. Jansenii defensores attonitum prius animum collegerunt, atque ut aliquod effugium pararent, duo dixerunt; Unum, propositiones illas Jansenii non esse; Alterum, in sensu Jansenii non esse damnatas. Hac de re Gallicani Præsules, ut nova hæc Jansenianorum machinamenta everterent, de remedio deliberaturi convenerunt. Quatuor Archiepiscopis, & totidem Episcopis librum Jansenii ad examen sedulo revocandi, & cum damnatis propositionibus conferendi demandata Provincia fuit. Decem Congregationes coactæ sunt, & demum communi suffragio statutum, damnatas ab Innocentio propositiones revera in libro Jansenii reperiri, easque damnatas in eo sensu in quo à Jansenio asseruntur, & explicantur, quod à Gallicano Clero in comitiis generalibus annis sequentibus habitis ratum confirmatumque fuit.

13. E'vivis translato Innocentio die 7. Januar. an. 1655. successor fuit Cardinalis Chigius, appellatus Alexander Septimus, qui à Gallicanis Episcopis admonitus, quas novas fraudes astutiasque Jansenii fautores molirentur, iterum Innocentii Constitutionem confirmavit, novamque Constitutionem die 26. Octobris ann. 1656. edidit contra non nullos *iniquitatis filios* (sunt ejusdem verba) *qui prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictas & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformidabant*. Pergit Pontifex. *Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intentas damnatas fuisse declaramus & definimus, atque ut tales insuper scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterum damnamus*. Atque ut deinceps nullus fraudibus & inanibus evasionibus locus pateret, anno 1665. die 15. Februarii idem Alex. VII. votis Regis Christianissimi & Episcoporum Galliæ annuens hanc novam edidit Constitutionem.

CONSTITUTIO.

Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem, ab Innoc. X. fel. rec. record. Prædecessore nostro fere oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem edita extinguere conati sumus. Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plane consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent .... Nullum aliud remedium oportunius pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi potest, quàm si omnes certam formulam subscribant nostra auctoritate firmatam.

Formula subscriptionis.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maii ann. 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris ann. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen AUGUSTINUS. Excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

14. Mirum est, quanta exarserint ira Janseniani, quam tamen tegere verbisque fucare studuerunt; Quid actum sit, quasve explicationes adinvenerint referre prætereo. Quia tamen noverant Cle-

Clementem IX. qui Alexandro successerat, velle quod definitum fuerat prorsus servari, se absque ulla restrictione illi formulæ subscripturos esse professi sunt. Quid vero in hac re Clemens IX. senserit infra patebit ex Clementis XI. Constitutione. Verum ea est hominum infirmitas ac versutia, ut ori cor non correspondeat, & à dictis facta omnino recedant. Hinc factum est, ut aliqui in Duacensi Academia professores Jansenii doctrinam iterum excitarent; inter istos fuerunt duo, quorum primus Gilbert, qui jussus fuit se retractare; Alius ementito nomine dictus Arnaldus, in cujus thesibus illæ etiam inventæ sunt. *Libertas indifferentiæ in statu naturæ corruptæ figmentum est purè humanum ex reliquiis Philosophiæ Pelagianę natum. II. Sine gratia efficaci non tantum nihil boni non facimus, sed nec facere possumus, qui secus sentit; Semipelagianus est. III. Gratia sufficiens sensu Molinistico error est & hæresis: sensu Thomistico, fatuitas, ineptiæ. IV. Episcopus Iprensis factione Moliniana damnatus est; Non aliam ille circa gratiam, quam purè Augustinianam Doctrinam propugnavit. Nec ullus Pontifex usquam suæ fallibilitatis dedit argumentum, quàm cum damnatæ sunt quinque propositiones in sensu à Jansenio intento. V. Alexander VII. sua constitutione altum gratiæ Evangelicæ vulnus inflixit, cujus nondum obducta cicatrix.*

15. Sed quo magis aliquorum Gallorum ingenia & depravatæ mentes Jansenio adhærere etsi occultè conarentur, eo magis sollicita cura summus Urbis & Orbis Pastor Jansenii errores evellere satagebat. Hinc Alexander VIII. ann. 1690. die 20. Decembris triginta & unam propositiones ex Janseniorum libris depromptas tanquam temerarias, scandalosas, injuriosas, male sonantes, hæresi proximas, erroneas, hæreticas esse, respectivè declaravit. Subortis deinde in Belgio novis circa subscriptionis formulam contentionibus Innocen. XII. aliorum Pontificum Constitutiones duobus Brevibus confirmavit. Secundum tantummodo adducemus, datum anno 1696. die 24. Novembris in quo sunt hæc verba.

BREVE SECUNDUM
INNOCENTII XII.

16. *Non sine admiratione intelleximus, nonnullos istis in Diæcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi sint affirmare, supradicto nostro brevi alteratam seù reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris anni 1656. editam, nec non formularium ab ipsomet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur, vel dematur à prædicto formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus & singulis ejus partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari. Quod si prætensi Jansenistæ interne & absque eo quod deveniant ad aliquem actum externum, dum jurant formularium &c.*

17. Ex illa voce *prætensi* existimarunt, se nulli Pontificiæ censuræ obnoxios esse, dum enim sic appellantur revera Janseniani non sunt, sed tantum ficti; ideo dixerunt in prima propositione damnata à Clero Gallicano in generalibus comitiis congregata ann. 1700. *Phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantasia* cui addiderunt alias tres propositiones injuriosas Pontificibus, qui Jansenium condemnarunt, quæ tamen omnes ab ipso Gallicano Clero damnatæ fuerunt.

18. Tot è Vaticano jaculatis fulminibus quis attritus non caderet? Janseniani non ciciderunt, aut cadentes non dixerunt cum Saulo: *Domine quid me vis facere.* Sed anno 1702. prodiit libellus quidam, inscriptus: *Famosus conscien-*

scientiæ casus. In hoc describitur Clericus quidam, qui Sacramentalem absolutionem non obtinuit, quia confessus fuerat, se re ipsa quinque propositiones absolutè damnare, ac formulæ fidei ab Alexandro VII. præscriptæ subscripsisse, sed quantum ad questionem facti, seù attributionem illarum quinque propositionum libro Jansenii, existimare se Religiosum sufficere silentium. Huic sententiæ quadraginta Doctores Theologi Parisienses, nescio an sponte an dolo, subscripserunt. Res pro Jansenianis prospere acta esset, immo actam esse ipsi cogitaverant; Sed Clemens XI. Pontifex Maximus eo, quo Spiritus Sancti præditus erat lumine, Decreto dato 13. Februarii 1703. hujusmodi casus decisionem penitus reprobavit. Breve missum fuit ad Lodovicum XIV. Galliarum Regem; Incipit. *Audivimus nuper &c.* ac tandem ab eodem Pontifice edita fuit Bulla 15. Junii ann. 1705. quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*; in qua renovantur, & confirmantur omnes præcedentium Pontificum Constitutiones, omnes exceptiones & explicationes Jansenianorum rejiciuntur, & illa decisio præmemorati casus conscientiæ reprobatur. Sed utinam res finita esset; radix hæc pessima adhuc germinat spinas, adhuc Apostolica pungitur auctoritas. Sub pacis larva maximum bellum; Plura dicerem; sed hæc de Janseniana Historia scripsisse sufficiat; In hac re consulentem exopto, legentem nolo.

19. Sed quo tandem tota hæc Jansenii Doctrina, pro qua totannis ipse laboravit, & qua tot labores ab aliis extorsit, totæque Romanæ Ecclesiæ fastidia protulit? Omnia quidem ad unum caput revocantur, & tanquam semitæ plures ad unum terminum perducunt, idest ad unam gratiam ex se efficacem; rejecta quacumque alia. Hoc jam falsum esse nos demonstravimus, sed ejusdem mentem hic tantummodo aperire debuimus, non confutare. Satis enim contra ipsum factum est.

20. Voluit autem Jansenius hanc gratiam ex se efficacem consistere in victrici delectatione, seù in delectatione relative superiore, ita se explicat lib. 8. de gratia Christi cap. 2. & alibi. Ut autem hoc totum intelligatur. Duplex in primis in ejus sensu est distinguenda delectatio; Una, quam appellavit cœlestem, & illa est, qua voluntas hominis ad bonum inclinatur, alia, quam vocat terrenam, & illa est, qua ad delectabile, malumque pertrahitur. Utraque victrix ac proinde superior dici potest, quamvis tamen idem non sit esse superiorem ac victricem, in eo sensu quo victrix in illius systemate nuncupatur, ut infra dicam. Est igitur, inquit ipse, voluntas hominis propter peccatum multum infirma, ideo non nisi à quadam dominante delectatione inflecti ac determinari potest ad bonum vel ad malum; inde est, quod hujusmodi delectatione necessario ad agendum applicatur, juxta illud Sancti Austustini; *Secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat*, Et ideo impossibile est delectationem majorem vinci à minore; quod quidem explicatur exemplo bilancis, in qua si duo sint inæqualia pondera necesse est ea pars inclinetur ac deprimatur, in qua majus est pondus, nec unquam fieri potest oppositum.

21. Si vero quæras ab ipso, quænam sit hujus delectationis natura, statim respondet lib. 4. de grat. Christi cap. 11. esse quemdam vitalem animi motum indeliberatum, quo voluntas in aliquod objectum tanquam sibi conveniens ac jucundum fertur, & hoc sive loquamur de cœlesti, sive de terrena delectatione per respectum ab bonum honestum, vel delectabile. Ex hisce porro motibus indeliberatis alii deliberati progrediuntur, quales sunt actus amoris, desiderii, spei & hujusmodi.

22. Hic jam perspicis hujusce delectationis necessitatem non ex natura ipsius voluntatis, sed tantum ex ejusdem infirmitate proficisci, ut ipse probat lib. 4.

lib.4. de gratia Christi c.9.& 10. Perspicis ulterius delectationem unicam esse causam propter quam voluntas hoc vel illo modo operatur, ita ut si non esset delectationis pondus nullo pacto ad operandum traheretur.

23. At per Jansenium hæc delectatio utcumque non est; si enim diceret, Deum voluntatem in bonum trahere suadendo & alliciendo relinquendo tamen facultatem ad oppositum, à sententia nostra non recederet; Sed ab ipso ita delectatio hæc victrix & superior explicatur, ut in conflictu duarum delectationum una gradibus alteri præponderet, ac ideo necesse sit, minor à majore vincatur; Hinc harum delectationum natura & virtus non est absoluta, sed relativa, ut ostendit lib.8. de gratia Christi cap.2. & juxta hoc duplicem etiam in homine distinguit potentiam, quæ per gratiam confertur. Unam dicit absolutam, quæ consistit in ipsa natura gratiæ secundum se spectata, & in voluntate Dei antecedente, qua voluntas in bonum ordinatur præcisa quacumque subjecti circumstantia; Aliam vocat relativam, comparata scilicet voluntate ad majorem vel minorem cupiditatis delectationem.

24. Ex his breviter Jansenianum systema tibi subjeci, non enim per singula ejus dicta, aut illorum, qui ejusdem defensores se profitentur, nobis licitum est evagari. Plura contra authorem suum afferre non prohiberemur, sed ex dictis in propriis locis satis superque constat quam falsum sit. Hic pauca subdam, rejiciendo illam majorem delectationem per gradus, illamque potestatem relativam.

25. Primo. Quicumque sit non inferiores aut inæquales, sed semper pares habet vires, quibus vel mediatè vel immediatè, vel remotè vel proximè oppositam vincere concupiscentiam possit. An non ait Apost. 1. ad Corint. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis?* An non definit Concilium Trident sess.6. cap.11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere, quod possis, petere quod non possis?* Sed oportet, Augustinum audiamus. Dicit autem lib. 1. de peccat. meritis & remiss. cap.39. loquens de baptizato infante. *Si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti, pervenire potuerit, ibi habet cum qua*, idest concupiscentia, *pugnet eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* In cap.5. epist. ad Galat. ait: *In hac vita etiamsi existant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consensionem peccati non subjugant.* Infinitus essem si omnia vellem in medium producere.

26. Peto tandem à Jansenio; Cur Angeli & primus homo in gratia non perseverarunt? Gratiam collatam Angelis & homini in eo statu in delectatione sitam esse ipse concedit immo ita docet, ex alia parte nulla in ipsis erat delectatio terrena & concupiscentiæ, ergo prior delectatio debuisset semper vincere, ergo debuissent semper in gratia perseverare. Sed hæc satis.



QUÆSTIO V.

De Gratia Habituali.



QUæstionem explicandam aggrediмur, quæ in aliquibus ad fidei dogmata spectat, in aliquibus ad Philosophicas & mere speculativas difficultates non solùm ut factum postulat, sed etiam ut possibile sibi vindicat, revocatur. Porro de hisce postremis diuturnum sermonem contexere, cum nihil emergat utilitatis, animus reluctatur, eo vel maxime, quod à Recentioribus Theologis, tanquam inanium quæstionum authores antiqui Theologi in hoc reprehendantur; nec inficior, immo, ut verum fatear, idem sentire non erubesco. Nihilo tamen minus ita me geram, ut quod veteres dixerint, non abscondam, quod vero ad punctum Theologicum pertinet, plenarie, quantum potero, declarabo.

ARTICULUS I.

Plura, quæ de habituali gratia fuerunt à Theologis pertractata.

1. SUB ipso quæstionis initio, quod promiseram, servo. Primo fit magna quæstio inter Doctores Thomistas, & Scotistas, quo pacto gratia habitualis sit Divinæ naturæ participatio; Per hanc enim homines Divinæ fieri naturæ participes, ita certum est, sicut procerto tenendum quod à Divina Scriptura nobis demandatum esse profitemur; Legatur autem epis. 1. Petri cap. 2. & invenietur de nobis dictum; *Ut Divinæ efficiamur consortes naturæ*. Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Rursus; *ex Deo nati sunt*. 1. Joan. 3. *Ut filii Dei nominemur & simus*.

2. Contra quod non est, filiationem istam esse per adoptionem, quæ in humanis non habetur per novam participationem naturæ; etenim, in primis apud nos filii adoptivi non dicuntur ex Patre adoptante nati, sicut justi nati dicuntur ex Deo; deinde, ut quis apud homines adoptivus fiat, jam supponitur homo, non sic ut homo apud Deum adoptetur, supponitur justus, sed per ipsam gratiam adoptivus fit juxta illud psal. 8. *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes*.

3. De modo itaque tota difficultas instituitur. Volunt Thomistæ esse participationem physicam Divinæ naturæ, quamtumvis non Divinæ essentiæ. Volunt vero Scotistæ, esse solummodo participationem moralem. Si autem à Thomistis petas, quare per gratiam participetur Divina natura, non essentia, respondent, hoc esse inter utramque discrimen, quod essentia Divina intelligitur per ordinem ad se, seù esse, tanquam primum constitutivum per quod aliqua res est in se ipsa; natura vero intelligitur per ordinem ad operari, tanquam primum & radicale principium, per quod aliqua res operatur. (Veniam da benigne Lector, si hisce terminis utar, si secus facerem aliorum mentem non explicarem.) Iste loquendi modus apud nostrorum temporum Theologos adeo remotus est, & exosus, ut petant, quid intelligatur per hoc esse radicale & primum; & si respondeas, distinguendas esse potentias rei à natura rei, itaut illæ sint proxima agendi ratio, hæc vero remota; inquiunt, ignotum per ignotius explicari, nec video, cur in hoc reprehendi, aut qnomodo convinci possint; & sane, si de re loquamur, ut loqui debemus, hæc distinctio remoti & proximi admitti non debet, cum natura à potentiis suis non distin-

gua-

guatur, quidquid dicant Thomistæ, & ad summum ad Philosophicam quæstionem, quæ prorsus inanis est, nec alio titulo pertractatur nisi Scholasticorum veterum gratia, tota lis revocatur. Si vero à Scotistis inquiras, quare per gratiam participetur moraliter Divina natura, statim respondent, quia per gratiam habent justi rectitudinem in suis operationibus, quatenus sunt juxta regulas morum, honestatis, & legis, itaut sicut peccatum est in legis difformitate, ita gratia consistat in conformitate.

4. Patrum Thomistarum rationes in eo præcipue sunt, quod ex una parte participatio physica naturæ Divinæ non repugnat in linea supernaturali, sicut non repugnat, immo datur in linea naturali, ex alia parte hujusmodi participatio nulli rei magis convenire potest, quàm gratiæ habituali, quæ unicè à Scripturis & Patribus dicitur Divinæ naturæ participatio, ergo. Præterea. Natura Divina physicè accepta est principium primum, & radicale Divinarum operationum, idest cognitionis & dilectionis ipsius Dei, sed gratia habitualis est hujusmodi in homine, cum ab ipsa profluant cognitio & dilectio Dei super omnia, sicut à semine profluit messis, proinde gratia dicitur semen gloriæ, ergo.

5. Scotistæ è contra afferentes disparem valde rationem inter participationem in linea naturali, & participationem in linea supernaturali; alioquin sequeretur, quod sicut in illa esse potest, & est participatio substantialis, ita esse posset, ac esset in linea supernaturali, assertum suum probant, ex quo gratia habitualis in nobis non sit, nisi ad sanctos mores & legis Divinæ conformitatem, quæ, cum ad lineam moralem pertineat, non nisi moralem sibi vindicat participationem; & ita explicatur amicitia quæ est inter Deum & creaturam, & jus ad hæreditatem, quod per gratiam habitualem acquiritur; & si secus diceretur, non esset potior ratio, cur gratia esset participatio Divinæ naturæ, & non esset aliorum attributorum, ut immutabilitatis, immensitatis, æternitatis. Neque placet quorumdam responsio dicentium, hæc attributa esse tribuenda essentiæ, non naturæ, nam negari non potest naturam Divinam cui tantum tribuere volunt esse radicem operationum, esse radicem intellectionis immutabilis, æternæ &c. nec tamen gratia est radix in homine hujusmodi intellectionis, nisi in linea morali; & si instes, esse participationem dumtaxat inadæquatam, jam te perspicio, in hujusmodi participatione admittere præcisiones objectivas. Ulterius tamen in hac re non progredior, cum rem inanem existimem.

6. Progrediuntur tamen Doctores, inquirentes, an sit participatio physica formalis, vel virtualis. Illam virtualem appellant, quæ habetur ab alio tanquam à causa efficiente, & ita semen est virtualis participatio generantis, & species impressa objecti, vel habetur ab alio continente eminenter & non formaliter rem participatam, sicut est v. g. calor in sole. Illam formalem dicunt, quæ ab alio adinstar formæ communicatur, ita ut formaliter reperiatur id, quod participatur, in utroque extremo, & in eo, à quo est, & in eo, in quo est participatio. Pro formali participatione contendere videntur, Suarez, Ripalda, Ferre, Gonetus, aliique. Utramque opinionem conciliant Salmantic. Puteobonel. vero litem hanc de pura voce contendit. Scotistæ vero juxta principia sua formalem omnino excludunt. Vide quæso, quibus in rebus humani ingenii virtus exhauriatur, aut saltem occupetur.

7. Sed iterum alia difficultas inter Thomistas & Scotistas consurgit; an scilicet per gratiam constituantur homines amici Dei, filii & hæredes æternæ gloriæ tanquam per virtutem ipsi gratiæ intimam & essentialem, ut primi contendunt, an vero solum per extimam Dei ordinationem, ut contendunt secundi;

convenire enim hæc omnia hominibus gratiam habitualem habentibus, nemo poteſt inficias ire, niſi Sacrarum Scripturarum veritas infringatur. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei*; ad Roman.8. *Ut adoptionem filiorum reciperemus*; ad Galat.4. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum*. Ad Epheſ.1. atque hoc ſæpe aliis in locis invenitur, in quibus non dicimur ſervi, ſed amici, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti; quodve diſertè definivit Concil. Trident. ſeſs.6. cap.4. ubi dicit; juſtificationem hominis *eſſe translationem ab eo ſtatu, in quo naſcitur Filius primi Adæ in ſtatum gratię adoptionis filiorum Dei*. Et cap.7. docet, *fieri per ſuſceptionem gratię & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, ex inimico amicus & hęres*. Quæ omnia elegenter tradiderunt S. Patres præſertim Cyprianus & Chryſologus citati à Gonet. diſp.2. num.106.

Pro Thomiſtar. ſententia ſtant Suarez, Medina, Ovied. Exparza, noſtrique omnes. Pro Scotiſtis vero Ocham. Gabriel., Marſil. Henricx., Coninch. Amicus. Iſtos conſulat qui velit, parum noſtra intereſt quidquid dicatur.

8. Tertio inquirunt, utrum gratia creetur, vel educatur. Jam quid ſit creatio, quid eductio, conſtat ex phyloſophicis, ſi tamen peripateticam doctrinam quis acceperit, quia qui modernorum ſyſtema ſequitur hanc eductionem & ignorat & negat, aut ſaltem irridet. Stant pro gratiæ eductione Thomiſtæ, Maſtrius, Suarez, Noſtri; Stant pro oppoſita parte plures Scotiſtæ cum Alenſi. Ratio pro primis colligitur ex intrinſeco eductionis requiſito, videlicet gratiam dependere, ut fiat & conſervetur, à ſubjecto, ergo. Prima pars antec. oſtenditur, quia de facto alia accidentia, quamvis ſint ſpiritualia & ſupernaturalia, ſicut ſunt omnes ſupernaturales actus, dependent, ut fiant, utpote vitales actus à principio à quo ſunt, & in quo debent recipi, quæ ratio valere debet etiam de habitibus, quamvis non pertineant ad vitalitatem, ſecus eductio repugnaret in omni forma non vivente, quod eſt falſum, ergo. Secunda pars antec. declaratur, quia cum gratia, velut accidens, exigat inhærere, dependet ſecundum ſe à ſubjecto ut conſervetur, hoc enim modo diſtinguuntur ea, quæ per ſe ſubſiſtunt, ut eſt anima rationalis, & ea, quæ per ſe inhærent, ergo.

9. Confirmant, quia quando deſinit gratia non tranſit in nihilum omnino, intelligitur enim deſinere per ſolam ſeparationem à ſubjecto, quod tamen remanet, ut experientia compertum eſt, immo remanet cum capacitate ad iterum gratiam habendam, ut pariter experientia & fide ratum tenemus, ergo etiam non fit ex nihilo omnino, non igitur creatur. Prima conſequentia tenet, quia quod incipit per creationem deſinit per annichilationem per ſe loquendo, ut commune profert eloquium. His ſuffragatur quod docet S. Th. 1. p. qu.104. art.4. ideſt in operibus gratiæ de facto annichilationem non inveniri; Non poteſt ex alia parte affirmari, gratiam fieri per actionem, quæ concreatio appellatur; Siquidem iſta intelligitur per hoc, quid fiat aliquid per eamdem actionem per quam fit ſubjectum, at res hæc nequaquam contingit, cum certum ſit gratiam habitualem non fieri per eamdem actionem per quam fit anima, ergo.

10. Ratio pro ſecundis eſt, quia gratia habitualis à ſolo Deo eſt ſaltem loquendo ordinarie & principaliter, Deus autem non indiget concurſu alterius cauſæ efficientis, neque materialis, nihil ergo prohibet, eam eſſe per creationem, & ſi nihil prohibet, quare id non aſſeramus? Præterea; nobilior eſt gratia, quàm ſit ipſa anima rationalis, ſi ergo hæc eſt per creationem, etiam illa, potiori ratione. Tandem in Chriſto & Beatiſſima Virgine pro eodem inſtanti quo fuit anima, fuit etiam gratia, ergo concreata fuit, non eſt igitur de intrin-

ſeca

ſeca natura gratiæ fieri per eductionem. Has rationes & ſuperius adductas perpendat qui velit, poſſet quibuſcumque non inconveniens aptari reſponſio.

11. Quarto inquiritur, an gratia diſtinguatur re à charitate. Realem diſtinctionem inſinuant omnes Thomiſtæ cum ſuo Doct. hic qu. 110. art. 3., & alibi, quibus adduntur S. Bonavent in 2. diſ. 27. art. 1. qu. 2. Egidius, Suarez, Valentia, Noſtrique. Eamdem negant Scot. in 2. diſ. 27. §. *Ideo alia eſt*, Durand. Baccon. Bellar. Exparza. Aliqui vero problematicè ſentiunt; ut Sylvius, Vaſquez, Madernus. Porro multifariam ſumitur charitas; aliquando ſumitur pro Deo ipſo, in quo ſenſu dicitur. *Deus charitas eſt* vel pro actu, quo Deus nos diligit, & pariter eſt ipſe Deus, cum quilibet actus Dei Deus ſit; hoc ergo pacto certum eſt, charitatem eſſe re diſtinctam à gratia. Aliquando ſumitur pro dono creato, quod à Deo producitur in anima per actum ſuæ charitatis, & hoc modo nullam admittendam eſſe diſtinctionem, compertum eſt, cum certum ſit, gratiam eſſe hujuſmodi donum à Divina nobis charitate collatum. Aliquando ſumitur vel pro actu, quo nos diligimus Deum, vel pro habitu, & ſub hac ratione ita evincitur diſtinctio, ſicut actum à quocumque habitu diſtingui non dubitamus. Aliquando tandem ſumitur pro habitu virtutis Theologicæ, & de hac tantummodo inter Doctores citatos eſt controverſia.

12. Probant Thomiſtæ ſententiam ſuam primo ex Scripturarum teſtimoniis, deinde rationum momentis. Ad Epheſ. 6. *Charitas cum fide à Deo Patre, gratia cum omnibus qui diligunt*. Ad Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ubi indicatur donum Spiritus Sancti, quod per gratiam habetur, prius eſſe charitate, unde hæc ſe habet ut fructus, gratia vero ut radix juxta illud ad Galat. 5. *Fructus autem Spiritus* (ideſt collationis Spiritus Sancti factæ per gratiam) *eſt charitas, gaudium &c.* Scripturis adduntur etiam Concilia. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. dicit, juſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ & donorum, quod eſſet ſuperfluè additum, ſi dona, & per conſequens charitas, à gratia diſtincta non eſſent; Idem definivit Muguntin. cap. 7. de juſtificatione.

13. Videtur colligi ex ratione; Primo quia, ut docet S. Thom. pluribus in locis, natura ex genere ſuo diſtingui debet re à qualibet virtute, atqui gratia ſe habet adinſtar naturæ, charitas adinſtar virtutis, ergo. Mi. patet, quia gratia debet eſſe vel phyſicè vel ſaltem moraliter participatio Divinæ naturæ, proinde naturæ munus & proprietates ſibi vindicat; Prob. maj. natura ex genere ſuo datur ad eſſe, virtus vero ad operari, ita ut illa ſit principium operandi ſolum remotum, & radicale, hæc vero proximum & formale, & illa intelligi debeat huic præexiſtens, unde virtus à Philoſopho dicitur, *diſpoſitio perfecti ad optimum, dico autem perfectum, quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam*, ergo prius eſt, unumquodque in ſui natura eſſe conſtitutum, quam habere virtutem, ſeù diſpoſitionem. Secundo, quia inter fidem & gratiam datur realis diſtinctio, ergo etiam inter gratiam & charitatem, ant. patet, quia in peccatore remanet fides, nec tamen remanet gratia; Prob. conſequentia. Sicut fides eſt virtus per ſe infuſa ſe habens ut potentia, ita & charitas, ergo eodem modo de utraque loqui debemus, ſicut loquimur de potentiis animæ quantum ad diſtinctionem vel identitatem. Tertio quia, ſi gratia eſſet diſtincta à fide, & non à charitate, dari poſſet natura diſtincta ab intellectu, & non à voluntate, cum fides ad intellectum pertineat, & charitas ad voluntatem, ſed hæc natura repugnat, ergo. Prob. mi. repugnat natura, quæ volitiva ſit, & non ſit intellectiva, & ſi aliter poſſet, ſaltem prius eſſet volitiva quàm intellectiva, ergo. Præterea. Prius eſt

par-

participari Divinum intellectum quam Divinam voluntatem, ergo si gratia distinguitur à fide per quam homo particeps fit Divini intellectus, à fortiori distinguetur à charitate, per quam particeps est Divinæ voluntatis; Ultra quod sequeretur, quod cum fides oriatur à gratia tanquam à radice, oriretur etiam à charitate, & ita fieret, participationem Divini intellectus progredi à participatione Divinæ voluntatis, quod est invertere ordinem prioris & posterioris.

14. Probant Scotistæ sententiam suum primo pariter ex Scripturis, in quibus quidquid de gratia dicitur vel ipsi tribui potest, dicitur etiam de charitate istique tribuitur. Prima Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti & immaculati in charitate*. Rursus 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet &c.* Quare plerumque fit mentio charitatis & non gratiæ, plerumque gratiæ & non charitatis, ad innuendum in charitate contineri gratiam, in gratia contineri charitatem. Immo videtur Apostolus altius de charitate sentire, quàm de gratia, cum toties dixerit, hominem sine charitate esse veluti æs sonans aut cymbalum tinniens, & nihil ipsi sine charitate prodesse.

15. Probant secundo rationibus; & & sicuti Thomistæ adduxerunt primam juxta propria principia statuentia distinctionem inter substantiam & virtutem operativam, inter animam & facultates animæ, ita Scotistæ argumentantur juxta principia propria statuentia identitatem, quare, quomodo efformandum sit argumentum, parum etiam intelligenti manifestum erit. Secundo ex inseparabilitate, quæ reperitur inter gratiam & charitatem rectè potest inferri realis identitas, quamvis enim non semper inseparabilitas identitatem significet, quando vel invenitur oppositio relativa, aut disparata, vel quando effectus sunt omnino diversi, nihilominus contrarium dici debet, si contrarium contingat, sed hoc est in nostro casu, ut considerari potest, ergo; per quam rationem refellunt quod supra à Thomistis dicebatur, & quod postremo additum fuit, quanti ponderis sit argumentum, haud difficulter videri potest. Remaneat ergo utraque sententia in sua probabilitate, cum quidquid dicatur, tutissimè dicatur.

ARTICULUS II.

Utrum gratia habitualis sit quædam qualitas inhærens physicè animæ.

16. FUIT Magistri Sententiarum opinio in 1. dist. 17. litt. B.C.D.E. gratiam habitualem & charitatem esse ipsum Spiritum Sanctum, ita ut Deo grati simus, Deumque diligamus ex charitate, quæ est ipse Spiritus Sanctus in sui substantia nobis communicatus, & peculiari quodam modo unitus, quod ab omnibus Theologis postea rejectum fuit, & ab unico Scoto in eamdem distinct. fuit ejus mens benigne explicata. Lutherus vero Calvinus, Melanct. Bucerus unanimi ore calamoque docuerunt, gratiam habitualem seù formam justificantem nullo modo esse qualitatem in anima nostra receptam, sed consistere dumtaxat vel in extrinseca peccatorum condonatione, vel injustitia Christi nobis imputata, vel in quodam extrinseco favore. Contra istos res magis pertractanda est, ubi de justificatione disputatio instituetur. Interim modo.

17. Dicendum esse dogma fidei, gratiam habitualem & justificantem esse physice intrinsecam & inhærentem animæ.

Si Concilium Tridentinum afferre vellem, tam perspicue veritas hæc appareret, ut lucem negaret qui eam non pro-

profiteretur. Quid enim definit sess. 6. can. 11.? Verba proferamus. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Quibus verbis non tantum assertum nostrum statuitur, sed hæreticorum errores ad litteram rejiciuntur. Pergit Tridentinum, & cap. 7. docet, *causam formalem nostræ justificationis esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, & nos renovari in justificatione per susceptionem gratiæ & donorum.* Ergo sicuti hæc dona intrinsecè recipiuntur in anima, ipsique physice inhærent, ita etiam gratia, per quod refellitur quod à Magistro dicebatur, nam eadem ratione infertur, charitatem illam, per quam nos diligimus Deum, non esse illam per quam Deus diligit. Afferre tamen non prohibeor Concil. Viennense sub Clem. V. celebratum in Gallia, in quo decretum fuit, inter tot sententias, quæ tunc erant apud Theologos, illam esse recipiendam, quæ defendit, infundi in baptismo tam parvulis, quam adultis habitus gratiæ & donorum, ut habetur in Clement. prima de Summa Trinit. & Fide Catholica. Non immerito propterea Catechismus de Sacram. Baptismi asserit; *Gratiam eam esse, per quam non solum peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas in anima inhæret, ac veluti quidam splendor & lux, per quam homines ad omnia opera bona fiunt habiles.* Per quas ultimas particulas indicatur non solùm actio, sed etiam habitus, seù qualitas ipsis hominibus inhærens.

18. Ratio autem S. Th. 1. p. qu. 12. art. 1. est, quia dum nobis infunditur gratia habitualis, Deus nos amat non amore simplicis complacentiæ & affectivo, sed benevolentiæ effectivo & efficaci; *Amas nos*, inquit S. Bernardus de amore Dei, *in quantum nos efficis tui amatores, nos affectu, tu effectu.* Aliquid ergo in nobis producit, quod in nobis sit, & certe aliquem amare efficaciter est illi velle bonum, bonumque conferre. Plura alia omitto, quod etiam in argumentis contrariis faciam, cum de hac re agendum sit, ubi res contra hæreticos propriè instituetur.

19. Hic primo opponam quod Magister Sententiarum pro sua profert opinione; profert autem illud 1. Joan. 4. *Deus charitas est* proinde charitas in recto affirmatur de Deo, quod dici non posset, si charitas tantum à Deo esset tanquam à causa, à qua gratia producitur & nobis infunditur; Sic dici non potest, Deus est fides, est spes, est patientia, sed tantum cum addito, idest, spes mea, patientia mea, ut habetur in psalmis, & tamen fatemur hasce virtutes dari nobis à Deo. Hoc equidem est, quod docuit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. dicente: *Si in donis Dei nihil est majus charitate, & nullum est majus donum Dei, quàm Spiritus Sanctus, quid consequentius est, quam ut ipse sit charitas, quæ dicitur Deus & ex Deo.*

20. Sed contra. Jam dictum fuit, quod sicuti justitia duplex est, una, qua ipse justus est, alia, qua nos justos facit, ita in Deo duplex est charitas, una, qua se ipsum amat, alia, qua nos reddit sui amatores. Charitas, quæ de Deo affirmatur in recto, est charitas prima, charitas vero, quæ gratiæ convenit habituali, est charitas secunda; Illa Deus est, ista Deus non est, sed à Deo est. Quapropter nihil mirum, si nec fides, nec spes, nec patientia, aut alia possint in recto dici de Deo, quia nec Deus sibi ipsi credit, nec in se ipsum sperat, nec aliquid in ipso reperitur, quod sit patientiæ objectum. Juxta hæc explicatur Sanctus Augustinus tam in auctoritate adducta, quam in aliis, quas distinctione citata Magister producit.

21. Oppones secundo contra rationem à nobis expositam. Gratia habitualis

tis, quæ dicitur aliquid productum, & nobis inhærens, illa est, per quam evadimus Deo grati, atque à Deo efficaci amore dilecti, sed possumus esse Deo grati,& à Deo dilecti sine aliquo in nobis producto, nobisque inhærente, ergo. Prob. mi. Objectum est cognitum & visum, quin aliquid producatur in objecto cognito & viso, ergo etiam objectum esse potest Deo gratum, & dilectum, quin in ipso aliquid producatur. Ratio autem est, quia ille Divinus amor erga creaturam est in priori, & independens à quacumque forma communicata subjecto, quod gratum & dilectum denominatur.

Præterea. Potest intelligi Divinus amor erga creaturam, quin aliquid in creatura producat, ita enim se habet in actu prædestinationis qui certè specialissimus est, nec tamen aliquid ponit in prædestinato, & quamvis etiam dicendum foret, per hunc amorem aliquid produci, satis hoc servaretur, si diceremus, efficere auxilia actualia.

Demum, etiam creatura Deum amat, nec tamen aliquid in Deo producit, ergo etiam Deus amare potest creaturam, quin tamen aliquid in creatura producat; quod etiam alia paritate declaratur; Sicut enim odium Dei in creaturam, nihil agit intrinsece in creatura, ita & amor; cum uterque sit liber; libere proinde respiciens creaturam.

22. Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. conc. ant. ne. conf. Si disparem rationem quæris, hæc est, quia cognitio & visio ita fertur in objectum, quod cognitum & visum denominatur, ut supponat in ipso rationem formalem, propter quam cognoscitur & videtur, at Divinus amor non supponit in creatura bonitatem, propter quam amatur amore benevolentiæ, proinde creaturam amatam denominare non potest, nisi hujusmodi bonitas communicetur. Neque officit, esse priorem & independentem ab hac forma communicata, nam etiam actio solis, per quam aer illuminatur, est independens & prior luce in aere producta, & tamen non aliter aer illuminatus denominatur nisi per lucem in ipso productam. Ad secundum. Licet actus prædestinationis nihil ab æterno ponat in creatura, ponit tamen tempore opportuno, præsertim tempore mortis cum gratia conjungendæ; neque Divina benevolentia talis absolutè servari potest per sola auxilia actualia, etenim hęc conjungi possunt, & persæpe conjunguntur cum peccato, at hic loquimur de amore illo, qui in nobis id efficiat, quod cum peccato non conjungitur, neque in præsenti providentia conjungi potest, reddendo nos gratos & dilectos, immo etiam diligentes, proinde &c. Ad ultimum; mirum non est, si creatura amando Deum nihil producat in Deo, quia in Deo amata bonitas immutabilis præsupponitur ac æterna, non sic præsupponitur in creatura, & ideo à Deo produci debet; Quod vero dicitur in ultima paritate non tenet; nam creatura habet ex propriis per quod odio habeatur à Deo, non autem habet ex propriis ut propriis per quod diligatur.

ARTICULUS III.

Utrum in peccatore sit necessaria aliqua dispositio ad gratiam habitualem.

23. Difficultas hæc tantum de peccatoribus adultis resolvenda foret, Lutherus tamen qui in libro de capt. Babylon. cap. de baptis. docere videtur infantes, cum baptizantur, habere fidem actualem, eam etiam ad parvulos referre nos compellit. Fortasse Lutheri mens ambigua foret, nisi in Wirtemberg. conciliabulo an. 1536. ejusdem mentem ipsi Lutherani explicassent; Hæc autem docuerunt. Primo infantes in baptismate salvos fieri per aliquam propriam actionem. Secundo; hanc parvulorum actionem esse quemdam novum sanctumque motum. Tertio hunc motum, etsi infantes non sunt intelli-

gen-

gendi virtute præditi, esse inclinationem ad credendum & diligendum Deum motibus fidei & dilectionis similem. Proinde fit in Lutheranorum errore, etiam in parvulis necessariam esse aliquam dispositionem ad gratiam habitualem.

24. Dicendum. In parvulis nullam esse dispositionem.

Prob. Si aliqua in parvulis esset dispositio ad gratiam habitualem, hæc vel esset actualis fides, vel aliquis motus actuali fidei omnino similis, sed nec actualis fides, nec motus actuali fidei omnino similis, ergo. Prob. prima pars mi. quæ melius exponi non potest quam Doctrina S. Augustini ejusdemque ratione; In quo enim actualis fides potissimum sita est? non in alio quam in pio voluntatis affectu & mentis assensu rebus à Deo revelatis, atqui infantes utriusque incapaces sunt, ergo etiam actualis fidei. Hoc certe adeo compertum est, ut Sanctus Augustinus epist. 57. ad Dardanum hæc habuerit. *Nescire Divina parvulos qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam*. Hoc est, quod colligitur ex Sacris Literis, Deuteron. enim 1. legitur. *Parvuli boni & mali ignorant distantiam*. Ridiculum igitur & omnino fictum est, eos posse credere.

25. Ex his aliud argumentum consurgit, quo utitur Bellarm. de Sacram. Baptis. cap. 11. Fides actualis haberi non potest, nisi innotuerit Divina revelatio, quæ vel sit immediate à Deo, aut per verbum Dei auditum vel lectum, sed Divina revelatio neutro modo potest parvulis innotescere, ergo. Non posse primo modo ipse Lutherus concedit, cum sit omnino extraordinarius, sed neque secundo & probatur. Si parvulis innotescere posset Divina revelatio per verbum Dei auditum, præsertim per verbum, quo exorcizantur adjuvantibus Ecclesiæ precibus, ut ipse fatetur, sed hoc non, ergo. Mi. declaratur, nam si per verba exorcismi fides hæc gigneretur, hisce verbis aures intenderent parvuli, cum tamen contrarium videamus; Præterea, omittantur hæc verba, sicut multoties omittuntur, dum instante mortis periculo baptismus confertur à quavis muliercula, per quod verbum tunc parvuli fidem concipient? & tamen valide confertur, & gratia habitualis infunditur.

26. Prob. secunda pars primæ mi. Quinam sunt isti motus, quos similes fidei & dilectioni asserunt Lutherani? sunt ne corporei, vel spirituales? si primum, jam ab actibus fidei & dilectionis qui spirituales sunt, distant omnino; Si secundum, ergo à cognitione non distinguentur, sicut enim oculus non movetur nisi videndo, sic aliter non movetur animus, quam intelligendo. Quod si parvulorum motus, dum baptisma suscipiunt, consideremus, eos potius infidelitati & odio similes, quam fidei & dilectioni affirmabimus. Perpendit hoc S. August. & epist. cit. inquit. infantes vagitibus & fletibus baptismo potius reluctari, quod certe sine crimine non facerent, si uterentur rationis & voluntatis arbitrio. Hinc contra Lutherum stat eorum argumentum, qui dicebant irritum esse baptismum in infantia collatum; hoc sic proponitur. Parvuli, dum baptizantur, ejulant, consequenter refugiunt; vel igitur id intelligentes agunt, vel non intelligentes, si hoc dicatur, ergo non credunt, si illud, ergo sacrilegè agunt, qui Sacramentum recusant; Omnia autem hęc complectitur & excludit Concil. Trident. ses. 7. can. 13. ita definiens. *Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare, omitti eorum baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*.

27. Ob. 1. Si parvuli, dum baptizantur, non crederent, enorme foret mendacium, quando minister à parvulo pe-

petit, an credat, & respondetur pro ipso, *credo*. Rursus, si certum est, illum non credere, ut quid interrogat, an credat? Secundo. Illi tantum sunt baptizandi qui sunt capaces instructionis, & per consequens fidei actualis, sed parvuli sunt baptizandi, ergo sunt capaces instructionis fideique actualis. Maj. ostenditur, nam Christus Mat. 24. præcepit Apostolis. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Tertio Marci ultimo Christus ait. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* atqui parvuli per baptisma salvi fiunt, ergo credunt. 4. Mat. 18. dixit Christus, *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt &c.* Pusilli ergo credunt.

28. Resp. mendax est Lutherus, non qui pro infantulo respondet, *credo*. Qui enim ita respondet, non significat, illum credere actu proprio sed alieno, idest fide matris Ecclesiæ, ut enim ait S. Augustin. ser. 10. de verbis Apostoli, *Accommodat Mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam, ut confiteantur*. Quod quidem merito factum est; sicuti enim Adami peccato pergravantur, sic aliena fide, idest Ecclesiæ eriguntur. Ad secundum ne. maj. ad textum, ibi sermo est de baptismate adultis conferendo; subditur enim, *docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis* quod certe ad parvulos, referri non potest; Satis igitur istis est, si cum ad usum rationis pervenerint, instruuntur. Ad tertium eodem modo, agitur namque de illis, ad quos Apostolicam prædicationem, ut converterentur, dirigebat; dirigebat autem ad adultos, in quibus non solum est necessaria propria fides, sed etiam pœnitentia, & prioris vitæ detestatio. Ad quartum. Pro pusillis non debent intelligi parvuli vix in lucem editi; advocavit enim Christus parvulum, & statuit in medio eorum, qui propriis pedibus incessit; illi autem parvuli, de quibus est noster sermo, scandali sunt incapaces.

29. Juxta hæc explicanda sunt ea omnia, quæ de fidei necessitate vel in Sacris litteris, vel in Sanctis Patribus inveniuntur, ut illud ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est &c.* Tenent enim de actuali fide saltem aliquando habita in adultis, non sic in parvulis nisi de fide habituali, quam una simul cum gratia accipiunt in justificatione per baptisma, ut loquitur Trid. ses. 6. cap. 7. Quanquam & dici potest, parvulos etiam habere actualem fidem non propriam, sed alienam, idest Ecclesiæ, per quam Deo placere possunt & ad Deum accedere, sicut per peccatum alienum Deo displicent, & à Deo recedunt.

30. Ob. 2. Parvuli dum baptizantur, Spiritum Sanctum accipiunt, ergo accipiunt aliquam Spiritus Sancti operationem, sed non possunt accipere actum fidei, & dilectionis proprie & cum cognitione, ergo aliquos novos motus, qui fidei & dilectioni similes sint. Hoc quidem evenit in Joanne Baptista, qui præsente Christo, quem Virgo Mater gerebat in utero, *exultavit*, Luc. 1. ergo cur præsente Ministro, qui parvulum baptizat, parvulus novos motus non edet?

Resp. conc. ant. ne Cons. accipiunt etiam gratiam habitualem, & omnia habitualia dona fidei, spei, & charitatis, qui neq. sunt fides & dilectio cum cognitione, neque motus sine cognitione. Ad exemplum. Joannes Baptista non habuit motus sine cognitione, sed revera exultavit cum gaudio, quod cognitionem supponit; & hoc est juxta mentem Ambrosij, Bedæ, aliorumque Patrum in ejus loci commentariis. Neque dicat Lutherus. Ergo Joannes Baptista habuit propriam fidem, ergo & cœteri infantes. Consequentiam hanc negat S. Augustinus epis. 57. hæc scribens. *Quamquam etiamsi usque adeo in illo puero est acceleratus usus rationis & voluntatis ut intra viscera materna jam posset agnoscere,* cre-

credere, consentire, quod in aliis parvulis ætas expectatur, ut possint, hoc in miraculis habendum Divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ, nam quando Deus voluit, etiam jumentum mutum rationabiliter est loquutum, nec ideo sunt admoniti homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia, quo circa nec quod factum est in Joanne contemno, nec inde regulam, quid sentiendum sit de parvulis, figo, immo id de illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio. Hæc adnota, & vide, quam impudenter mentitus sit Kemnitius, qui inter Lutheri & Augustini sententiam nihil esse discriminis, affirmare non trepidavit.

31. Ita rejecta Lutheranorum dementia; superest aliquorum doctorum, quos Catholicos profitemur, mentem indagare. Capreolus enim & Paludanus existimarunt parvulos disponi ad gratiam habitualem, per quemdam habitum seù characterem, Cajetanus vero per meritum Christi Domini; Neutrum tamen ex hisce admitti potest, non primum, quia habitus infusi supernaturales comitantur gratiam habitualem, ut traditum fuit à Concilio Tridentino à nobis superius citato, ergo non possunt ad gratiam habitualem disponere, idem dicito de caractere, cum iste tamquam aliquis animi ornatus gratiam habitualem subsequatur, & in lege veteri non deerat gratia habitualis, nec tamen aliquis erat character. Tandem quod dicitur de merito Christi supplente actum parvulorum, est admittere in parvulis dispositionem, quæ sit extra parvulos, & requiritur quidem ad causam efficientem meritoriam, non tamen ex parte subjecti. Est ergo quæstio de adultis. Qua in re.

32. Dicendum. Ad habendam justificationem in adulto peccatore est necessaria aliqua dispositio.

Prob. primo auctoritatibus Sacræ Scripturæ. Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad Vos.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis.* His accedunt omnia, quæ de fidei necessitate dicta sunt in proprio tractatu; Trident. etiam sess. 14. cap. 4. hanc veritatem definivit dicens. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Quod est juxta mentem Augustini ser. 15. de verbis Apostoli dicentis. *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te,* & Innoc. III. cui tribuitur effatum illud. *Quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.*

33. Prob. secundo ratione, quæ 1. colligitur ex laudata auctoritate. Nemo fit peccator nisi propria voluntate, ergo nemo fit justus nisi propria voluntate, sed hoc non esset, nisi ad infusionem gratiæ esset necessaria aliqua dispositio, ergo. Secundo sic proponitur. Quando homo adultus de peccatore fit justus, datur in ipso maxima mutatio, cum status gratiæ & status peccati maximè distent inter se, sed hæc mutatio haberi nequit sine aliqua prævia dispositione, quæ pendeat ab electione agentis, si liberum est, ut in casu, ergo. Mi. ostenditur, nam Deus de facto aliquem non movet nisi secundum modum proprium unius cujusque, & ideo si agens liberum est, à Deo non movetur absque motu liberi arbitrii.

34. Si autem quæratur. Utrum dispositio ad gratiam debeat esse physica vel moralis. Dicendum contra Alvarez, Gonet. pluresque Thomistas, esse moralem.

Prob. Dispositio physica ea est, quæ ex natura sua exigit introductionem formæ, ita ut quadam naturali necessitate producatur forma, & non intersit beneficentia producentis, rursus remaneat saltem secundum aliquam sui partem cum ipsa forma, è contra dispositio moralis ea est, quæ reddit quidem subjectum dispositum, non tamen &c. Sed hoc postremo modo non primo se habet dispositio ad gratiam, ergo. Prob. mi. quo ad primam partem, nam per hoc

quod quis amet Deum super omnia non habet jus, ut debeat amari à Deo, & Divinus amor semper procedit à Dei beneficentia & liberalitate; Secunda pars declaratur, quia charitas actualis, quæ est dispositio ultima ad gratiam, necessario non permanet cum ipsa gratia, siquidem potest quis in gratia perseverare, quin amet actu, ergo. Contra utrumque dictum nihil opponi potest, quod alicujus momenti censendum sit.

ARTICULUS IV.

Utrum ultima dispositio ad gratiam sit effective ab ipsa gratia habituali.

35. INter dispositiones ad habitualem gratiam alias esse remotas, & alias proximas omnibus notum est. De illis nulla difficultas esse potest, cum certum sit, illas etiam tempore gratiæ habitualis infusionem præcedere, & aliquando fieri possit cum ipsa infusione nequaquam conjungi. De proximis igitur dispositionibus, immo de ultima quæstio promovetur, nimirum de charitate & contritione, quæ ex Trident. sess. 14. cap. 4. reconciliat hominem Deo etiam priusquam Sacramentum Pœnitentiæ suscipiatur, de qua Proph. ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Hanc effectivè progredi ab ipsa gratia habituali docuerunt inter Thomistas Cajet. Conrad. Sot. Lauren. à S. Theres. Can. & prius Albertus Magnus in 4. dis. 17. art. 11. inter Modernos vero Vasquez & Valent. Contrarium omnino tradiderunt Scot. in 4. dis. 14. quæst. 2. S. Bonavent. Alex. Duran. Paludan. Corduba, Suarez, Cacher. Puteobon. &c. Cum istis.

36. Sentiendum; Ultimam dispositionem ad gratiam habitualem nequaquam effectivè à gratia habituali procedere.

Prob. Ultima dispositio ad gratiam habitualem non procedit effectivè à gratia habituali, si hujusmodi dispositio prior est gratia habituali, cum prius nequeat ab eo quod est posterius efficienter dependere, sed res ita se habet, ergo. Prob. mi. Prior est ultima dispositio gratia habituali, si prius est hominem esse contritum, quàm gratiam habitualem habere, sed prius est hominem esse contritum quàm gratiam habitualem habere, ergo. Prob. mi. ex Concil. Trident. quod sess. 6. cap. 3. ait: *Hanc præparationem & dispositionem justificatio ipsa consequitur*; & rursus. *Unusquisque gratiam consequitur secundum mensuram dispositionis*. Sed primum non esset verum, si prius esset haberi gratiam habitualem, quàm contritionem, ut ex terminis patet. Secundum omnino corrueret, quia sic non daretur gratia secundum mensuram dispositionis, sed dispositio juxta mensuram gratiæ, ergo.

37. Conceditur igitur gratia homini, quia contritus est, non datur vero, ut contritus fiat, quæ causalis tanti habenda est, ut illa admissa sententia opposita prorsus evanescat necesse sit. Quod tamen magis declaro primo ex Concil. Arausic. can. 25. quod expendens illud Pauli 1. ad Corint. 7. *Misericordiam consequutus sum, ut sim fidelis* colligit, non esse veram istam causalem, misericordiam consequutum esse, quia erat fidelis. Secundo ex Hieronymo ad Eph. 1. & August. de prædestinat. Sanctorum cap. 17. super illa verba Apostoli ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti* inferentibus, non esse nos electos à Deo quia eramus Sancti; ergo à pari si homini infunditur gratia, quia contritus est, non potest dici gratiam infundi, ut contritus fiat. Ratio hujus attenditur per particulas *Ut* & *Quia*. Illa enim denotat causam finalem, quæ prior est in intentione, ultima in exequutione, & est effectus illius habitus vel facultatis, quæ datur ad hunc finem; Ista vero significat causam priorem in ordine exequutionis, quæ sit vel medium, vel principium ta-

lis effectus, si ergo contritio est medium ad gratiæ consequutionem, effectus gratiæ esse non poterit.

38. Hoc argumento premuntur adversarii, & mirum est tam varias ipsorum legere responsiones. Primo dicunt, distinguendam esse in gratia duplicem rationem, genericam unam, specificam aliam; gratia sub ratione generica est radix contritionis & charitatis, & ita prior est contritione & charitate, sub ratione vero specifica, quatenus est sanctificans & remissiva peccati, est contritione & charitate posterior, & sub illa ratione prius infunditur gratia & conceditur, ut peccator conteratur, sub hac ratione prius datur contritio & charitas, & sic dicitur dispositio ultima ad gratiam.

39. At hoc quo pacto dici ac sustineri possit, fateor à me non intelligi. Peto, utrum hæc gratia generica & specifica in gratia habituali re distinguatur. Si hoc affirmetur, est contra omnium Philosophorum regulam nunquam distinguentium gradum genericum à specifico; Si non distinguitur, ergo dum gratia infunditur secundum unam rationem, infundetur etiam secundum aliam, & ideo si sub una consideratione datur homini, quia contritus est, dabitur etiam sub alia; Sed si adversarii velint has duas rationes in gratia distinguere, idem à me fiet de contritione & charitate, & dicam de actu contritionis & charitatis dari rationem genericam, & specificam, primam, in quantum quod est donum gratuitum & infusum; Secundam in quantum quod est actus pœnitentiæ, at propter hoc poterit ne infundi contritio vel charitas prius secundum unam rationem, posterius secundum aliam? non profecto, ergo à pari. Infunditur ergo gratia sicut producitur; sed producitur simul tum genericè tum specificè, ergo etiam secundum utramque rationem simul infunditur.

40. Respondent secundo ambas causales esse veras. Verum est, gratiam habitualem infundi, quia homo contritus est, & verum, gratiam habitualem infundi, ut homo contritus fiat, & ita fit, gratiam esse priorem & posteriorem contritione, sed secundum diversa. Ut autem explicent hæc diversa; inquiunt; Ultimam dispositionem in gratiam exercere causalitatem materialem, gratiam vero in ultimam dispositionem exercere effectivam. Verùm & hoc satis non percipio; etenim etiam admisso, hanc mutuam causalitatem in diverso genere causæ non repugnare; Si ultima dispositio præsupponitur gratiæ in genere causæ materialis, jam debet esse in semetipsa priusquam sit gratia, & si est in semetipsa, quomodo potest à gratia, tanquam à causa efficiente provenire? Præterea. Ultima dispositio & est simul causa materialis, quia se tenet ex parte subjecti, in quo recipitur gratia, & est simul causa efficiens, cum sit impetratoria & meritoria gratiæ. Ergo.

41. Respondent tertio; gratiam esse priorem ultima dispositione ex parte agentis, idest in sui productione, posteriorem vero ex parte subjecti, idest in sui receptione & unione, & in hoc sensu dari homini, quia contritus est, in illo vero dari, ut contritus fiat. Ad quam responsionem videtur reduci quod ab aliis asseritur, nimirum gratiam in statu indeterminato esse priorem, in statu determinato esse posteriorem, per hoc quod Deus decernat futuram contritionem dependenter ab auxilio actuali, vel habituali indeterminate, deinde intuitu contritionis ita futuræ determinat pro ipsius principio potius habituale quam actuale auxilium.

42. Nihil tamen ex his admitti potest. Quis enim dicet, ultimam dispositionem prius produci ab agente, quam recipi in subjecto? pro illo priori in quo erit? producitur ab anima & recipitur in anima tanquam actus immanens & vitalis. Hoc præsertim valet in illorum sententia, qui non admittunt productionem & unionem, tanquam aliquid distinctum; & quamvis admittatur, in

act

actibus tamen vitalibus est peculiaris repugnantia; Tum in sententia illorum, qui docent, actionem ex parte agentis, & passionem ex parte subjecti esse unam eamdemque rem. Quod autem ultimo addebatur, sine aliquo fundamento vel auctoritatis, vel rationis profertur. Si tibi obscura protuli, non mea hæc culpa Lector sed Adversariorum.

43. Hæc omnia, quæ adeo diversa sunt, & proinde oppositæ sententiæ infirmitatem demonstrant, & nostræ probationis robur, ponderavit Vasquez, propterea aliam responsionem excogitavit absolute negando, gratiam infundi, quia homo contritus est, sed infundi, ut contritus fiat. Illam enim dat Deus, ut moveat arbitrium, non quia movit per contritionem. Doctrina hæc à nullo alio producta, tam falsa est, quam peregrina, cum apertissime Concilii Tridentini definitionibus opponatur. Hoc enim sæpissime assignat principia, per quæ Deus animam movet, ut se ad gratiam disponat, & nunquam affert habitum gratiæ, sed alia gratiæ auxilia, & sic sess.6. cap. 5. docet, justificationis nostræ initium esse à vocante & præveniente gratia, ut per excitantem & adjuvantem gratiam ad justificationem disponamur, & cap.6. inquit: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti &c. atque hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur per susceptionem gratiæ & donorum*, ut statim sess. 7. ergo Deus per hanc habitualem gratiam arbitrium non movet, sed per aliam omnino distinctam, & gratia illa confertur, quia jam prius movit arbitrium, immo confertur ad mensuram præcedentis motionis & dispositionis, ut dictum fuit. Quod si prælaudatus Doctor contendat sibi consulere explicando, Concilium loqui de aliis dispositionibus, non vero de contritione perfecta extra Sacramentum; male explicat, nam ibi Concilium sermonem habet de illa contritione, quæ fuit quovis tempore necessaria, sed hæc est contritio perfecta, ergo de hac loquitur.

44. Sed quia conclusio nostra procedit potissimum contra Thomistas, illam Sancti Thomæ Doctrina placet corroborare. Docet autem Angelicus 1. p. qu.62.art.2. ad 3. ubi agit de conversione sic. *Ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis*. Et cap.2. qu.109. art. 6. in corp. habet hæc verba. *Ad hoc autem, quod homo præparet se ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum, sed oportet præsupponi aliquod gratuitum auxilium Dei interius animam moventis.* Tandem qu.28.de verit.cap.8.opponens sibi hoc argumentum. *Contritio est actus meritorius, sed actus meritorius non est nisi à gratia, ergo contritio est à gratia* respondet, contritionem esse à gratia tanquam causa informante, quam distinctionem non adhibuisset, si ab ipsa esset tanquam à causa effectrice, sed absolute concessisset argumentum.

45. Hisce aliisque similibus auctoritatibus sui Præceptoris pluribus adversantes Thomistæ respondere nituntur. Primo loqui de dispositione imperfecta; sed hæc jam superius rejecta fuit; deinde afferendo alia in oppositum ejusdem testimonia, ut est illud 1. 2. qu.113. art.8. in corp. ubi ait: *Ipsa moventis motio est gratiæ infusio; & primum est gratiæ infusio; Secundum est motus liberi arbitrii in Deum*. Præterea; eodem art. ad 2. ubi dicit: *Motus liberi arbitrii naturæ ordine præcedit consequutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem*. Verum hæc omnia debent intelligi de gratia actuali; vel Sanctus Doctor sibi contradixit, quod ego ipse non dicerem.

46. Ob. 1. ex Scripturis, ex Patribus, ex Conciliis. 1. Joan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Sed dilectio Dei explicatur per infusionem gratiæ, ergo prior est infusio gratiæ, quàm dilectio nostra, ergo gratia prior est ultima dispositione.

Joan. 15.

Joan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet*, ergo sine gratia, per quam manemus in Christo, aliquis fructus vitæ haberi non potest, ergo neque ultima dispositio ad gratiam.

Augustinus tract. 75. in Joan. *Quomodo diligimus, ut Spiritum Sanctum accipiamus, quem nisi capiamus, diligere non valemus*. Ergo prius est, nos habere Spiritum Sanctum, qui per gratiam habitualem habetur, quam quod ipsum diligamus, in quo sita est ultima dispositio. Idem innuit lib. de spir. & lit. cap.8. ubi docet, non posse nos diligere & implere justitiam, nisi prius sanemur, sanamur autem per gratiam habitualem. Gregor. Magnus hom. 30. in Evangel. *Qui mente integra Deum desiderat, profecto jam habet, quem amat, neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet*. Ergo prius est, haberi Deum, quod fit habitualis gratiæ beneficio, quàm Deum à nobis diligi.

Concilium Arausicanum pluribus in locis hoc indicat, can. 4. & 6. docet, voluntatis præparationem & dilectionem Dei dari nobis per infusionem Spiritus Sancti, quæ infusio alia non est nisi infusio gratiæ habitualis. Et can.18. definit, dilectionem Dei & contritionem mereri remissionem peccatorum & gloriam, omnis autem actus meritorius procedit à gratia habituali; *debetur merces*, inquit Concilium, *bonis operibus, si fiant, gratia autem præcedit, ut fiant*.

47. Resp. primum textum multifariam explicari posse, quin ad infusionem habitualis gratiæ deveniamus; proinde minor est falsa. Explico autem primo; A' Deo nos prius diligi, quatenus congruè nos vocat & prævenit, & in hoc relucet prima dilectio Divina erga peccatores, ex qua fit, quod homo diligat Deum, & inde Deus diligat hominem dilectione tali, ut ipsi gratiam habitualem infundat. Explico secundo hanc priorem dilectionem Dei servari per dilectionem, qua homines prædestinavit ad gratiam, per quam prius certe dilexit, quam diligeretur, non enim vos me elegistis, sed ego elegi vos. Explico tandem; Ibi ad literam sermonem esse de charitate, qua Deus misit filium suum in hunc mundum, nullo modo de illa, qua gratiam habitualem largitur. Rem ita esse, expendamus verba; Sunt ista. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam prior ipse dilexit nos & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Secundus textus primo potest intelligi de mansione in Christo per finalem perseverantiam, quę certe gratiam habitualem præsupponit, & sine qua homines mittentur foras, & in igne damnationis arescent; Quod si etiam intelligatur de mansione per gratiam habitualem, nihil evincitur, etenim qui habet ultimam dispositionem ad gratiam, statim gratiam habitualem juxta ejus mensuram consequitur, & sic habetur mansio in Christo per gratiam, quin dicamus, ultimam dispositionem à gratia derivare. Sed quid dicendum pro illo priori instanti, pro quo dispositio gratiam præcedit? Non esset cur responderemus, non enim Christus hasce subtilitates in sui loquutione perpendebat, sed loquebatur de statu, prout est necessarius ad salutem; attamen dico, pro illo signo hominem incipere manere in Christo, & manere in Christo ultimo dispositivè, immediate vero manere in Christo completè & formaliter; Unde directè dis. conf. ergo sine gratia per quam manemus formaliter in Christo non potest haberi aliquis fructus vitæ formaliter conc. dispositivè proxime ne. conf. & subs. sufficit enim gratia actualis.

Prima auctoritas Sancti Augustini prolata est contra Semipelagianos, qui asserebant, primum actum dilectionis nostræ erga Deum esse ex sola libertate creata, & ideo contra ipsos dictum fuit, nos non posse diligere Deum, ut Spiritum Sanctum accipiamus, nisi prius Spiritum Sanctum habuerimus, idest ipsius

Spi-

Spiritus Sancti auxilium actuale; unde consequentia falsum dicit, si asserit, Spiritum Sanctum haberi tantùm per gratiam habitualem. Secundum Augustini testimonium cum proportione accipiendum est; nam si sermo sit de justitia perfecta & perseverante, certum est, haberi non posse nisi per sanitatem, quam confert gratia habitualis, si autem de justitia actuali & ultimo disponente, quam statim sequitur gratia habitualis, hæc habetur per sanitatem, quam confert gratia actualis, per quam ipsam justitiam habemus; atque hoc pacto explico S. Gregorium; Qui enim mente integra Deum desiderat, jam habet quem amat, vel habitu & perfectè, vel actu & dispositive; sive, habet quem amat vel ut habitatorem vel ut motorem juxta diversos gradus dilectionis.

Juxta hæc accipiendum est Concilium Arausicanum, nam Spiritus Sanctus dicitur etiam nobis infundi per auxilia actualia cum fiant in nobis, in quo sensu etiam dicit Ecclesia in quadam collecta. *Infunde nobis Domine tuæ charitatis affectum*. Quod vero dilectioni & contritioni tribuatur meritum remissionis peccatorum, juxra illud. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum* loquitur Concilium de necessitate gratiæ actualis, quæ debet præcedere, ut fiat; aut hoc meritum inesse non propter charitatem & contritionem formaliter, sed solum dispositivè, formaliter vero, quia immediate informatur gratia habituali.

48. Ob.2. ratione. Ultima dispositio ad gratiam habitualem est ab ista effectivè, si debet præsupponere habitum infusum gratiæ, sed ultima dispositio ad gratiam habitualem debet præsupponere habitum infusum, gratiæ, ergo. Prob. mi. Ultima dispositio ad &c. debet præsupponere quidquid se habet adinstar potentiæ, sed habitus infusus gratiæ se habet adinstar potentiæ, ergo. Secundo. Si ultima dispositio ad gratiam non esset effectivè ab ipsa gratia, non esset meritoria de condigno gloriæ, sed hoc non, ergo. Prob. maj. nullus actus esse potest meritorius de condigno independenter à gratia, quæ dicitur principium meriti, ergo. Idem alio modo promovetur. Actus contritionis est meritorius de condigno gloriæ, ergo procedit ab homine ut dignificato per gratiam; Ant. pat. alioquin contingeret, gloriam quandoque adultis concedi, sicut parvulis, idest non merito proprio. Prob. cons. Actus meritorius de condigno gloriæ nequit gratiam præcedere, ergo si &c. Prob. ant. Si posset præcedere, posset etiam mereri primam gratiam, sed hoc non, etiam loquendo de gratia habituali, cum Trid. sess. 6. cap. 8. dicat. Nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promereri, ergo.

49. Resp.conc.maj. ne. mi. ad prob. argumentum probat, etiam dispositiones remotas debere præsupponere habitum gratiæ, quia debent præsupponere quidquid se habet adinstar potentiæ; directè dis. maj. idest, quidquid cum potentia concurrit conc. quidquid in ipsa potentia permanet ne. maj. conc.mi. ne. cons. debet autem præsupponere auxilium actuale, per quod potentia fit proximè apta ad ultimam dispositionem; & habitus infusus se habet quidem ad instar potentiæ in eo, in quo jam est, sed negó tunc ab ipso haberi dispositionem proximam ad gratiam habitualem, sed tantummodo ad augmentum gratiæ; ex quo sic argumentor, & assertionem meam corroboro. Dispositio ad augmentum gratiæ non habetur effectivè ab ipso augmento, ergo etiam dispositio ad gratiam non habetur à gratia. Ad secundum Vega, Lorca, & Lugus negant absolutè minorem. Ego vero juxta supradicta dis. maj. non esset meritoria de condigno gloriæ secundum se & pro illo priori naturæ conc. ut immediate informata per gratiam ne. maj. & eodem modo ad argumentum alio modo promotum dis. antec. actus contritionis est &c.

est &c. pro instanti reali, quo est cum gratia conc.ant. pro eo priori,quo est dispositio ad gratiam ne.ant. & conf. juxta etiam doctrinam S. Th. num.44. Præterea; Argumentum allatum probat etiam de ultima dispositione una cum Sacramento Baptismi, vel pœnitentiæ, & tamen in Sacramento non est à gratia habituali. Neque vero sequeretur, gloriam concedi adultis sicut parvulis, quia istis conceditur sine aliqua prævia dispositione, non illis. Ut tandem Tridentino respondeas, memineris, in principiis nostris ultimam dispositionem non esse physicam, sed moralem & impetratoriam, ad hanc autem spectat, esse separabile, secundum se quod impetratur.

50. Dices impugnando responsionem datam argumento primo. Id admittendum est, quod ad habendam hanc ultimam dispositionem connaturalius censeri debet, sed connaturalius censeri debet haberi à gratia habituali quam ab actuali, ergo. Prob. mi. Contritio seù charitas est participatio Divinæ voluntatis, sed connaturalius est participationem Divinæ voluntatis haberi à gratia habituali, ergo. Prob. mi. Connaturalius est, participationem Divinæ voluntatis haberi à participatione Divinæ naturæ, sed gratia habitualis est participatio Divinæ naturæ, ergo. Præterea. Contritio, utpote vita supernaturalis in actu secundo, supponit principium per quod anima supernaturaliter vivat, sed principium, per quod anima supernaturaliter vivit, est gratia habitualis, ergo.

51. Sed contra conc. maj. ne. mi. ad prob. idem argumentum fit etiam de fide, quæ est tantum dispositio remota ad gratiam, & est participatio Divini intellectus. Dis. ergo maj. contritio &c. est participatio transiens Divinæ voluntatis conc. permanens ne. maj. è contra dis. mi. ne. conf. & sic ad prob. si autem loquamur de contritione habituali concedo hanc haberi per gratiam, hanc enim alia dona subsequuntur. Ad secundum conc. maj. dis. mi. principium per quod &c. est gratia habitualis etiam conc. tantum ne. mi. & conf. Vivit igitur anima supernaturaliter etiam per gratiam actualem, per quam intelligitur elevata in ratione principii actuum supernaturalium, & gratia habitualis est principium per quod anima supernaturaliter vivit permanenter & quantum ad esse, non transeunter & quantum ad operari.

52. Ob. ultimo. Non repugnat, actum, qui sit ultima dispositio ad habitum, esse ab ipso habitu, ergo. Prob. ant. primo. Causæ possunt sibi mutuo esse causæ, sic calor est dispositio ad formam ignis, & forma ignis est principium productivum caloris; Unde calor prior est igne in genere causæ materialis, ignis est prior calore in genere causæ efficientis. Rursus. Est vulgatum illud exemplum; Aperitio fenestræ præcedit tanquam dispositio ingressum venti, & tamen habetur ab ipso vento effective aperiente fenestram, ita in re nostra gratia habitualis ingrediens animam, hanc effective movet ad actum contritionis & nihilominus contritio est dispositio ordine naturæ præcedens gratiæ habitualis ingressum. Tandem est commune dictum apud Philosophos; Ultimam dispositionem ad formam esse ab ipsa forma, ergo à pari.

53. Resp. ne ant. si loquamur de dispositione præparante subjectum ad formam, ut in casu, secus vero si de illa dispositione, quæ non præparat sed ornat, & bene afficit subjectum jam habens formam. Ad Primum exemplum, cogimur ut respondeamus philosophicas quęstiones animo invito repetere. Pro quare dico, vel sustineri in generatione novæ formæ fieri resolutionem usque ad materiam primam, & sic nulla dispositio præcedentis compositi remanet, nec ulla nova in materia producitur pro introductione formę novę sed solum ad expulsionem antiquæ, & tunc nulla dispositio est à forma sed simul cum forma non hanc præcedens sed subsequens & cum

illa permanens. Vel sustineri, non dari hujusmodi resolutionem usque ad materiam primam, sed remanere aliqua priora accidentia, & tunc datur aliqua ultima dispositio ad formam novam, quæ tamen non est ab ipsa forma genita, sed a principio generante prius disponente subjectum ad formæ receptionem, quàm ipsam formam producente, & ideo, vel calor disponit subjectum ad novam formam ignis, vel ipsam formam ignis subsequitur. Si primum, nego produci à nova forma ignis, si secundum non est ad rem, quia ultima dispositio ad gratiam præcedit gratiam, sicut probatum est; & ita responde ultimo adducto in argumento. Ad secundum exemplum, ut brevius me expediam, dico, ab ipso vento impellente haberi effectivè aperitionem fenestræ, & aperitionem fenestræ non esse causam ingressus venti, sed solum se habere ad instar ablati impedimenti; Sic autem se non habet gratia habitualis ad contritionem, neque contritio ad gratiam habitualem.

ARTICULUS V.

Quænam sit causa efficiens gratiæ habitualis.

54. ETSI in unaquaque re quatuor causas inveniamus, de quibus agunt Philosophi, & de istis etiam in materia gratiæ sermonem faciat Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicens, causam finalem justificationis esse gloriam Dei, ac Christi, tum vitam æternam, efficientem esse misericordem Deum, meritoriam dilectissimum Unigenitum Dei, instrumentalem Sacramenta, materialem vero esse hominem, formalem tandem esse ipsam gratiam, quæ cum sit forma, aliam causam formalem habere non potest; nihilominus hic à nobis agendum non est vel de meritoria, cum hoc pertineat ad tractatum de Incarnatione, vel de instrumentali, cum hoc spectet ad tractatum de Sacramentis. Neque de finali quidpiam inquirendum videtur; nam si sermo sit de causa finali extrinseca præcipua, hæc est gloria Dei, propter quam tanquam finem universalem omnia Deus operatur; Si de minus principali, hæc est gloria Christi, juxta illud ad Corint. 13. *Omnia vestra sunt, Vos autem Christi* & aliud ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto in laudem gloriæ ipsius*. Si de particulari; hæc est propria unius cujusque beatitudo juxta illud ad Rom. 6. *Habemus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Si tandem de causa finali intrinseca, hæc est justificatio nostra & donorum supernaturalium infusio. Superest ergo agendum de causa efficiente physica, tum de materiali. Pro primi puncti resolutione.

55. Suppono tanquam certum & ab omnibus Theologis admissum, solum Deum de facto esse causam efficientem gratiæ. Hoc apertè traditur in Sacra Scriptura. Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Ad Rom. 3. *Unus est Deus, qui justificat*. Marci 2. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Job. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Merito propterea Augustin. lib. de peccat. mer. & remiss. cap. 14. dicit. *Si quis potest dicere ego justifico te, etiam dicere potest, crede in me*. Adde, Tridentinum aliam causam præter Deum non afferre. Quæstio est igitur de alia providentia & potestate absoluta.

56. Dicendum. Nullam creaturam neque per absolutam potestatem esse posse causam efficientem gratiæ; jam intelligis principalem. Ita communissime Theologi cum S. Th. 1. 2. qu. 112. art. 1. & alibi contra Ariagam & Madernum.

Prob. Nulla creatura potest esse causa efficiens gratiæ, si hæc necessario debeat esse à natura Divina, sed ita est, ergo. Maj. patet, quia nulla creatura potest habere naturam Divinam, prob. mi. gratia est participatio naturę Divinę, er-

ergo necessario esse debet à natura Divina; Prob. conf. si gratia est participatio naturæ Divinæ reddit hominem similem Deo, sed si reddit hominem similem Deo potest esse tantum à natura Divina, ergo si &c. Mi. ostenditur, quia causa princeps alicujus effectus illa est, cui effectus primo, & per se assimilatur, & profecto, nulla natura inferior conferre potest participationem naturæ superioris, sic anima rationalis non potest communicare participationem naturæ Angelicæ, neque Angelus ultimus participationem naturæ Angeli supremi. Neque dicas, hoc totum verum esse, si loquamur de creatura considerata secundum se, non autem si de prædita aliqua superiori qualitate. Etenim contra, & roboratur propositum nostrum argumentum.

56. Nulla creatura potest per aliquam qualitatem elevari ad operandum ad instar causæ participalis aliquem effectum, ad quem non habeat aliquam proportionem, & virtutem intrinsecam incohatam, ut suppono ex iis, quę dicuntur de potentia obedientiali, sed nulla creatura potest habere hujusmodi proportionem, & virtutem intrinsecam incohatam respectu gratiæ habitualis, ergo. Prob. mi. nulla creatura potest habere &c. ad participandam naturam Divinam, aliter jam fieri posset natura Divina, ergo. Quod si posset participare gratiam, quam habere supponitur, tunc contingeret participatio participationis naturæ Divinæ, non vero ipsius naturæ Divinæ.

57. Præterea. Nulla qualitas supernaturalis potest esse principaliter productiva gratiæ, sive hæc qualitas sit ipsa gratia, sive à gratia distincta, ergo. Prob. prima pars min. primo quia gratia habitualis non est per se ipsam operativa, & datur ad esse, non ad operari. Secundo quia si gratia posset esse qualitas productiva gratiæ, vel esset in eo subjecto, in quo est, vel in diverso subjecto, non in eo, in quo est, alioquin simile ageret in simile, immo in idem, & in eodem subjecto esse possent duo accidentia solo numero distincta, quod est contra Doctrinam Philosophorum; non in diverso, quia nullum habemus exemplum aut vestigium qualitatis spiritualis, quæ transeunter agat. Prob. secunda pars ejusdem minoris, quia si talis qualitas esset diversa à gratia, & posset producere gratiam, esset causa æquivoca, ergo esset perfectior gratia, quod incredibile est, cum gratia dicatur qualitas indefinita, & radix omnium perfectionum supernaturalium. Quod si hoc de gratia, aut de alia qualitate à gratia distincta dicamus, idem asserendum erit v.g. de lumine gloriæ, & sic illud produci poterit vel ab ipso lumine gloriæ, vel ab alio præter Deum, quod non intelligo.

58. Confirm. conclusio. Producere gratiam est hominem spiritualiter generare in filium Dei, cum jure ad hæreditatem, sed creatura, quæ habet gratiam, non potest ita alium generare, ergo. Ratio autem est, quia ad generandum requiritur, quod generans habeat naturam in statu perfecto, cum generatio ex Philos. sit opus perfecti, qua ratione infantes, licet sint ejusdem naturæ cum homine, generare non possunt, sed natura Divina solum in Deo est in statu perfecto, in creatura vero diminute & accidentario modo, ergo. Merito propterea hic concludit Angelicus. *Necesse est, quod solus Deus deificet communicando consortium naturæ Divinæ per quamdam similitudinis proprietatem, sicut impossibile est, quod aliquid igniat, nisi solus ignis.*

59. Ob. 1. Ignis v.g. produci potest vel ab alio igne, vel à Deo, ergo etiam gratia vel à Deo vel ab alia gratia. Prob. conf. Tam ignis est participatio Dei, ut authoris naturalis, quam gratia sit participatio Dei, ut authoris supernaturalis, & rursus tam invenitur correspondentia in prædicatis specificis inter gratiam & gratiam, quàm inter ignem & ignem, ergo si &c.

Resp. conc. ant. ne conf. disp. est, quia ignis perfectè continet naturam ignis,

ignis, & ignis, qui produceretur verè esset ignis, at gratia non perfectè continet naturam Dei, & gratia, quæ per gratiam produceretur, verè non esset participatio naturæ Divinæ, sed participatio participationis, sicut dixi. Juxta hæc distinguendum est antec. quod affertur ad probandam consequentiam. Præterea. Ignis est participatio Dei, ut authoris naturalis, tanquam causæ universalis, quæ propterea non excludit veram causalitatem causarum particularium, gratia è contra est participatio Dei, ut authoris supernaturalis, tanquam causæ particularis proximæ, & immediatæ; ideo &c. Ad additum. Antec. est verum, si sermo sit de gratia & gratia producta à Deo, non de gratia, quæ produceretur à creatura, quia hæc non esset participatio Divinæ naturæ, sed participationis naturæ Divinæ, ex dictis.

60. Ob. secundo; habens gratiam potest producere habitus supernaturales fidei & spei &c. correspondentes habitibus, ergo etiam potuit producere aliam gratiam. Prob. conf. non minus illi sunt participationes Divini intellectus & voluntatis, quam gratia sit participatio Divinæ naturæ, ergo si &c. quod magis sic roboratur. Licet fides v. g. sit à gratia, non tamen potest inferri, quod sit participatio gratiæ, sed quod sit participatio Divini intellectus, ergo licet gratia esset à gratia non per hoc esset participatio gratiæ, sed naturæ Divinæ.

61. Resp. tranf. ant. ne. conf. etenim si de actibus loquamur, cum isti vitales sint & liberi necessario produci debent à petentia vitali & libera; Si autem de habitibus ant. est falsum, possunt enim tantum à Deo infundi propter rationem in argumento adductam. Ad prob. actus illi sunt participationes Divini intellectus & voluntatis transeunter & mediate, idest media gratia, supposito quod habeantur in homine justo, at gratia est immediata participatio naturæ Divinæ, & ideo non potest præsupponere aliquod, medio quo participetur. Sed dices, in homine peccatore habentur actus fidei & spei, qui sunt participationes Divini intellectus & voluntatis, immo habenter etiam habitus, quin tamen habeantur per gratiam, ergo immediate participatur intellectus, & voluntas Divina, sicut per gratiam immediate participatur natura, ergo si non potest produci gratia nisi à Deo, quia hæc est participatio naturæ Divinæ, neque poterunt produci actus fidei, & spei, quia hi sunt participationes intellectus & voluntatis Divinæ.

62. Sed contra. Quantum ad actus fateor hos esse in peccatore, sed media gratia actuali, uti probatum fuit, & ideo nunquam immediate participant intellectum, & voluntatem Divinam, atque isti etiam non possunt esse nisi per concursum specialem immediatum Dei. Quantum vero ad habitus; fateor, remanere in peccatore semel tamen justificato, unde remanent mediante gratia, quam etsi non habeat, tamen habuit, si vero peccator iste nunquam justus fuit, nunquam habuit habitum fidei & spei. Præterea. Participatio intellectus & voluntatis Divinæ per fidem & spem non infert spiritualem generationem cum jure ad hæreditatem &c. sicut infert participatio gratiæ habitualis, quæ proinde non poterit haberi nisi à Deo.

Collige, quod si à gratia separarentur effectus isti, quæstio nostra nulla esset.

63. Ob. tertio. Saltem per gratiam Christi Domini, quæ fuit gratia unionis hipostaticæ poterit habitualis gratia produci, ergo saltem Christus ut homo poterit esse causa efficiens gratiæ. Prob. ant. gratia unionis præstantior est gratia habituali, ergo. Præterea. Ipsa gratia habitualis Christi poterit hoc præstare. Probo. Quanto gratia est perfectius unita subjecto, tanto præstantiores effectus potest proferre, ut constat in Patria, ubi est radix luminis gloriæ, & in Adamo, in quo erat radix justitiæ originalis & integritatis, sed gratia habitualis erat per-

perfectissime unita Christi humanitati, ergo poterat præstantissimum effectum proferre, sicut est gratiam producere. Rursus. Christus Dominus non imperfectiori modo habet gratiam habitualem, quam quodlibet agens naturale habeat suam formam naturalem, sed agens naturale potest aliam formam similem producere, ergo etiam Christus &c. Tandem. Ad Christum pertinet excellentiori modo gratiam producere, quàm conveniat cœteris rebus, sed cœteris rebus convenit producere instrumentaliter, ergo ad Christum pertinebit producere principaliter.

64. Resp. ne. absolute ant. quamvis dici posset cum Medina & Cabrera, Christum esse causam principalem secundariam gratiæ sanctificantis in omnibus justis. Ad prob. dico, majorem excellentiam, quæ relucet in gratia unionis esse tantummodo ad constituendum suppositum, non vero ad immutandas facultates humanitatis assumptæ, quæ propterea non possunt aliquid physice efficere quod antea non poterant, nisi eleventur per aliam qualitatem supernaturalem, quare cum hujusmodi qualitas repugnet, uti probatum est, sequitur &c. Ratio autem horum est, quia personalitas Verbi unitur humanitati tanquam terminus, non tanquam forma informans vel formaliter vel æquivalenter. Quomodo ergo, inquies, intelligendum erit illud Joan. 1. *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est?* Intellexit sane S. Th. de Christo tanquam de causa principali, ait enim in 4. dis. 5. qu. 2. art. 2. *Agens principale in baptizando est ipse Deus per auctoritatem, & ipse Christus secundum quod homo.* Resp. intelligendum esse in hoc sensu, quod Christus tum ut Deus, tum ut homo est causa gratiæ & veritatis, & ipsi convenire, esse agens principale, sed sub diversa consideratione, nam ut Deus est agens principale physicum, ut homo est præcipuum instrumentum, idest instrumentum conjunctum Divinitati, ut Deus est principium effectivum; ut homo est principium meritorium, quod est juxta S. Th. loco cit. ibi enim addit hæc verba, *cujus meritum operatur in baptismo*. Ad secundum ne. ant. ad prob. dis. maj. præstantiores effectus intra propriam spheram, & cum quibus servat ordinem & proportionem conc. aliter, ut in re nostra ne. Ad tertium, major est vera in aliquo sensu, quatenus Christus habet gratiam habitualem perfectissimo modo, qui nulli creaturæ convenire potest, in aliquo sensu est falsa, quatenus agens naturale habet formam naturalem substantialiter & in esse completo; Christus autem habens gratiam possidet naturam Divinam solum participative & in esse diminuto, proinde licet agens naturale &c non tamen Christus &c. Quapropter si S. Th. 1. p. qu. 7. art. 9. inquit: *Christum habuisse maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus*. Ly sicuti intelligendum est in priori sensu, non in posteriori. Ad ultimum; patet quid dicendum ex respons. ad primum.

65. Ob. ultimo. Virtus productiva gratiæ non esset infinita, quia ipsa gratia non est qualitas infinita, ergo poterit communicari creaturæ. Præterea. Virtus creativa potest convenire creaturæ, ergo à fortiori eductiva, sicuti est productio gratiæ. Tandem. Omnipotentia Divina communicata creaturæ potest producere quidquid producit omnipotentia Divina, ergo etiam natura Divina communicata creaturæ, potest producere quod producit natura Divina, sed hæc producit sui participationem, ergo etiam creatura poterit &c.

66. Resp. ad primum à nobis non negari efficientiam gratiæ, quia ad hujus productionem requiratur virtus infinita, sed ex aliis capitibus, ut constat ex probatione nostra; sed si etiam negaremus titulo infinitatis, recte negaremus, quamvis enim in productione gratiæ non appareat infinitas ex parte termini, reperitur tamen ex parte principii, quia hoc

hoc debet esse Divinum. Addo, argumentum probare, communicari posse creaturæ omne id, quod finitum est, quod tamen est falsum. Ad secundum conc. ant. ne. cons. argumentum enim à majori ad minus non tenet, quando non sistimus in eodem genere rerum, quia quod minus est in uno genere, esse potest majus in alio. Itaque virtus creativa major est eductiva, si utraque sit in linea naturali, eductiva vero est major creativa, si illa sit in linea supernaturali, hæc in naturali, gratiam autem producere per eductionem est aliquid producere in linea supernaturali, immo id, quod omnium supernaturalium est maximum. Ad ultimum. Dis. ant. nec tamen potest producere participationem omnipotentiæ Divinæ conc. & potest producere &c. ne. ant. & sic ad reliqua; & de facto natura Divina communicata creaturæ per gratiam producit, quod producit natura Divina, idest intellectionem & volitionem supernaturalem; nunquam tamen potest producere participationem ejusdem naturæ Divinæ, sicut habens omnipotentiam communicatam, nunquam producet participationem Divinæ omnipotentiæ, licet ejusdem effectus producat.

67. Nunc breviter assignanda est causa materialis seù receptiva ejusdem gratiæ. Volunt Thomistæ, hanc esse ipsam animam secundum se consideratam, Scotistæ verò esse voluntatem; & clarius; Qui asserunt, habitum charitatis re distingui à gratia, dicunt, gratiam esse in anima tanquam in subjecto immediato, qui vero sentiunt oppositum in illo puncto, sentiunt & in isto, excepto S. Bonavent. & Ripalda; Quare sicut inanem existimavimus quæstionem illam circa distinctionem inter gratiam & charitatem, ita & istam; & sicut per nos non distinguuntur potentiæ animæ ab anima, ita vanum est distinguere subjectum gratiæ à subjecto charitatis; Qua in re deberemus confugere ad præcisiones objectivas, quod in hac materia Theologum dedecet; Sit igitur subjectum anima, sit voluntas, nihil interest, & qui in hisce nugis immorari velit, plura apud authores inveniet, quibus tempus proterat & ingenium.

ARTICULUS VI.

Expenduntur plura de gratia habituali.

68. QUæ solent à Doctoribus de gratia habituali ulterius inquiri, non multum sibi postulant studii, atque ex iis, quæ in Philosophia tradita suppono, facillimè resolvuntur. Nihilo tamen minus, ne quid lateat quod Theologi tractant, à me breviter expendentur.

Quæritur 1. an gratia habitualis inæqualiter detur, & responsio est affirmativa, sive loquamur de diversis personis pro eodem tempore, sive de eadem persona pro tempore diverso. Hoc apertè colligitur ex Trident. ses.6.cap.7. ubi dicit, gratiam dari ad mensuram dispositionis, quod inconsulto dictum esset, si vel gratia esset eadem, vel semper eadem dispositio; tum ex Florent. in lit. unionis de Sacram. Euchar. & multo ante idem definitum fuit contra Jovinian. in Concil. Mediol. sub Siricio Papa. Contendebat autem Jovinianus esse in omnibus justis æqualem gratiam, quia existimabat, omnia opera hominis viatoris esse æqualis meriti, quem deinde errorem excitarunt Novatores cum Luthero arbitrante, omnes justificari per justitiam Christi imputatam, quamvis aliqui gratiæ inæqualitatem admiserint propter inæqualem fiduciam, qua quis sibi persuaderet, justitiam Christi sibi magis, vel minus imputari.

69. Fundamentum autem asserendi quod à nobis statutum fuit desumitur ex Sacris Scripturis. 2. ad Corint. 9. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*. Ad Eph. 4. *Unicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Apocalip. ultimo. *Qui justus est justi-*

justificetur adhuc. Hac in re plurima Sanctorum Patrum sunt testimonia, quibus dicuntur alii aliis sanctiores, & stellæ in claritate à stellis differre; Sufficiat tamen illud Augustini in epis. 57. ad Dard. ubi ait; *Deus totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, quamvis in quibus habitat pro suæ capacitatis diversitate alii amplius, alii minus &c.* Neque vero ratio deest; nam primo gratia est in genere qualitatis, qualitas autem, quæcumque sit, capax est majoris & majoris intensionis in infinitum, ideo repugnat per me qualitas infinita, & quamvis etiam non repugnaret, tamen non debet admitti de facto gratia infinita. Secundo si gratia non posset augeri, superflua essent post primam justificationem omnia alia opera bona, superflua Sacramenta &c. Immo etiam data falsa Hæreticorum doctrina adhuc justitia esset inæqualis, quia si hæc imputatur ex fiducia, sicut dari potest una fiducia major alia, ita deberet dari una gratia major alia.

70. Dices, gratia habitualis consistit in indivisibili, ergo non potest una gratia esse major alia. Prob. ant. natura & vita consistit in indivisibili, nec unum dicitur vivere magis alio, ergo etiam gratia, quæ appellatur vita spiritualis animæ. Sed contra ne. ant. & ad prob. antec. esse verum de vita substantiali, quia ad substantiam ut substantia est, pertinet non suscipere magis & minus, quo ad usque est in eadem specie, falsum tamen est de vita accidentali, quæ potest magis vel minus participari, & intensa fieri, talis autem est vita per gratiam. His adduntur ea omnia, quæ tradunt Theologi de inæqualitate visionis beatę, de qua nos suo loco.

71. Quæritur secundo. An gratia habitualis habeat terminum intrinsecum magnitudinis.

Respond. negative. Ratio est, quia si haberet hunc terminum intrinsecum, vel haberet ex parte Dei, vel ex parte sui, vel ex parte subjecti, sed ex neutro capite, ergo. Prob. prima pars min. Deus est infinitus, nec unquam talis fit ejusdem participatio, ut amplius participari non possit, nec ita diligitur, ut non sit amplius diligibilis, ergo ex parte Dei &c. Prob. secunda pars; quia si habet hunc terminum intrinsecum ex parte sui, hoc esset, quia est res creata, & omne creatum finitum est, sed hoc non valet de qualitate accidentaria, quia licet sit catagorematicè finita, syncategorematicè tamen infinita est, ergo. Prob. tertia. Dum sermo est de gratia, non est attendenda capacitas naturalis subjecti, sed obedientialis, unde ait S. Thom. 2. 2. qu. 24. art. 3. *Quantitas charitatis non dependet à conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis*. Atqui capacitas obedientialis creaturæ, utpote subdita Deo infinito in agendo, non habet &c., ergo. Habebit igitur gratia tantummodo terminum extrinsecum magnitudinis idest in præscientia & Divina prædestinatione, quatenus Deus decrevit tantam dare, & non majorem, in quo sensu intelligendi sunt Sancti Patres, si qui afferantur, inter quos Sanctus Bonaventura.

72. Quæritur tertio. Unum gratia in homine lapso possit augeri, usque dum fomes extinguatur; dixi, *in homina lapso*, indicaturus sermonem non esse de Beatissima Virgine.

Respon. negative, quod est contra Pelagian. si credamus S. Hieronymo in epis. ad Thesiphon. ostenditur responsio primo ratione. Non potest dari peccatum, per quod auferatur potestas bene operandi, ergo non potest dari gratia, per quam auferatur facultas male operandi. Secundo quænam operationes hanc sibi gratiam promereri possent? aut quibus hujusmodi gratia promissa est? immo solet oppositum evenire, qui enim perfectius operantur, persępe vehementiores fomitis stimulos patiuntur. Hinc Apostolus cui tanta gratiæ copia concessa est, *sentio* dicebat, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*,

meæ, & rurſus. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet*. Quare ſi alicui viro conceſſum aliqnando legimus hujuſmodi privilegium, id non gratiæ habituali tribuendum, ſed diſtincto alteri beneficio.

73. Queritur quarto. Utrum gratia ſit perfectior reliquis habitibus virtutum, etiam luminæ gloriæ, & Dei maternitate.

Reſp. affirmative. Ratio primæ & ſecundæ partis eſt, quia licet Divinæ perfectiones ſint realiter æquales, immo ſint una ſimplex perfectio, attamen in propria linea ſaltem virtualiter inæquales ſunt, & illa perfectior cenſenda eſt, quæ communicatur ut radix cœterorum, ſicut natura cenſetur perfectior attributis, & eſſentia proprietatibus, atqui gratia ſe habet adinſtar naturæ, reliqui habitus adinſtar proprietatem, ergo. Secundo quia quod eſt principium in pluribus lineis perfectius eſt eo, quod eſt principium in unica tantùm linea, ſed primo modo ſe habet gratia, ſecundo modo reliqui habitus, ergo. Ratio tertiæ partis deſumitur ex illo dicto Auguſtini tract. 10. in Joan. *Mater mea quam appellatis felicem, inde felix, quia Verbum Dei cuſtodivit, non quia in illa caro factum eſt*. Et rurſus, *Beata Virgo felicior fuit percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti*. Et tandem lib. de Virginit. cap. 3. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet*. Quod quidem ſatis indicavit Chriſtus, cùm Mulieri dicenti: *Beatus venter, qui te portavit*. Reſpondit. *Quin immo Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Secundo, quia Maternitas eſt quidem phyſica cauſalitas in Chriſti humanitatem, nullam tamen includens excellentiam niſi extrinſecam, &, ut ajunt, terminative; è contra gratia habitualis eſt excellentia & dignitas intrinſeca cuicumque operationi tribuens dignitatem, ergo.

74. Dices contra ſecundam partem reſponſionis. Habitus patriæ perfectior eſt habitu viæ, ſed lumen gloriæ eſt habitus patriæ, gratia eſt habitus viæ, ergo illud perfectius iſta. Præterea. Major eſt perfectio finis, quàm medii, cum hoc ſit propter illum, atqui lumen gloriæ eſt finis, gratia eſt medium, ergo. Tandem. Per viſionem beatam evadimus magis ſimiles Deo: *Cum enim apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*. Sed ubi eſt major ſimilitudo Dei, eſt major perfectio, ergo.

Sed contra. Diſ. maj. qui ſit tantùm habitus viæ conc. qui ſit ſimul habitus viæ & patriæ ne. maj. è contra diſ. ſecunda parte minoris ne. conſ. Ad 2. dico finem eſſe excellentiorem medio puro, non autem eo medio, in quo tanquam in ſui radice & principio continetur etiam finis, ſic intellectus eſt perfectior intellectione, & arbor ſuo fructu. Ad 3. diſ. maj. per viſionem beatam evadimus &c. in linea intentionali conc. in linea phyſica vel morali ex qua progreditur ipſa ſimilitudo intentionalis ne. maj. è contra diſtincta mi. ne. conſ. Dicamus igitur cum Sancto Auguſtino. Potius optandum, eſſe in inferno cum gratia, quàm ſine gratia in Paradiſo.

75. Dices contra tertiam partem. Titulo Maternitatis debitus eſt Beatiſſimæ Virgini cultus hiperduliæ, non ſic titulo gratiæ habitualis, & ita Maria habet quandam dignitatem infinitam, quam propter gratiam non habet, ergo Maternitas perfectior eſt gratia.

Sed contra. Diſ. ant. titulo Maternitatis habentis excellentiam ex parte termini conc. ex parte ſui ſubdiſ. titulo Maternitatis, & ſimul gratiæ habitualis conc. ſolius Maternitatis ne. ant. & conſ. Porro argumentum adductum non tenet; nam etiam Crux adoratur cultu latriæ, nec tamen in Cruce eſt aliqua intrinſeca dignitas, nec major quàm gratiæ perfectio; Debitus igitur eſt etiam Virginis Maternitati cultus hiperduliæ, ſed ſumendo Maternitatem ſimul cum gratia. *Qui enim fecerit voluntatem Patris*

tris mei, hic meus Frater, & Soror, & Mater est. Hæc est affinitas illa, quæ cum in Virgine major & excellentior sit, quàm in quovis alio, excellentiorem etiam sibi vindicat cultum,

QUÆSTIO VI.

De Justificatione.

ARTICULUS I.

Quædam circa Justificationem Vestibula.

1. PRiusquam ad dirimendam quæstionem de justificatione progrediamur, non est abs re plura præmittere, quæ de ipsa voce & calamo protulerunt Hæretici. Apud Calvinum, Lutherum, eorumque Sectatores nihil aliud intelligitur, nisi peccatorum remissio, per quam homo pronuntietur justus ac declaretur, quamvis revera in se ipso justus non sit; quod quidem evincere arbitrantur, quia in Scriptura Sancta, verbum hoc justificare sit forense, institutum ad absolvendum aliquem à crimine sic ps.50. legitur: *Ut justificeris, & vincas cum judicaris*. Isaiæ. 5. *Væ, qui justificatis impium*. Proverb. 17. *Qui justificat impium, & condemnat justum, abominatio est*. Et Mat.12. dixit Christus; *Ex verbis tuis justificaberis, vel condemnaberis*.

2. Quamvis tamen in hac re conveniant Hæretici, in varias nihilominus abjere sententias; immo tanta fuit opinionum confusio, ut ipsimet, veritatem reperiendam esse, desperent; Si Lutherum interrogemus, respondet, causam formalem justificationis nostræ esse fidem, & Christum per fidem apprehensum; ait enim in Comment. ad cap. 2. ad Galat. *Sicut Sophistæ* (hoc nomine nos appellat) *dicunt charitatem informare, & imbuere fidem, sic nos dicimus Christum informare, & imbuere fidem, vel formam esse fidei*; ideo concludit; Christus per fidem apprehensus est justitia Christiana, propter quam à Deo justi reputamur, & æterna vita nobis donatur. Hoc vero ita docuit, ut paulo infra soli fidei justificationis meritum tribueretur, addit enim. *Est ergo formalis justitia nostra ipsa fides & nebula cordis, hoc est fiducia in rem, quæ non videtur*.

3. Magistrum suum sequutus Melanct. in confess. August. art. 4. docet, ipsam fidem nobis coram Deo pro justitia imputari, etsi in apolog. confess. art. 4. & duobus sequentibus hoc non tribuat fidei propter ipsius virtutem, sed propter Christi meritum, quia sic concipimus Dei misericordiam.

4. Osiander vero, quamvis Lutheri Sectator sicut Melanct. ita non docuit, sed recensens viginti discrepantes opiniones, asserit, formalem causam nostræ justificationis esse ipsam justitiam, qua Deus justus est, & sic exposuit, quod Lutherus tradidit. Christum in nobis habitantem esse nostram formalem justitiam. In hoc mediam tenuit viam, sed minimè tutam; nec agnovit cum Lutheranis aliis justitiam imputativam, nec cum Catholicis intimam & inhærentem, sed solum inhabitantem; quare concludit, Deum non acceptare ullam justitiam, nisi quæ est sui propria, sibique essentialis.

5. Osiandro aliquo modo adhæsit Matthias Illyricus, aliquo modo ab ipso recessit. Voluit enim iste cent. 1. lib. 2. justitiam nostram sitam non esse in Divina substantialique justitia, sed in toto ope-

opere, quod Christus homo & Deus, veluti mediator Dei & hominum, pro nobis obtulit, atque in hunc sensum devenerunt in colloq. Altemburgensi Lutherani rigidi, ideest Saxonici, & molles, ideest Electorales. *Obedientia*, statuerunt, *& meritum Christi est res ipsa, quæ nobis imputatur, est justitia ipsa, quæ nobis donatur, atque adscribitur*.

6. Sequitur Calvinus; & lib. 3. institut. cap. 11. sentiens cum Lutheranis nullam esse in nobis justitiam inhærentem, & nobis imputari justitiam Christi, ita ut propter ipsam condonentur peccata, docuit supra Lutheranos, in ipsa peccati condonatione seù remissione nostram consistere justificationem, ad quod dicendum inducitur, quia justificationem sumit pro nomine forensi, ut supra dictum fuit.

7. Tandem Bucerus librum edidit, quem inscripsit *concordiæ*, fortasse ut aliquos Catholicos seduceret, ut factum fuit. Hic duplicem justitiam excogitavit. Unam imperfectam, quam virtutibus nobis inhærentibus concessit; (Ecce sic ad Catholicos accedebat,) aliam perfectam, quam in justitia Christi nobis imputata prædicavit) ecce sic ad Lutheranos) Nunquam enim, dicebat, justitia nostra hujusmodi esse potest, ut judicium Dei sustinere valeat, nam, ut legitur, *non intres in judicium cum servo tuo, quia apud te non justificabitur homo.* Necesse est, nobis imputetur justitia Christi, qua induti & quodammodo tecti coram Deo apparere possimus, justique declarari, quapropter non deleri peccata sed tegi tantum sequebatur.

Ex his omnibus apparet, quid à nobis præcipue agendum sit in hac quæstione, ut hæc omnia, quæ contra nostram fidem Diaboli fraude inventa sunt, examinemus & refellamus. Sed quia jam præcipuum punctum in tractatu de fide resolutum est, an scilicet justificatio haberi possit per solam fidem, ideo hoc omittendo.

ARTICULUS II.

Utrum Justificatio nostra consistat formaliter in justitia Christi nobis imputata, per consequens, utrum in justificatione verè peccata remittantur vel solum tegantur.

8. EST hìc error ille Sectariorum refellendus, quo juxta superius dicta docent, justificationem nostram in hoc tantum consistere, quod quamvis justi non simus, attamen justi declaremur, & per gratiam Christi nobis imputatam & à nobis apprehensam ita tegantur peccata nostra, ut ante Divinam justitiam non appareant; etenim, si vellent Hæretici justitiam & merita Christi ita nobis imputari, ut nobis donentur, & Deo à nobis offerri possint pro peccatis nostris ex quo Christus super se pro illis satisfaciendi onus susceperit, eorum non esset improbanda Doctrina, sed quod Christi justitia ita nobis imputetur, ut per ipsam justi nominemur & simus, ut loquitur Joan. hoc nullo pacto potest admitti, sed revera dici debet in iustificatione aliquid intrinsece nobis donari, quod neque sit justitia Christi, nec solum tegantur peccata, sed revera deleantur, ita ut amplius non sint.

9. Colligimus hoc ex Divinis Scripturis, ex quibus deinde ratio deducetur. Primo. In veteri Testamento plura nobis afferuntur testimonia. Isaiæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Ps. 50. *Asperges me hyssopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*. Ps. 102. *Quantum distat ortus ab occidente longe fecit à nobis iniquitates nostras*. Mich. 7. *Projiciet in profundum maris peccata vestra*. Porro ita nubes, ac nebulæ dissipantur, ut nec quidem earum vestigium relinquatur, ita per aquam mundam purgantur vestes, ut nulla sordes

des remaneat, ita per hyſopum mundantur quæ aſperguntur, ut nullum ſuperſit inquinamentum; neque poſſunt hæc intelligi per hoc ſolùm, quod rubes tegantur, aut tegantur ſordes, præſertim ſi detur dealbatio ſuper albedinem nivis, ergo; rurſus, ita à nobis longè fieri iniquitates & in mare projici, eſt eas omnino tolli, ergo.

10. Secundo in novo teſtamento plura ſimilia immo magis expreſſa reperiuntur. Jo. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. 1. Joan. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Act. 3. *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Ad Hebr. 1. *Peccatorum purgationem faciens* 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Ad Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Et rurſus. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam*. Quæ omnia vera eſſe non poſſent, niſi dicamus, in juſtificatione peccata non ſolùm tegi, ſed omnino deleri.

11. Quamquam vero omnes laudatæ Scripturę à nobis omitterentur, unam afferre ſufficeret, qua arbitratu meo convincantur Hæretici neceſſum eſt. Ea autem eſt, quam tradit Apoſtolus ad Roman. 4. ubi ait. *Sicut per inobedientiam Adami peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam Chriſti juſti conſtituuntur multi*, atqui per inobedientiam Adami fuimus revera peccatores, & ipſa non fuit tantùm nobis imputata, ſed revera peccatum intulit, ergo etiam per obedientiam Chriſti ſumus revera juſti, neque ipſa eſt tantùm nobis imputata, ſed re peccatum aufert. Quare Adam fuit cauſa efficiens injuſtitiæ noſtræ, non ſic formalis, & Chriſtus eſt cauſa efficiens juſtitiæ noſtræ, non ſic formalis. Argumentum hoc amplius inſtauro. Per Chriſtum fuit nobis reſtitutum quod fuit in Adamo deperditum quantum pertinet ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ut loquuntur Sancti PP. ſed in Adamo non perdidimus tantum juſtitiam imputative talem, neque imaginem & ſimilitudinem Dei per imputationem, ſed veram & intrinſecam juſtitiam, ergo etiam per Chriſtum nobis reſtituitur juſtitia vere, & non tantum imputative. Quod ſi per Chriſti juſtitiam nobis imputatam nos juſti poſſumus appellari, quare Chriſtus per injuſtitiam noſtram ipſi imputatam non dicetur peccator, injuſtus, ſceleſtus, & quod horrendum eſt, Diaboli filius?

12. Progredior modo ad evertendum potiſſimum Hæreticorum fundamentum; aſſerunt enim, imputationem hanc neceſſariam eſſe non tantùm quia peccatum ſemper in nobis eſt, ſed quia juſtitia noſtra nequit eſſe hujuſmodi perfectionis, ut nos juſtificandi vim habeat. Si hoc falſum eſſe demonſtro, cauſa finita eſt; demonſtro autem ſic. Si in hac vita eſſe poteſt perfecta fides, ſpes, & charitas, etiam juſtitia noſtra perfecta eſſe poteſt quantum attinet ad ſubſtantiam, nam ſi loquamur de intenſione, ultro concedimus hanc perfectionem non inveniri, ſed hæc ſpectat ad majorem juſtitiam, non ad juſtitiam ſimpliciter; atqui in hac vita eſſe poteſt perfecta fides, ſpes, & charitas, ergo. Prob. mi. primo de fide, ſi fides in hac vita perfecta eſſe non poteſt, ubi erit? num in Patria? minime; quia in patria evacuabitur. Præterea; ait S. Petrus Epiſ. 1. cap. 1. *Ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam*. S. Joan. epiſ. 1. cap. 5. *Hęc eſt victoria, quę vincit mundum, fides noſtra*. Sanctus Paulus ad Hebr. 3. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*. At quo pacto hæc vera eſſent, ſi fides foret tam languida & infirma, ut contendunt Hæretici? Ad probandam ſecundam partem minoris, quæ ad ſpem pertinet, utor cap. 6. epiſ. ad Hæbr. quod ſic concluditur. *Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propoſitum quam ſicut anchoram habemus animę firmam ac tutam*. De Charitate autem quid dicam?

Ut hæc perfecta sit quid requiritur, nisi quod Deus diligatur ex toto corde, ex anima tota? At hoc nonne in pluribus hominibus evenit, quod olim dictum fuit de David Eccl. 47. *De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit eum qui fecit illum*? An vanam dicemus promissionem à Deo factam in Deuter. c. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligat Deum in toto corde, & in tota anima sua*? Si Joan. 15. dixit Christus: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Nonne hoc in tot Martyribus factum esse & legimus & admiramur? Quid ergo prohibet, etiam in hac vita dari perfectam charitatem asseramus? dabitur igitur & perfecta justitia.

12. Nunc devenirem ad perpetuam omnium Sanctorum Patrum traditionem; sed ipsi adversarii concedunt, justificationem per Patres consistere in renovatione interna & sanctificatione, & in tantum temeritatis processit Kemnitius, ut in 1. p. examinis Concilii Trident. dixerit, ideo à Patribus hoc dictum esse, quia rudes erant, & verborum proprietatis imperiti. Calvinus vero, qui in aliis solum Augustinum admittere solet, eum in hoc excipit & dicit lib. 3. instit. cap. 11. §. 15. *At ne Augustini quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitę novitatem per Spiritum regeneramur*. Adeo clare Sanctus Doctor veritatem hanc nostram docuerat, ut hæc à Calvino negari non poterat, quin negaretur Augustinus. *Quid est aliud*, inquit ep. 81. ad Crescon. *justitia cum in nobis est, vel quęlibet virtus, qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo*? Et 15. de Trinit. cap. 8. *Quę natura cum à suo conditore justificatur à deformi forma formosam transfertur in formam*. Idem docent Ambros. lib. 6. Exam. cap. 8. Hieronym. lib. 1. adversus Pelagian. Prosper. in respon. ad cap. 6. Gallorum, omnesque Patres Græci, Basil. lib. 1. de Baptis. cap. 2. Chrysost. hom. 16. in primam ad Corint. Nyssenus, Nazianzenus &c.

Hisce omnibus necte ea quæ definita sunt à Concilio Tridentino, de quibus à nobis dictum fuit, art. 2. præcedentis quæst.

ARTICULUS III.

Afferuntur Hæreticorum argumenta, & refelluntur.

13. Prima argumenta desumunt Hæretici ex iis, quæ in epist. suis tradidit Paulus. Prima ad Corint. 1. legitur de Christo. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & justitia, & redemptio.* 2. ad Corint. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*. Rursus ibidem. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficiamur justitia Dei in ipso*. Ex primo textu sic licet inferre, ergo justitia nostra est justitia Christi; ex Secundo sic, ergo ideo reconciliamur, quia nobis peccata non reputantur, idest imputantur. Ex tertio sic, ergo sicut peccata nostra fuerunt imputata Christo, nec tamen fuerunt in Christo, ita justitia Christi fuit imputata nobis, nec tamen est in nobis.

14. Pergunt Hæretici. Ad Ephes. 1. *Deus nos acceptos habuit in dilecto filio suo*, ergo nos non habet acceptos in nobis, ergo in nobis nulla est justitia. Ad eosdem 4. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est*. Hæc autem similitudo ab indumento desumpta innuit nos justificari per justitiam extrinsecam, quæ nos tegat, ne turpitudine nostra Dei oculi offendantur, & sicuti Jacob indutus vestimentis Esau primogeniti fuit pro primogenito reputatus, & à Patre cum benedictione hæreditatem obtinuit, ita nos induti justitia Christi benedictionem à Domino regnumque Cœlorum consequimur.

15. Resp. textus Apostoli verissimos esse,

esse, sed non juxta mentem Hæreticorum, ita ut justi simus ex justitia, quæ est in Christo nobis imputata, sed alia de causa, quia videlicet fuit causa efficiens meritoria justitiæ nostræ & sapientiæ & redemptionis, cum nos redemerit, justosque sapientesque fecerit nos Patri suo reconciliando. Hoc novum non est in scripturis Sanctis, nam etiam dicitur fortitudo nostra, patientia nostra, salus nostra, nec tamen hæc intelligenda sunt nisi in genere causę efficientis, juxta illud ps. 36. *Salus autem justorum à Domino*. Præterea. Dicitur Christus justitia nostra, quia Patri satisfecit pro nobis, & dum nos justificat, satisfactionem istam communicat nobis & donat, tanquam si esset satisfactio nostra, nec enim per justitiam nostram nobis inhærentem satisfacimus Deo vel pro culpis nostris, vel pro pœna æterna, sed justitia nostra cum remissione culpæ & pœnæ est effectus satisfactionis Christi, quæ ex Trident. sess. 6. cap. 7. nobis in justificatione confertur & applicatur, In hoc autem sensu vere justitia & merita Christi nobis imputantur.

16. In secundo textu ly *non reputans delicta eorum* secum infert veram delictorum remissionem, & infusionem justitiæ, ut infra magis ostendam; atque hoc est juxta ejusdem Pauli doctrinam ad Colos. 2. ubi ait. *Convivificavit vos Christo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat Chyrographum decreti*, & infra, *abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes regnabunt in vita per ipsum* igitur justificatio non consistit in sola non imputatione delictorum, sed in eo quod deleatur peccatum, & accipiatur abundantia gratię & justitiæ.

17. Pro tertii textus explicatione sufficeret quod diximus; Si enim non solum nominamur, sed & sumus justi per justitiam Christi, etiam Christus dici debet atque esse iniquus per injustitiam nostram. Factus igitur est Christus peccatum, seù peccator pro nobis, quia suscepit onus satisfaciendi pro peccatis nostris, in quo maximè apparuit ejus justitia, qui enim pro peccatore satisfacit peccator esse non potest. Quapropter imputata sunt ei peccata nostra, ut fieret hostia pro ipsis, non ut fieret per ipsa peccator, & ita nobis imputatur justitia Christi, idest satisfactio per Christum, sed non propterea per hanc justi sumus, si vere à nobis peccatorum maculæ sordesque non tollantur; Dicimur autem nos *justitia* in illo, quo termino potius uti voluit Paulus, quàm nos dicere *justos*, ut servaret antythesim cum voce *peccatum*. Quod tamen inconveniens non est, sicut dixit Christus Apostolis Mat. 5. *Vos estis lux mundi*, & Apost. ad Ephes. 2. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Sed quemadmodum Christus non imputativè, sed verè factus est hostia pro peccato, ita nos non imputativè, sed verè evadimus justi, divinamque justitiam nobis inhærentem participamus.

18. Quartus textus mirificè pro nobis affertur, ex illo namque probatur, non solùm per filii merita nobis peccata remitti, sed etiam animabus nostris pulchritudinem, per quam à Deo diligamur, infundi, & per quam utique in nobis existentem ipsius efficiamur amici. Hæc est expositio Chrysost. tam fidelis Sancti Pauli Epistolarum interpretis in comment. laudati loci, ubi similitudinem profert cujusdam scabiosi à morbo libertati, & dicit, hunc venustum non reddi ex eo præcisè quod à scabie liberetur, sed per alia adjuncta, ita & animam nostram esse à Deo dilectam, non quia solùm à peccato liberetur, sed etiam quia alia positivè ipsi tribuuntur, & in ipsa permanent; Hoc autem nobis præstat Deus in dilecto filio suo cui omnia debemus, & cujus meritorum intuitu omnia nobis donavit.

19. Ultimus denique textus magis probat quod à nobis traditum est sumendo argumentum à peccato Adæ, quod nobis non tantùm imputatum fuit, sed vere

vere fuit in nobis; etenim antequam Apostolus diceret, *induite novum hominem*, dixit, *deponite veterem hominem secundum pristinam conversationem*. Subsumo, sed deponere veterem hominem est deponere peccatum quod in nobis est, ergo induere novum hominem est assumere justitiam, quæ in nobis est. Nec moveat in oppositum similitudo indumenti per quod tegimur, etenim alio titulo justitia, etsi nobis inhæreat & non tantum imputetur, vestis nomine potest appellari; Primo quia non est nobis naturalis sed extrinsecus advenit per donum Spiritus Sancti, & sic explicat Sanctus Augustinus ser. 15. de verb. Apostoli illa verba: *Sacerdotes tui induantur justitia*, inquiens. *Vestis accipitur, non cum capillis nascitur, pecora de suo vestiuntur*. Secundo; quia per vestes distinguuntur homines, & sic justitia distinguit justum ab injusto, & facit, ut Christum, qui in corde residet, homines opere & moribus exprimant. Denique frequenter in Scripturis *inducre* sumitur pro abundantius habere, sic ps.64. *Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento.* Et Judicum 6. legitur: Spiritus Domini induit Gedeon, idest copiosè super Gedeon descendit; & sæpe in psalmis habetur, *induantur confusione* scilicet fiat tam magna confusio, ut omnibus sit manifesta. Sic igitur dum dicitur, *induite novum hominem* est dicere tunc homines induere justitiam, cum abundantius gratiam & justitiam habentes eam per sanctas operationes etiam extrinsecus producunt, & ita contingat quod dictum est. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Ex hisce omnibus constat, in quonam sensu exemplum Jacob induti vestibus Esau teneat, nimirum, si referatur ad satisfactionem Christi & ejusdem merita, quibus veluti tecti veniam à Deo imploremus, verum est, si ad justitiam, qua formaliter justi simus, est falsum; sed profecto ad rem non est, si rectè perpendatur; nam Jacob vestitus indumentis Esau significabat Christum indutum hædinis pellibus peccatorum, & ita benedictionem obtinuit à Patre, ut in ipso gentes omnes benedictionem acciperent.

20. Argumentum secundum desumitur ex quo quod nomen justificationis sit nomen forense, quod significat justum declarare, non tamen facere, ut dictum fuit per Scripturas adductas sub initio quæstionis num. 1. Præterea; psal.31. legitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Et rursus. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ergo justificatio in hoc præcisè consistit, quod peccata tegantur, & non imputentur, nam si in quopiam alio collocaretur, non posset vir ille rectè dici Beatus.

21. Resp. ad primum; licet apud homines, quos aliorum innocentia, vel iniquitas latet, accipi possit hoc verbum *justificare* tanquam forense, idest justum declarare, non sic tamen apud Deum, qui cum scrutetur renes & corda, neminem declarat justum, nisi revera justus sit, & sicuti, si judices humani declararent aliquem justum, quamvis reus esset, male agerent, ita si Deus justificaret declarando aliquem justum, qui revera peccator esset, male declararet, quod esset Deum destruere. Sed falsum est, semper in Scripturis verbum hoc forensi modo usurpari, maximè in re de qua disputationem habemus; jam allatus est textus Apostoli, in quo comparatur injustitia hominum per peccatum Adæ justitiæ ipsorum per obedientiam Christi, sed rursus perpendamus illa verba ad Rom. 8. *Quos justificavit hos & glorificavit*. Peto, illos glorificare, nonne fuit verè gloriosos efficere? ergo etiam illos justificare est vere justos facere; quare sic amplius argumentor. Gloria Christi non fuit mere hominibus imputata, ergo etiam justitia Christi non fuit mere hominibus imputata. Quidquid de gloria dicetur, dicam ego de justitia.

22. Ex

22. Ex hac doctrina colligendum, quod quotieſcumque dicitur, aliquid à Deo hominibus imputari, revera in hominibus eſt, vel tanquam cauſa vel tanquam effectus, ſi ab eo habeatur denominatio; & ita explica illud, quod dicitur, Abrahamum credidiſſe, & illi reputatum eſſe ad juſtitiam, hæc enim reputatio, ſeù imputatio non eſt ſimplex exiſtimatio, ſed talis, ut ipſi veritas in re correſpondeat, ſicuti cum dicitur; *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum*. In quo textu non explicatur merces imputata ſecundum ſolam exiſtimationem, ſed ſecundum rem.

23. Ad ſecundum dico, tegi peccata apud Deum idem eſſe ac peccata prorſus deleri, quod enim adhuc eſt, Deo occultum eſſe non poteſt, cum ipſius oculis omnia nuda & aperta ſint. Hoc autem in re noſtra prorſus dici debet. Lege Scripturas Sanctas, & ſæpe reperies, hęc duo tegere peccata & delere peccata mutuo conjungi. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum non deleatur* ita 2. Eſdræ cap 4. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele* ita pſ. 50. *Remiſiſti iniquitatem plebi tuæ, operuiſti omnia peccata eorum* ita pſ.84. Merito itaque dici poteſt beatus ille vir, cui non imputavit Dominus peccatum, quia ſi peccatum non imputatur, neque eſt, vel ſi eſt, & non imputatur, Deus injuſtus & inſipiens eſt. Ita ſatis ſuperque datum eſſet Calvino reſponſum, ſed quia dicit, ibi non exprimi peccatorum remiſſionem, & tamen hominem dici beatum, ideo ulterius dico, in primis ſatis exprimi, ſi verſiculus totus legatur, additur enim, *nec eſt in ſpiritu ejus dolus* nota ly *non eſt* ſed ſi ego opponerem alios ſimiles textus, in quibus homo dicitur beatus, nec tamen ulla peccatorum remiſſionis fit mentio, quid mihi reſponderet? Opponere non prohibeor. Legat pſ. 111. inveniet. *Beatus vir qui timet Dominum*, pſ. 118. *Beati immaculati in via*. Mat. 5. *Beati pauperes ſpiritu, beati qui lugent &c.* Abeat ergo, & ſe multum laboraſſe nihil cœpiſſe glorietur.

24. Magiſtri tamen vices agere contendit Kemnitius, Metaphyſicus potius quam Theologus ſic promovet argumentum. Non imputare peccatum non eſt delere peccatum & juſtitiam infundere, ergo doctrina noſtra non tenet; Prob. ant. Si non imputare peccatum eſſet delere peccatum & juſtitiam infundere, imputare peccatum eſſet juſtitiam delere, & iniquitatem infundere, ſed hoc non eſt dicendum, ergo. Maj. patet paritate rationis. Minor etiam, ſecus Deus imputando peccatum infunderet. Præterea. Cum proverb. 12. legitur. *Homo aſtutus tegit ſcientiam* quis unquam explicabit, *delet ſcientiam?* ergo dum dicitur, *Deus tegit peccatum* cur explicabitur, Deus delet peccatum.

25. Sed contra. Ne. ant. ad prob. ne. maj. nec paritas tenet, nam non imputationem peccati ſequitur infuſio gratiæ & juſtitiæ, quæ eſt à ſolo Deo; imputationem autem peccati non conſequitur infuſio iniquitatis à Deo, ſed hæc eſt à ſolo homine, qui per ſe ſatis eſt, immo ſolus eſt ad id, quod eſt malum. Præterea. Argumentum juxta regulas Dialecticæ non bene procedit, cum enim non imputare peccatum & juſtitiam infundere ſit propoſitio contradictoria huic imputare peccatum eſt juſtitiam non infundere, deberet paritas ita proponi. Deus, non imputando peccatum, juſtitiam infundit, ergo imputando peccatum juſtitiam non infundit, & ſic conſequentia concederetur; debet autem ſumi contradictoriè, ſicut contradictoria ſunt hæc, imputare peccatum, non imputare peccatum. Ad ultimum. Concedo rem aliquam tegi non eſſe ſemper rem deleri, plura immo teguntur, ut magis conſerventur, plura vero teguntur, ut deleantur, ſicut unguentis teguntur vulnera; attamen dum agimus de aliquo, quod oculis Dei abſcondatur, idem eſt tegere quod delere,

ut

ut supra declaratum fuit, & revera si alicujus sapientia à Deo tegeretur, ea esset revera deleta. Hisce omnibus addo explicationem, qua Sanctus Justinus Martyr. in dial. cum Triphone exponit illa verba, *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum*. Hæc sunt ejusdem verba. *Beatus &c. hoc est, cui pœnitenti Deus peccata remittit, non sicut prædicatis Vosmetipsos fallentes, & alii quidam vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non imputabit eis Dominus peccata*. Vides, nostri temporis Hæreticorum errorem aliis temporibus fuisse evulgatum. Tandem S. Augustinus in dictum ps. *Non sic, ait, intelligatis, quod dixit peccata cooperta esse, quasi ibi sint*. Quid clarius?

26. Ultimo argumentantur. Primo ex quo meritis & justitiæ Christi fieret injuria, si non per istam, sed per aliam justitiam nobis inhærentem justificaremur, & hinc nobis occasio superbiendi daretur, si propriam justitiam haberemus. Secundo; ex quo justitia nostra sit admodum imperfecta, nec ante Divinum conspectum audeat apparere, *non enim intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Idcirco ait Gregorius lib. 8. Moral. cap. 23. *Quantalibet justitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districto requirantur*.

27. Resp. nihil à nobis meritis ac justitiæ Christi derogari, dum ipsam justitiam nobis inhærentem ab illorum virtute & istius excellentia tanquam à causa provenire fateamur; Multum tamen derogant adversarii, cum dicant, Christum suis meritis & laboribus, morte & sanguine non potuisse à Patre impetrare, ut peccata nostra verè delerentur, nosque ad veram justitiam perduceremur. Neque hoc pacto superbiendi nobis datur occasio. Totum enim hoc, quantumcumque est, quod certè maximum est, Dei donum esse profitemur. Quid enim habes, quod non accepisti? Sed si propter hoc homo gloriari posset, posset etiam gloriari de fide, quam tamen necessariam esse Hæretici non inficiantur. Ipsi superbiunt magis, qui Christi justitiam apprehendisse se jactitant, nec cuicumque Sancto semetipsos æquare verentur, immo Lutherus in serm. de Natali Virginis Mariæ, omnes credentes Virgini reddit æquales. Ad tertium: Jam demonstratum est, justitiam nostram, quantum ad Substantiam attinet, esse perfectam, dicitur autem homo in conspectu Dei non justificari, vel quia justificatio hominis non est opus hominis secundum vires proprias sed secundum vires gratiæ, vel quia cum ipsa justificatione adhuc reperitur quędam admixtio peccatorum venialium, vel quia licet sit deleta culpa, nondum tamen satis pro pœna factum est; & ita intellige Gregorium, quem miror afferri ab Hęreticis, cum ipsi nullam fidem adhibendam esse persæpe detrectent.

ARTICULUS IV.

Utrum actus contritionis seù dilectionis Dei super omnia habeat sine gratia inhærente vim justificandi.

28. Etsi ex præcedentibus satis compertum fiat, justificationem nostram haberi per habitum gratiæ, per quam deleantur peccata, & animæ imprimatur venustas quædam, per quam grata fit Deo; nihilominus apud recentiores Theologos solet promoveri quæstio, utrum hoc conveniat etiam actui dilectionis Dei super omnia, seù contritionis. In hujus resolutione tres sententiæ recensentur. Prima, quam docent Joan. à S. Th. Sotus, Bellarmin. Suarez, Granad. Cacheran. asserit, actum contritionis non solum de facto non habere vim justificandi, sed neque de possibili, saltem loquendo de ea justificatione, quæ per gratiam habitualem confertur. Secunda quam primo tradidit Vasq. deinde

am-

amplexi sunt Meratius, Turrianus, Hurtadus, oppositum tenet omnino, ita ut Tridentinum definiens, justificationem fieri per formam inhærentem, non per imputationem, definierit tantùm contra Sectarios, an vero esset actus vel habitus, non definivit. Tertia quam statuit Scot. in 1. dis. 17. qu. 1. & in 4. dis. 14. qu. 2. §. de secundo principali, sustinet, de facto actum contritionis seù dilectionis formaliter non justificare, posse tamen in alia possibili providentia. Hæc est sententia inter alias media, & juxta istam.

29. Sentiendum primo per actum contritionis seù dilectionis Dei &c. non haberi formaliter justificationem.

Prob. 1. ex Divinis Scripturis. Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Isaiæ 35. *Revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, quia benignus & misericors est*. Ecclesiast. 17. *Quàm magna misericordia Domini, propitiatio illius convertentibus ad se*. Ex quibus, prætermissis aliis quàm pluribus, sic argumentor. Justificatio non habetur formaliter per id, quod Deus à nobis postulat, & cui Deus justificationem promittit, nec per id, cui, ut justificemur, addi debet novum beneficium & nova benignitas, sed ita se habet actus contritionis, seù dilectionis Dei super omnia, ergo.

30. Scripturas istas, aliasque similes multifariam explicant doctores oppositi. Omitto id, quod ait Vasquez, intelligendas esse de conversione, seù de charitate imperfecta; etenim ultra dicta in præceden. qu. adnotandum est primo, in dictis locis fieri promissionem misericordiæ & veniæ infallibiliter obtinendæ, quod conversioni solummodo imperfectæ convenire non potest; Secundo, ibi sermonem esse de conversione, de qua dictum fuit. *Scindite corda vestra, & convertimini ad me in toto corde vestro*. Quæ procul dubio perfecta est, nec alia perfectior esse potest.

31. Dicunt itaque primo in hujusmodi locis nequaquam justificationem promitti, sed vim ac virtutem contritionis indicari, sicut, si diceretur, *si sol calefaciet aerem, frigus expelletur*, ergo sicuti hoc non obstante expulsio frigoris habetur per aeris calefactionem, ita per actum charitatis habetur justificatio, quod amplius sic demonstratur. Ezech. 18. legitur. *Si averterit se justus à justitia sua, morietur* & nihilominùs mors habetur formaliter per ejusdem aversionem, ergo à pari, dum dicitur, si homo convertetur ad Deum, Deus convertetur ad Dominum, si revertatur ad Dominum, Deus miserebitur ejus, explicatur effectus formalis conversionis.

32. Verùm hæc evasio non suffragatur; etenim si peccati remissio esset effectus formalis conversionis, & charitatis, & non beneficium omnino distinctum, idem promitteretur sub conditione sui ipsius, quod omnino alienum censendum est, & semper cum aliquid sub alicujus operis conditione promittitur, aliud distinctum post positam hujusmodi conditionem obtinendum esse significat. Præterea. Ita textus à nobis adductos explicare, est communem Patrum expositionem rejicere, qui in illis locis promissionem & decretum Divinę voluntatis verè se ad Deum convertentibus indulgentiam largiendi contineri fatentur. Pro omnibus sit S. Augustin., qui in lib. 83. quæstionum qu. 68. inquit de peccatore, *quod etsi magno gemitu & dolore pænitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus, & doloribus subvenit; Parum enim est velle, si Deus non misereatur, sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* quæ verba afferens lib. 1. retract. cap. 26. ait; *Hoc dictum est post pænitentiam, nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem*. Fatetur ergo maximus Doctor misericordiam Divinam, quæ pœnitentiam consequitur, ergo remissio pec-

peccati formaliter in ipsa pœnitentia non consistit. Ex quo habetur disparitas, quare expulsio frigoris habeatur per aeris calefactionem, non sic per actum charitatis habeatur formaliter peccatorum remissio; & quantum ad ultimum, vel antecedens est verum tantum in sensu causali, non formali, vel dispar est ratio, quia mors habetur ex sola hominis voluntate, peccatorum autem remissio non tam consistit in conversione hominis ad Deum, quàm in conversione Dei ad hominem, neque illa est formaliter ista, ut infra magis demonstrabitur.

33. Dices, responsionem hanc vim suam habere contra Vasquez, aliosque; attamen in Scotistarum sententia admitti nequaquam posse; nam sequeretur, neque gratiam ipsam justificare formaliter, cum per ipsos non justificet ex natura rei, sed ex Divina ordinatione; Unde hæc ipsa ordinatio erit novum beneficium à gratia distinctum; quo posito sic proponitur argumentum. Licet præter gratiam aliquod novum beneficium requiratur ad remissionem peccati, attamen gratia per se ipsam peccatum remittit, ergo licet præter charitatem requiratur aliquod novum beneficium ad remissionem peccati, attamen charitas per se ipsam &c.

34. Nihilo tamen minus dicendum est, etiam in principiis Scoticis argumentum & responsionem vim suam retinere, nam licet ultra infusionem gratia requiratur Divina ordinatio ad remittendum peccatum, attamen hæc ordinatio non sequitur post gratiæ infusionem, ut forma sequitur dispositionem, & ut res promissa conditionem cui facta fuit promissio, sed in ipsa gratiæ infusione includitur de facto voluntas, qua Deus velit peccatum remittere, & hujus voluntatis inclusio est juxta exigentiam ipsius gratiæ, contra quam tamen exigentiam posset Deus operari; E'contrario remissio peccati est post actum contritionis seù dilectionis, tamquam forma post dispositionem, & in actu charitatis seù &c. non includitur voluntas Dei remittendi peccatum, sed tantum promittitur, proinde &c.

35. Respondent secundo; in textibus adductis promitti solummodo auxilium ad conversionem, tanquam si diceretur, *convertimini & convertar* idest, si volueritis converti, ego adjuvabo, & auxilio meo ad vos me convertam, & hoc admitti debet, cum sine conversione Dei ad hominem, hominis conversio esse non possit ad Deum; Cum igitur Deus promittit conversionem suam homini se ad ipsum convertenti, necesse non est, ut aliam conversionem & aliud beneficium ipsi promittat, nam si homo per contritionem convertitur ad Deum, etiam Deus adjuvando peccatorem, ut conteratur, ad peccatorem convertitur, eum diligit, & ipsius miseretur, & in hoc sensu sunt illa verba citata Ecclesiast. 17. *Quàm magna misericordia Domini & propitiatio illius convertentibus ad se*.

36. Sed profecto nec effugium hoc robur argumenti devitat; nam in Scripturis duo promittuntur, quæ sunt inter se valde distincta; & promittitur auxilium actuale Dei, quo homo, si velit, possit ad Deum converti, & convertatur; & promittitur alia Dei conversio, quæ sit post ipsius peccatoris conversionem, ut cum legitur Jerem. 3. *Convertimini, & sanabo vos*. Et 1. Jo. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra*. Unde sicut prima conversio ad hominem est magna misericordia Dei erga hominem. Ita secunda conversio post actum charitatis erit magnum beneficium, quod dici non posset, si per actum charitatis sine alio superaddito formaliter justificaretur.

37. Multo minus tandem probabilis est responsio aliorum dicentium, promissionem remissionis factam actui charitatis referri ad remissionem pœnæ temporalis, non autem culpæ ac pœnæ æternæ, quæ ablata culpa etiam aufertur, quod suadetur, quia in Divina Scriptura

ra promittitur remiſſio ſed non certè atque infallibiliter, ut patet ex illo Joel.2. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus*. Et Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, ſi forte remittatur hæc cogitatio cordis tui*. Atqui hoc dici nequit de remiſſione culpæ ac pœnæ æternæ, ergo debet intelligi de remiſſione pœnæ temporalis.

38. Minus inquam probabilis eſt hujuſmodi reſponſio. Primo quia promiſſiones iſtæ fiunt hominibus exiſtentibus in peccato, ergo ſunt promiſſiones verſantes circa culpam ac pœnam æternam; Secundo; quia ita dicendo daretur locus detorquendi quaslibet Scripturas, in quibus peccatorum remiſſio promittitur, & ita dum dicitur, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & Baptiſma dari in remiſſionem peccatorum, de remiſſione pœnæ temporalis explicari poſſet, quod minime; Neque vero officit, hujuſmodi remiſſionem ſub dubio proponi ac ſperari; primo quia particula *forte* non ſemper dubitationem innuit, ſed vel aliquod myſterium, vel rei difficultatem, vel arbitrii libertatem, de qua re diximus ubi de ſcientia conditionatorum; ſecundo quia, & hoc eſt ad rem noſtram, verbum illud dubitandi non eſt propter incertitudinem remiſſionis culpæ, ſi verè habeatur contritio, ſed propter incertitudinem ipſius contritionis, an vera fuerit vel non. Admitto tamen multoties etiam ad remiſſionem pœnæ temporalis referri poſſe; ſicut Jonæ 3. dixerunt Ninivitæ: *Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus*. Et David pſ.31.poſtquam dixerat: *Tu remiſiſti iniquitatem peccati mei*. Addit *pro hac orabit ad te omnis ſanctus*. Et Eccleſ.5. legitur, *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*.

39. Nunc aſſertionem noſtram probare placet ſecundo ex Doctrina Concilii Tridentini. Duo ejuſdem eligo teſtimonia. Primum habetur ſeſs.6.cap.7. & can. 3. ubi actus charitatis recenſetur tanquam diſpoſitio ad obtinendam peccatorum remiſſionem, conſtat autem diſpoſitionem ad formam ipſam formam non eſſe. Secundum habetur ſeſs. 14. cap.4., ubi docet, actum contritionis fuiſſe quovis tempore neceſſarium ad impetrandam veniam peccatorum, ſi autem formaliter juſtificaret, profecto peccatorum veniam non impetraret, ſed eſſet ipſamet venia peccatorum & remiſſio; & nota juxta Tridentinum, juſtificationem fieri per infuſionem gratiæ & juſtitiæ inhærentis ac permanentis, quod de actibus verum eſſe non poteſt, ſiquidem iſti, quamvis in aliquo ſenſu dici poſſint infuſi, attamen proprie & adæquatè non ſunt, quia producuntur etiam à nobis, & licet propriè dicerentur infuſi, attamen non ſunt permanentes niſi moraliter, quod Concilii mentem definitionemque non ſervat. Atque hoc præſertim dicendum eſt, quia ſecus ſi homines per iſtos actus juſti formaliter fierent, fierent etiam per ſemetipſos, & ſic falſum eſſet quod dicitur Iſaiæ 43. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas*. Et quod habetur Marci 2. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quod licet ſit dictum à Phariſæis, attamen cum veritate dictum eſt, quia ipſi propter hoc negabant Chriſtum eſſe Deum, & ſi credidiſſent, à Chriſto poſſe dimitti peccata, ipſum Deum eſſe credidiſſent; ut notavit Auguſt. lib. 50. homiliarum hom.23. cap. 7. Ex quo novum argumentum proponi poteſt.

40. Si vero horum omnium ratio requiratur; multiplex afferri poteſt & ſolet; illam tamen eligo, quam affert Scot. in 1.diſ.17. qu.2. §. ad ſolutionem, & ſic exponitur. Status juſtitiæ non habetur niſi per formam permanentem, & habitualem, ſed actus contritionis non eſt hujuſmodi, quia quilibet actus ex natura ſua eſt tranſiens, ergo. Prob. maj. ſtatus juſtitiæ eſt permanens & habitualis, ideſt homo juſtus eſt Deo acceptus etiam dum non operatur, ut patet in dormientibus & parvulis baptizatis, ergo. Hinc cum Concil. Trident. aſſi-

assignet tantummodo unicam causam formalem nostræ justificationis, scilicet justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, dicendum est, quod si parvuli formaliter per habitum non per actum iustificantur, etiam ita formaliter iustificentur adulti.

41. Totum hoc magis corroboro; primo quia status iustitiæ habetur cum filiatione adoptiva & amicitia Dei, sed fundamentum huius filiationis & amicitiæ non est formaliter actus charitatis, sed gratia habitualis, quæ ex dictis est participatio Divinæ naturæ, ergo. Secundo quia non potest explicari hęc amicitia Dei per hoc præcisè quod creatura diligat Deum, sed etiam, immo potissimum per hoc quod creatura diligatur à Deo, & diligatur permanenter & complete iuxta illud Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Sed creaturam diligi à Deo permanenter non consistit formaliter in dilectione creaturæ erga Deum, quia esse posset dilectio creaturæ sine hac dilectione Dei, ut dictum fuit in præced. quæst. ergo.

42. Dices. Actus peccati, quamvis transiens, relinquit hominem formaliter & habitualiter peccatorem, ergo etiam actus contritionis quamvis transiens constituet hominem formaliter & habitualiter iustum. Sed contra; Jam disparitas allata est contra primam Adversariorum responsionem, cui ulterius addo, quia homo intelligitur habitualiter peccator per solam moralem perseverantiam peccati, & deformitas, quæ per peccatum in anima remanet, habetur per carentiam oppositæ formæ & deordinationem ad Deum; è contra homo non intelligitur habitualiter iustus per solam moralem perseverantiam actus charitatis, & pulchritudo, quæ per iustitiam remanet in anima, est aliquod positivum physicè inhærens animæ, ut definit Concil. Trident. & Catech. Roman. alibi à nobis citatus. Præterea. Sequitur primum, quia peccatum necessario odio habetur à Deo, at actus charitatis necessario non diligitur à Deo, sed solum ex Divina acceptatione, & promissione suæ dilectionis ideo &c. quod infra magis etiam declarabitur.

43. Ob. 1. Ex Sanctis Scripturis. Ezech. 18. *Si impius averterit se ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit*. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Idem autem per Catholicos est operire, quod delere & remittere; ideo docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. *Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare*. Ergo.

44. Respondeo, istos omnes similesque Textus intelligendos esse de charitate se habente tamquam ultima dispositione ad remissionem peccatorum, non tamquam de forma remittente peccata; Sed ad uberiorem doctrinam liceat postremum Sancti Petri dictum expendere. Expendit illud Sanctus Chrysost. hom. 4. in act. Apost. de alienis peccatis, cum in contextu sermo sit de mutua charitate habenda, ut patet ex illis verbis, *ante omnia autem in vobismetipsis mutuam charitatem habentes*. Ita propterea dicitur charitas operire multitudinem peccatorum, quia mutuus amor hoc præstat, ut unus alterius defectus vel excuset, vel dissimulet, vel abscondat, prout amoris ordo permiserit; Quare in hoc sensu objectio ex illo petita contra nos non procedit. Quod si velint illud explicare de amore erga Deum, jam dictum est, dispositivè tantum se habere, & adinstar causæ impetratoriæ non formalis, nisi forte dicas, ea omnia dicta esse de charitate non actuali sed habituali, quam ultro concedimus formaliter justificare, cum ab habitu gratiæ nequaquam seperari possit, & quamvis etiam distingueretur, ipsam gratiam præsupponeret. Juxta hæc explicandum est Tridentinum. Adde, hæc omnia tribui etiam aliis virtutibus, ut ostendi in

pri-

primo Tomo, ubi de insufficientia fidei ad justificandum.

45. Ob. 2. ex Patribus. Augustin. ser. 11. ad fratres in Eremo. *Accipite compunctionem, quia sanctitas animarum est, remissio peccatorum est.* Et lib. de morib. Eccles. cap. 12. *Qui separatur à Deo dilectione redit in Deum.* Hieronym. ep. 27. de contrit. *Quę peccata fletus ipse non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Ambros. in ps. 50. in illa verba, *peccatum meum contra me est semper.* Inquit, *Charitas abscondit errorem, remittit etiam ipsa peccata.* Bernard. in lib. de modo bene vivendi serm. 10. *Compunctio cordis sanitas est animæ, compunctio lacrymarum remissio est peccatorum.* Tandem S. Chrysost. hom. 7. in 2. ad Timot. comparat charitatem igni, & peccatum rubigini, sicut igitur ignis omnem consumit rubiginem, ita charitas omne peccatum. Idem exemplum adhibet S. Gregor. Magnus hom. 33. in Evangelia, ergo.

46. Resp. Patres non in alio sensu loquutos esse, quàm in sensu Scripturarum, eo igitur pacto quo Scripturas exposuimus, etiam Patres exponimus. Verum tamen est, quod ait Augustinus, nos per dilectionem redire in Deum non solùm dispositivè & efficienter, sed etiam formaliter, sed hoc non sufficit completæ amicitiæ, in qua sita est justificatio, sed ulterius requiritur, Deum redire ad nos, ut superius dictum fuit. Verum insuper est, charitatem esse animæ pulchritudinem & sanitatem, non tamen integram atque perfectam, ut requiritur ad justitiam; Sed quid mirum, si hæc de charitate dicantur, cum unicuique virtuti hanc laudem præstiterit Aristoteles? Exemplum ignis in hoc servatur, quod sicut iste efficienter consumit rubiginem, ita charitas dispositivè & efficienter moraliter impetrando consumit peccatum.

47. Ob. 3. ratione. Actus contritionis & charitatis est per se forma expulsiva peccati, ergo est forma per se justificans. Prob. ant. actus contritionis & charitatis reparat in homine omnem deordinationem, & Deo ita satisfacit, sicut peccatum offendit, sed nihil ultra requiritur, ut formaliter justificet, & peccatum remittat, ergo. Prob. prima pars maj. deordinatio, quæ per peccatum est in homine, habetur per aversionem à Deo, & per conversionem ad creaturam, sed actus contritionis tribuit aversionem à creatura & conversionem ad Deum, ergo. Prob. secunda pars primæ mi. eadem ratione, & rursus sic. Tantum bonitatis est in actu contritionis ad placendum Deo, quantum malitiæ fuit in peccato ad displicendum Deo, ergo. Prob. ant., tum quia malitia peccati non potest excedere bonitatem actus contrarii, idest contritionis, cum sit privatio; tum quia, si peccatum habet infinitatem ex parte Dei offensi, etiam contritioni non deest infinitas ex parte Dei dilecti; tum quia, potius in actu contritionis relucere debet major bonitas, quia malitia peccati est ex defectu naturæ, bonitas autem contritionis est ex virtute gratiæ, proinde est ordinis excellentioris.

48. Resp. ne. ant. ad prob. ne ant. quo ad secundam partem, quæ esset distinctio primæ partis, si sola proponeretur; ad prob. primam patet quid respondendum; ad secundum ne. ant. ad prob. dis. ant. malitia actus peccati &c. in ratione aversionis & conversionis conced. in ratione debiti satisfaciendi ne. ant. & Cons. & sic ad aliam prob. ratio utriusque est, vel quia deficit actus contritionis in valore morali propter improportionem inter personam offensam, & satisfacientem, ita responderet Thomista, vel quia malitia peccati de se est inductiva offensæ, bonitas autem contritionis non est inductiva satisfactionis, nisi à Deo acceptetur, ita responderet Scotista. Ad tertium illud antecedens ad summum est verum, si attendatur principium, à quo est, non si attendatur terminus, ad quem est.

46. Respondent alii distinguendo

in

in peccato dupplicem considerationem. Una est voluntarietas, propter quam quis censetur velle permanere in affectu erga creaturam, alia est obligatio passiva, propter quam remanet obstrictus juri Divino, quod habet Deus ad exigendum à peccatore satisfactionem; prima aufertur per actum contritionis, non secunda nisi vel Deus relaxet debitum, vel peccator satisfaciat; ad expellendum autem peccatum non satis est auferri voluntarietatem, nisi auferatur simul & dicta obligatio, quod ostendi potest exemplo voti, in quo pariter datur voluntarietas, & obligatio reddendi Deo, quod promissum est, & licet per retractationem auferatur illa, non tamen ista, nisi vel Deus cedat juri suo, vel res promissa reddatur. Non potest igitur dici, per actum contritionis posse formaliter expelli peccatum, sed solum dispositivè, & effectivè moraliter, cui dispositioni correspondet infusio gratiæ tanquam novum beneficium ipsi promissum, uti probatum fuit.

50. Ob. 4. alia ratione. Actus contritionis est forma, quæ esse non potest cum peccato habituali, ergo. Prob. ant. actus contritionis est forma, quæ esse non potest cum peccato actuali, ergo neque cum peccato habituali; Prob. cons. peccatum habituale nihil est aliud, quàm ipsum peccatum actuale non retractatum & moraliter perseverans, ergo si &c.

Resp. ne. ant. quod est tantum verum dispositivè ultimo & in sensu effectivo; ad prob. conc. ant. ne. cons. ad prob. dis. ant. nihil est aliud in sensu physico & active cónc. in sensu morali & passive ex parte creaturæ, & activè ex parte Dei ne. ant. & cons. Hoc autem morale superadditum est obligatio, qua creatura tenetur ad satisfaciendum, & jus quod habet Deus ad exigendam satisfactionem, ut dictum fuit. Argumentum autem nimis probat, quia sequeretur, quod etiam propositum melioris vitæ, & voluntas non peccandi, cum esse nequeat cum peccato actuali, nec esse posset cum peccato habituali, quod tamen asseret nemo. Plus ergo requiritur ad delendum habituale, quàm ad impediendum actuale, præsertim quod istud impediri potest etiam per actum virtutis, quæ sit tantùm in ordine naturali.

51. Ob. 5. alia ratione. Demus hypothesim, in qua homo peccator fieret à Deo beatus, & perduceretur ad Dei visionem, per hanc formaliter justificaretur, sicut & per dilectionem in patria, ergo etiam in via per actum dilectionis, qui ab actu dilectionis in patria specie non differt, formaliter justificatur. Præterea. Qui diligit Deum, etiamsi careat amore habituali, est amicus Dei, ergo diligitur à Deo, cum amor ex natura sua reciprocus sit, neque Deus patiatur se ab aliquo diligi, quin diligentem diligat, juxta illud proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, sed nihil ultra requiritur ad formalem justificationem, ergo. Rursus. Homo diligens Deum nequit esse objectum odij Dei, sed amoris & benevolentiæ etiamsi nullus sit habitus, ergo.

52. Resp. anteced. negari à nostræ sententiæ assertoribus dicentibus, per visionem beatam hominem non iustificari formaliter, sed ideo iustificari, quia visioni & delectioni in Patria debita est iustitia inhærens & consumata, quæ vel antecedat, vel subsequatur; & si Deus nollet istam conferre, ille homo non esset intrinsecus iustificatus. Utrum vero possit visio beata componi cum peccato habituali, non est quæstio hic dirimenda; admisso tamen illo antecedente, duplici responsione non careo; primo negando, charitatem in Patria specie non differre à charitate viæ quantum ad effectum, ut contendere videtur Scot. in 3. dis. 26. & in 4. dis. 49. qu. 5., nam licet sit eadem potentia, idem obiectum, & idem habitus, quia charitas nunquam excidit, quia tamen diversa est propinquitas, & applicatio obiecti in via & in Patria, potest in hac charitate diversa ratio

ratio specifica sustineri, sicut ignis calefacit tantùm lignum à longe, & ignitum reddit lignum quod prope sit, in quo certe non solum est differentia specifica, sed etiam generica. Secundo. Etiam admittendo in hac utraque charitate specificam unitatem, una potest formaliter iustificare, alia non. Potest charitas Patriæ, quia est actus permanens, & actualis possessio reddens hominem omnino felicem, proinde excludens quamcumque miseriam, ut est peccatum. Non potest charitas viæ, quia huic hæc omnia deficiunt.

53. Ad 2. ant. est verum de amore incompleto & ex parte unius extremi, non de completo, & ex parte utriusque; Neque dici potest, amorem ex natura sua reciprocum esse, quis enim negat, unum posse alium amare, quin tamen redametur? Quod si Deus diligit diligentes se, hoc non est ex natura amoris creaturæ ad Deum, sed ex Divina misericordia, qua per gratiam se diligentes efficit iustos, amore creaturæ se habente tanquam prævia dispositione, quam Divinus amor infallibiliter sequitur, tanquam res amori creaturæ promissa. Ad ultimum; ant. est verum dispositivè, non formaliter; sed quia huic dispositioni promissa est gratia & benevolentia Dei, ideo nunquam est obiectum odii qui diligit Deum.

54. Ob. 6. alia ratione. Justificatio facta per actum firmior & dignior est iustificatione facta per habitum, ergo si gratia tanquam habitus formaliter iustificat, etiam actus charitatis. Prob. ant. Si Deus iustificaret peccatorem per habitum sine aliquo peccatoris actu, & postea auferret illum habitum sine ipsius culpa, non amplius maneret iustus, quia auferretur id, à quo iustitia habetur, si vero fuisset iustificatus per actum & dilectionem, etiamsi privaretur habitu sine propria culpa, adhuc remaneret iustus, quia illa rectitudo collata per actum, non posset à Deo auferri, ergo. Præterea. Contritio & charitas est perfectissimus actus, quem per auxilium gratiæ possit producere creatura, ergo est actus formaliter sanctificans. Prob. cons. non minus perfectissimus actus, quàm perfectissimus habitus est perfecta animæ sanctitas, ergo si gratia, quæ est perfectissimus habitus &c. etiam contritio & charitas, si est perfectissimus actus.

55. Resp. negando suppositum antecedentis, cum supponat id quod est in quæstione, & à nobis negatur, idest justificationem fieri per actum, non potest igitur esse firmior & dignior, si absolutè non est. Nihilo tamen minus ne. ant. ad prob. transf. ant. quo ad primam partem; Quantum ad secundam; vel homo ante illum actum erat peccator, vel non; Si primum; Si Deus non remisit peccatum, adhuc remanebit peccator, præsertim quod si Deus nolit illum acceptare, perinde se habet, ac si homo nihil fecisset. Si secundum. Si auferatur habitus, per quem prius erat justus, amplius justus non erit, quia esset sublata forma, per quam erat justus. Sed peto, quare Adversari asserant, illam rectitupinem collatam per actum à Deo auferri non posse? eodem modo ego dicam, non posse auferri etiam illam rectitudinem collatam per habitum; nam si in primo casu remanet relatio ad actum præteritum, etiam in secundo casu remanet relatio ad præteritum habitum; & hac ratione dixi transf. ant. quo ad primam partem, cum dici posset, adultum justificatum in hypothesi remanere justum propter merita præcedentia, quæ neque fuissent mortua, neque mortificata, & ex alia parte fuissent formata per habitum præcedentem, qui propterea esset sublatus quantum ad esse physicum, non sic quantum ad esse morale, quod satis servatur per habitum, qui fuerit, licet amplius non sit sine culpa illius, à quo sublatus est.

56. Ad aliud. Negatur consequentia, & ejus probatio; charitas enim est perfectissimus actus creaturæ, sed nisi correspondeat charitas Dei, ad sanctifican-

candum formaliter non sufficit; & quamvis hæc dicatur plenitudo legis, & ideo per ipsam servetur Divinæ legis conformitas, attamen satis non est ad sanctitatem supernaturalem conferendam, per quam homo particeps sit Divinæ naturę, & habeatur semen gloriæ, ut loquuntur Sancti Patres, sed solum justitiam legalem, quæ nisi accepta sit Deo ex vi suæ promissionis, in se formaliter justificationem non habet. Neque dicatur, per actum charitatis haberi perfectiorem unionem, quam per habitum, quia illa habetur modo vitali, ista non; etenim hæc præsupponit illam, & in adultis sine illa non datur; neque mirum sit, si unio per gratiam, quæ ex parte creaturæ vitalis non est, sit perfectior unione per charitatem; quæ vitalis est, nam illa habetur à solo Deo diligente creaturam modo speciali, hæc habetur à creatura diligente Deum, at vis comparare amorem Dei erga creaturam amori creaturæ erga Deum? Stulta prorsus comparatio.

57. Ob. ultimo. Saltem in adulto non habente nisi peccatum originale actus dilectionis sufficiens erit ad expellendum peccatum, ergo. Prob. ant. Efficacior esse debet istius conversio ad Deum, quam sit aversio à Deo, ergo. Prob. ant. istius conversio ad Deum est per propriam voluntatem & positiva, aversio est per voluntatem alienam & negativa, sed conversio facta per propriam voluntatem & positiva efficacior est, quàm aversio facta per voluntatem alienam, & negativa, ergo. Præterea. Pœnitentia est specialis virtus, qua intendimus Deo satisfacere, ergo debet habere pro objecto aliquam formam, per quam Deo satisfaciamus, sed hæc forma non est, nisi actus dilectionis, ergo. Prob. mi. hæc forma non est habitus gratiæ, quia satisfactio non est sine aliqua actione creaturæ, quam non involvit habitus gratiæ, ergo. Rursus. In statu naturæ puræ actus dilectionis Dei ut authoris naturalis fuisset sufficiens forma ab intrinseco expulsiva peccati contra Deum ut authorem naturalem, ergo etiam in statu naturæ elevatæ actus dilectionis Dei ut authoris supernaturalis est forma sufficiens ab intrinseco expulsiva peccati contra Deum ut authorem supernaturalem. Ant. pat. quia ex una parte debuisset pro eo statu esse aliquod remedium pro peccato, ex alia non potuisset esse aliquod ad instar habitus, quia per talem habitum homo fuisset extractus à conditione puræ naturæ.

58. Resp. admisso, adultum esse posse cum solo peccato originali ne. ant. ad prob. esto efficacior sit istius conversio, quàm sit aversio, attamen habitualis macula peccati originalis est omnino diversæ rationis, & semper ultra aversionem à peccato superest debitum Deo satisfaciendi, pro qua satisfactione insufficiens est actus creaturæ, ut dictum fuit. Ad aliud dis. mi. sed hæc forma non est nisi actus dilectionis post acceptam gratiam conc. sine gratia ne. mi. si enim sumatur actio creaturę, quęcumque sit, nisi per gratiam reddatur digna, nunquam Deo satisfaciet, & ideo satisfactio non est sine actione creaturę, non utcumque, sed per gratiam formata. Ad ultimum transeat ant. quod negari posset, nam etiam pro eo statu admitti posset habitus gratiæ in solo ordine naturali, & hoc videtur juxta doctrinam S. Thomæ qu. 28. de verit. art. 2. ad 5. ubi ait; *Si à solo statu naturæ decidisset homo, nihilominus tamen ad expiationem infinitæ offensæ donum Divinæ gratiæ requireretur*. Ne. conf. etenim quod in linea naturali optimum est, non est hujusmodi in linea supernaturali; ratio est, quia in ordine naturali actus sunt causa habituum, proinde habitibus perfectiores, in ordine vero supernaturali actus non sunt causa habituum, sed isti à Deo infunduntur, actibus se habentibus ut dispositionibus & causis dumtaxat moralibus.

59. Hæc dicta sunt de actu contritionis, prout præsentis providentiæ postulat ordo, sed quid dicendum de possibili? Quamvis quæstiones istas instituere supervacaneum censeri possit & debeat, nihi-

nihilominus ut Thomistarum & Scotistarum principia magis innotescant, ab ipsis abstinere non possum. Quapropter.

Dicendum secundo. In alia providentia actum contritionis posse formaliter justificare. Punctum hoc pendet à duobus fundamentis, quę in Scotistarum Schola certo tenentur. Unum est, remissionem peccati fieri posse per condonationem extrinsecam, quo dato, si potest peccatum habituale remitti sine infusione gratiæ, poterit id magis fieri medio actu contritionis & dilectionis Dei super omnia. Alterum est, gratiam justificare non ex natura propria & intrinseca, sed solum ex Divina ordinatione, poterit ergo justificare etiam actus charitatis, cum ordinatio Divina non sit potius uni alligata quam alteri, nisi quia Deus ita voluit. In hac re attendenda sunt etiam argumenta nobis opposita in præcedenti resolutione, quæ licet vim non habeant in præsenti rerum ordine, in alia tamen rerum dispositione plurimum probant; Ex his ergo inquirendum à nobis tantum pro Thomistis & Scotistis. Primo. An gratia habitualis ex natura propria sit forma justificans. Secundo. An justificatio possit haberi per solam extrinsecam condonationem. Ideo.

ARTICULUS V.

Utrum gratia habitualis ex natura propria sit forma justificans.

60. JUstificationem haberi per aliquam formam intrinsecè inhærentem, jam articulo tertio hujus quæstionis à nobis demonstratum fuit; Hanc formam intrinsecè inhærentem esse gratiam habitualem & sanctificantem tanquam dogma fidei censendum est, ut habetur ex Innocent. 3. cap. *Majores* & ex Concilio Tridentin. sess. 6. cap. 4. definiente *justificationem esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum*. In quo sensu legitur in Catechis. Pii V. tract. de baptis. *Est autem gratia non solum per quam peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas in anima inhærens, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet*. Atque hæc doctrina tradita fuit à Scoto in 1. dis. 17. q. 1. §. *Ad solutionem*.

61. Nulla igitur inter Catholicos controversia esse potest, an gratia habitualis sit forma justificans, sed tantummodo movetur quæstio, an sit hujusmodi ex propria sui natura & physice, an vero solum moraliter & ex Divina ordinatione, ita ut si hæc excluderetur, gratia non amplius justificaret, idest non redderet amicum & filium adoptivum Dei cum jure ad æternam hæreditatem. Prima sententia, quæ est omnium Thomistarum, & ferme omnium Recentiorum, hoc ex natura propria & physicè gratiæ convenire defendit. Altera vero, quæ est Scotistarum & Nominalium oppositum sustinet.

62. Ego quidem Nominalium systema prorsus præterirem, cum ad me non pertineat, sed, ne quid lateat, statim subdo. Eorum aliqui ita statuunt, ut dixerint, habendæ justificationi solam gratiam inhærentem & infusam non sufficere, sed necessariam ulterius esse aliam acceptionem seu favorem Dei extrinsecum, qui ipsius gratiæ infusionem subsequatur. Aliqui vero, etsi concesserint, gratiam ex se perfectam justitiam conferre, attamen ad delenda peccata vim non habere, nisi alia Dei extrinseca condonatio accedat, eo pacto quo licet in moneta sit metallum in se tanti valens, attamen non nisi per extrinsecam Principis impositionem valorem non habet.

63. Alius etiam modus afferri potest, quo aliqui recentiores, ut Scoticam sententiam defendant, utuntur. Talis est, ut asserant, hanc extrinsecam Dei acceptationem ipsi gratiæ debitam esse, ac connaturalem, quamvis attenta sua virtute absoluta possit à gratia seperari; Hinc per gratiam expellitur pec-

catum, sicut per calorem expellitur frigus, ita exigente natura caloris, potest tamen Deus utrumque simul conservare. Hoc videtur Suarez innuere hic; Cacheran. Ovied. Arriaga, Tanner. aliique asserentes gratiam & peccatum simul existere posse. His tamen pro aliis expositis.

64. Sentiendum. Etsi gratia habitualis sit forma nos justos, idest amicos & filios Dei cum jure ad hæreditatem, constituens, attamen si sumatur secundum se absque Divino decreto & ordinatione, non est hujusmodi; sive postea hoc Divinum decretum & ordinatio se habeant ad instar conditionis, sive causæ formalis, parum nostra interest. Hæc est Scoti doctrina in 1. dis. 17. quæst. 2. §. *De secundo* in 4. dis. 16. q 2. & alibi.

Plura quidem sunt fundamenta, quibus apud Scotistas assertionem hanc probatam invenies. Ego tamen illa seligam, quæ non tot instantiis ac responsionibus viam facilem aperiunt; inde demonstraturus alia non valere.

Primum ita propono. Forma, quę in præsenti rerum ordine reddit hominem sanctum, amicum, & filium Dei, posset, & potuisset in alio rerum ordine ita non reddere, ergo quia ex propria natura ita non reddit; Cons. patet, quia quod rei convenit intrinsecùs & ex natura propria, semper illi convenit, sicut v. g. albedini communicatæ parieti semper convenit reddere parietem album. Prob. ant. Ultima dispositio, quæ in prę senti rerum ordine reddit hominem dispositum ad recipiendam formam sanctificantem, qualis est gratia, posset, & potuisset in alio rerum ordine ipsum non reddere ita dispositum, ergo etiam forma, quæ in præsenti rerum ordine &c. Consequentia ostenditur vi paritatis, quia, sicut ad dispositionem pertinet aptare subjectum ad recipiendam formam sanctificantem, ita ad formam sanctificantem spectat sanctum constituere. Ant. autem declaratur; etenim in præsenti rerum ordine hujusmodi dispositio est actus dilectionis & contritionis, quis autem dicet dilectionem & contritionem esse dispositionem ex natura sua connexam cum forma sanctificante? Nisi Deus promisisset dilectionem suam se diligenti, & conversionem suam ad se convertenti, profecto diligeret homo Deum, & se ad Deum converteret, quin tamen Deus hominem diligeret, atque ad hominem converteretur, aliter tanti ex suis intrinsecis valeret dilectio hominis ergo Deum, quanti dilectio Dei erga hominem, quod rationali lumini contrarium videtur.

65. Immo, ut verum fatear, si Divinam ordinationem & decretum secludamus; potius ex natura sua deberet homo fieri justus, amicus, & filius Dei per actualem dilectionem, quam per gratiam, quam nos jure merito nunc sanctificantem appellamus. Hoc ostendo. Plus virtutis habet amor actualis erga Deum, quam habeat amor solummodo habitualis, ut patet loquendo in humanis, plus enim nos diligimus eos, qui actu nos amant, quam eos, qui nos diligunt habitu, ergo potius per dilectionem actualem deberet homo ex natura sua fieri justus, amicus, & filius Dei, quam per gratiam, quam sanctificantem dicimus. Hæc enim aliud non est, nisi qualitas nobis à Deo infusa, quæ in semetipsa est quid mortuum, constituens tantum hominem in virtute non in actu Deum amantem in linea supernaturali & meritoria; Hæc igitur ideo sanctum reddit, quia Deus ita decrevit, non quia ex suis propriis tantum valeat.

66. Quidquid autem contra hoc adversarii dicent, semper ab ipsis principium petetur, nec unquam probabitur. Quid enim dicent? Jam illos audio; Esse qualitatem in re quidem finitam, moraliter tamen dignitatem quamdam habere infinitam, propter quam opponitur infinitæ offensę, quæ est in peccato, & per quam nos Deo reconciliamur. Ita Aversa cum pluribus. Illos effectus sanctitatis, amicitiæ, & filiationis adoptivæ corres-

pon-

pondere entitati physicæ gratię, cum hęc juxta scripturas & Patres dicatur participatio Divinę naturę, ita ut homines dicantur in ordine Divino constituti; Quod si res ita non esset nulla posset afferri ratio, cur Deus potius hanc, quam aliam qualitatem ad hujusmodi effectus producendos determinasset, sed hæc omnia à nobis negantur, si Divinam dispositionem & voluntatem ab hac gratiæ qualitate sejungamus; Ideo enim habet hanc dignitatem, ideo participatio est Divinæ naturæ, ideo peccata remittit, ideo nos Deo reconciliat, quia Deus ita determinavit & voluit, & quod nunc gratiæ concedimus, alteri qualitati concederemus, si Deus per aliam nos Sanctos, suique filios & amicos efficere voluisset. Si vero ego ab adversariis peterem, quare & quomodo gratia sit participatio quædam Divinæ naturæ, quo pacto hoc mihi declararent? Plura quidem respondent, & ideo plura, quia ipsimet non conveniunt, quod adversantis sententiæ infirmitatis est argumentum. An quia per gratiam habitualem habeat homo promptitudinem & inclinationem ad opera sancta & honesta? Hoc dicit Oviedus tract. 8. controvers. 1. puncto 3. An quia gratia habitualis exigit, ut ipsam habenti concedatur visio intuitiva Dei, per quam homo maxime Deo assimilatur? Hoc dicit Ariaga dis. 44. sect. 1. An quia gradus intellectualis in gratia relucens sit altioris ordinis, quàm qualibet substantia intellectualis creata, atque ideo esse Divino quodam ac supernaturali modo Dei participationem? Ita dicit Suarez in hac quæstione. Sed si contra primum nos respondeamus, hanc promptitudinem & inclinationem ad opera sancta & honesta convenire gratiæ tantum ex ordinatione Divina; Contra secundum; gratiam habitualem exigere visionem Dei intuitivam tantum ex Divino decreto; Nec Oviedus, nec Ariaga, nec alius quispiam probabit oppositum; & ideo semper erimus in quæstionis initio; & potius actuali operi sancto & honesto, quam promptitudini & inclinationi ad tale opus connaturalia hæc erunt, ut dictum fuit num. 65. Quod vero Suarez ait, non probat, & idem dici posset de quolibet, alio dono supernaturali. Ut vero rationem aliquam afferant Doctores sententiæ nostræ, cur potius Deus hanc, quam aliam qualitatem ad hujusmodi effectus producendos determinaverit, plura dicunt, paucis ego me expediam reddendo pro ratione ipsam Divinam voluntatem, quæ per aliam qualitatem idem præstare potuisset.

67. Qua in re adnotandum est; gratiam considerari posse vel ut qualitas est, vel ut gratiæ denominationem sortitur. Conclusio nostra procedit tantum in primo sensu, ita ut qualitas hæc, quæ gratia denominatur, ab intrinseco & ex natura gratia non sit, sed solum prout involvit Divinam ordinationem, quæ voluit, subjectum hujusmodi qualitate affectum esse justum, sui amicum & filium; Quare si dicatur, gratia habitualis intrinsece & ex se est forma justificans, propositio est vera ut gratia est, non tamen ut natura & qualitas est; ut autem gratia est, jam explicat Divinam ordinationem & voluntatem, quæ ita disposuit; potuisset tamen, & adhuc posset aliam qualitatem stabilire, per quam homo formaliter justus fieret Deoque gratus, & tunc hæc ipsa alia qualitas gratia denominaretur.

68. Cum vero adversantes Doctores adeo innitantur Scripturis, Patribus, & Conciliis, præsertim Tridentino, placet nunc etiam ostendere, sententiam nostram magis adhærere Scripturis, Patribus, & Conciliis, præsertim Tridentino. In omnibus Scripturis, Patribus, & Conciliis habemus peccatorum remissionem gratis nobis à Deo fieri, nostramque justificationem esse opus à Deo gratuito descendens, hoc autem, quamvis etiam in opposita opinione satis servetur, cum gratia sanctificans gratis à Deo concedatur, magis tamen proprie strictèque servatur, si dicamus, Deum homi-

minem justum reddere, non quia id ex natura sua postulet gratia, sed quia Deus ex suo beneplacito valorem istum gratiæ contulerit, atque ita justificatio statuitur magis independens à qualibet re creata, quæ natura sua sit illius exigitiva, & magis dependens à voluntate Divina, proinde magis gratuita. Si vero Concilium Tridentinum perpendamus, plura ad rem nostram ab ipso suppeditantur. Sed illud præcipuum est, quod sess.7.can.11. dicit: *Gratiam, qua justificamur, non esse tantùm favorem Dei extrinsecum*, quo loquendi modo, esse etiam favorem Dei extrinsecum satis manifestè significat, sicut si diceremus, hominem non esse tantum animal, etiam animal esse indicaremus.

69. Placet nunc plurium Scotistarum fundamenta proponere, quibus parum aptè Scoticam sententiam propugnant. Primum est illud quo innituntur Vulpes & Coninch. quia, si gratia habitualis ab intrinseco & ex natura sua hominem redderet Sanctum, amicum, & filium Dei adoptivum, Deus necessario amaret hominem hujusmodi gratia præditum & exornatum, sed hoc dici non potest, cum ad extra nihil Deus necessario agat, ergo. Rursus. Si gratia habitualis ab intrinseco &c. Deus necessario conservaret hominem habentem gratiam, quia necessario Deus vellet, hujusmodi hominem bene esse, sed hoc non, ergo. Præterea; Nequit esse aliqua creatura cui Deus necessario concedat visionem beatam & fruitionem, ergo nulla, quam Deus necessario amet.

70. Sed hæc omnia valde infirma esse quisque perspiciet; etenim Deum amare hominem habentem gratiam habitualem necessario, est necessitas tantùm ex suppositione, quæ Deo nequaquam repugnat, ut pluribus potest exemplis ostendi; Sic producto homine necessario debet illi conferre aliquam durationem & ubicationem. Ad secundum negatur major quia simpliciter & absolute potest destruere etiam beatum existentem in patria. Ad tertium nullus ex adversariis asserit habenti gratiam negari non posse visionem, sed inquiunt, ipsi visionem connaturaliter esse debitam, quamvis possit Deo absolute volente impediri, ut patet exemplis.

71. Aliud fundamentum est, quia nulla qualitas accidentalis habere potest naturalem connexionem cum Deo & physicam commensurationem, sed gratia habitualis est qualitas accidentalis, ergo. Maj. declaratur, quia quæcumque qualitas accidentalis physice loquendo deterior est quacumque creata substantia, sed nulla creata substantia habere potest physicam connexionem & naturalem commensurationem cum Deo, ergo.

72. Argumentum hoc sibi proponit Ariaga, & æquè facilè ac bene solvit; nec enim necesse est, qualitatem aliquam, per quam subjectum redditur amore dignum, esse in quacumque linea digniorem subjecto; ita se habent etiam omnes qualitates naturales propter quas aliquem hominem diligimus, quæ certè ipso homine sunt inferiores; ratio autem est, quia adveniente hac qualitate non destruitur, sed perficitur subjectum, unde ex complexo subjecti, & advenientis perfectionis habetur aliquid perfectius, quàm prius esset.

Quanquam quid in hisce afferendis, & rejiciendis immoror? nobis satis est nostra tueri. Quod ut amplius fiat.

ARTICULUS VI.

Refelluntur Argumenta in oppositum.

73. SI attentè perpendantur illa, quæ in præcedente exposuimus, omnia adversariorum argumenta corruere, affirmare non erubesco; attamen, ut clarius omnia ad examen revocentur & rejiciantur, illa afferre operę pretium sum arbitratus.

Primo itaque sic argumentantur. Si potest dari forma, cui connaturale sit red-

reddere hominem justum, amicum, & filium Dei adoptivum, hæc esse debet gratia habitualis, atqui dari potest forma, cui sit connaturale reddere hominem justum &c. ergo. Prob. mi. dari potest forma, cui sit connaturale reddere hominem beatum, & clare intuitive Deum videntem, sicut de facto est lumen gloriæ, ergo etiam dari potest forma, cui sit connaturale &c.

Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. plerique negant ant. Deus enim intellectui lumine gloriæ perfuso liberè se communicat, cum nulli creaturæ aliquid debeat; admisso tamen antec. negatur consequentia, etenim lumen gloriæ respectu Dei in visione beatifica reprehesentati est sicut lux respectu objecti visi, nec aliquis alius effectus ipsi assignari potest; at gratiæ nihil aliud convenit, nisi esse qualitatem ex se mortuam, per quam homo fit aptus ad cognoscendum & diligendum Deum supernaturaliter, quæ cognitio & dilectio Dei supernaturalis non sibi vindicat ex natura sua constituere hominem justum, amicum, & filium Dei, nisi quia in ipsa includitur Dei dispositio & ordinatio; quod quidem videmus etiam in aliis qualitatibus, quamvis sint permanentes; Sic character in baptismate reddit hominem formaliter Christianum, nec tamen reddit nisi ex institutione Christi, & Divina ordinatione. Quod si argumentum propositum intimius consideremus, nihil concludetur, nisi, quod sicut lumen gloriæ reddit hominem Deum clarè videntem, ita gratia reddat hominem Deum amantem, quod jam est falsum, & quamvis esset verum, quod de dilectione actuali magis dicendum esset, non ex hoc sequeretur, hominem ex natura gratiæ amari à Deo, sed ex sui voluntate hujusmodi qualitati affixa. Tandem. Argumentum non valet ab habitibus in patria ad habitus in via.

74. Ob. secundo. Gratia secundum naturam suam est peculiaris Divinæ naturæ participatio, sed quod est ex natura sua participatio Divinæ naturæ reddit ex natura sua hominem justum, amicum, & filium Dei, ergo. Prob. mi. Quod ex natura sua est participatio Divinæ naturæ est etiam participatio ejusdem naturæ proprietatum, sed esse justum, amicum, & filium Dei sunt proprietates Divinæ naturæ, ergo. Præterea. Peccatum suapte natura reddit hominem injustum, & inimicum Deo, ergo gratia suapte natura reddit hominem justum, & Dei amicum.

75. Resp. male ab adversariis probari minorem, cum debuisset probari major, hoc enim est in quæstione, & à nobis negatur, est enim gratia participatio Divinæ naturæ, quia hanc qualitatem hujusmodi esse à Divina voluntate & institutione descendit, & æquali modo potuisset esse quæcumque alia qualitas; Ad Confirm. nullo pacto approbanda est responsio Mastrii dicentis, quod si nulla lex fuisset à Deo præscripta, nullum fuisset peccatum mortale, quia ideo dicitur peccatum, quia est prohibitum, & seclusa Divina lege, & transgressione nullus diceretur indignus amicitia Dei, & injustus; ex quo laudatus Doctor adversariorum argumentum retorquet, nimirum, quod sicut peccatum solum ex Divinæ legis transgressione reddit injustum, sic gratia solum ex Divina dispositione reddit justum; nullo pacto inquam approbanda est, quia ex terminis solum admittit malum ab extrinseco, idest, quia prohibitum, non vero prohibitum quia malum, scilicet tale ab intrinseco, quod falsum omnino est. Mihi igitur magis placet illud antecedens concedere, & negare consequentiam, primo quia ex eo sequeretur, quod sicut peccatum actuale reddit formaliter hominem injustum, & inimicum Deo, ita etiam gratia actualis, & actualis dilectio reddet hominem formaliter justum, & Dei amicum, quod tamen omnes Thomistæ negant, & alii præter Vasquez, contra quem jam actum est art. anteceden-

dente. Secundo quia, ut ibi dictum fuit, homo habet ex propriis, per quod sit injustus & inimicus, non habet autem ex aliqua creata qualitate, per quam fiat justus & amicus, & ideo requiritur institutio & voluntas Divina, per quam hujusmodi fiat.

Ob. tertio. Si gratia secundum se solam non est forma justificans, vel erit solus favor Dei extrinsecus causa formalis justificationis nostræ, vel gratia ipsa una simul cum Divina condonatione, quæ se habeat extrinsecè tamquam conditio, vel utraque simul tamquam duo principia constituentia unum perfectum principium per quod justificemur; sed neutrum dici potest, ergo. Non equidem primum, cum manifestis verbis à Concil. Trident. damnatum sit; non secundum; quia si non desunt formæ naturales expellentes formam sibi contrariam sine aliqua extrinseca Dei dispositione, quare id negabitur gratiæ, quæ omnium formarum etiam supernaturalium præstantissima dicitur? non tertium; alioquin non unica tantum esset causa nostræ justificationis, ut statuit Concilium, sed duæ, gratia scilicet ac Divina ordinatio seù Divinus favor extrinsecus.

76. Resp. hoc ultimum esse asserendum; nec aliquid non dicendum sequitur, si ex duabus causis partialibus unicam causam perfectam & integram fieri affirmemus, quod pluribus posset exemplis ostendi; si vero quæras, quo pacto se habeat Divina ordinatio & favor extrinsecus, respondeo, se habere ad instar principii elevantis illam qualitatem, ut gratia sit, quæ cum ex se esset dumtaxat principium remotum justificationis, per ipsam fit proximum; non quidem tali pacto, ut intrinsecus in esse physico immutetur, sed solum in esse morali; atque hoc novum non est etiam naturalia perpendendo, nam extrinseca v. g. populi electio alicujus in Principem, hunc physicè non immutat, immutat tamen moraliter; quamquam nec opus est hoc dicamus, quo pacto enim per auxilium Dei extrinsecum elevari possit facultas ad nobiliores effectus prestandos, in Scotica sententia notum est.

77. Ob. quarto. Si gratia ex natura sua non redderet hominem justum non esset causa formalis nostræ justificationis, sed solummodo signum, sed hoc est contra Patres & Concilia, præsertim Tridentinum, ergo. Præterea. Si esset purum signum, justificatio nostra esset per solam extrinsecam justitiæ Christi imputationem, nec justus esset revera & intrinsecè justus, sicut habens signum nobilitatis, quia Rex ita voluit, non est revera nobilis, sed solum extrinsecè & per nobilitatem ipsi à Rege imputatam, atqui hoc est prorsus Hæreticum, ergo.

78. Resp. gratiam revera esse causam formalem justificationis non purum signum, hoc tamen ipsi non convenire nisi ex antecedenti Divina ordinatione, qua voluit, habentem eam qualitatem esse Deo gratum tanquam ipsius filium & amicum, ideo non est purum signum sanctitatis, sed est ipsa sanctitas non quidem in esse physico sed morali, & prout includit Divinam ordinationem, quare non se habet v. g. sicut infula Pontificis, quæ est purum signum Pontificatus, sed sicut Pontificalis dignitas, propter quam tanquam causam formalem ut Pontifex existimatur & colitur.

ARTICULUS VII.

Utrum in eodem subjecto componi possint gratia & peccatum.

79. EX propositæ difficultatis resolutione magis manifestum fiet, quod in antecedente declaratum fuit, si enim gratiam cum peccato componi posse demonstrabimus, gratiam ex propria natura non justificare quisque percipiet; quamvis non defuerint aliqui Doctores, ut Suarez, Cacheran. Ovied. Ariaga, qui gratiæ physicam vim justificandi concesserint, & tamen cum peccato esse posse

posse affirmaverint; Non est autem quæstio juxta præsentem providentiam, in qua certè nemo gratia præditus est & peccato fœdatus, sed juxta extraordinariam & absolutam Dei voluntatem. Negant Thomistæ omnes quos sequuntur plures Neoterici, Vasquez, Amicus, Esparza, Madernus, Aversa &c. Affirmant vero omnes Scotistæ cum Scoto in 1. dis. 17. & in 2. dis. 28. & 35. qu. 1. & in 4. dis. 16. qu. 1. S. Bonavent. Gabr. Ocham. & prælaudati Recentiores.

80. Sicut vero plures extra Doctoris subtilissimi Scholam sententiam hanc, ut fuit dictum propugnant, ita non unum est momentum, quo ejusdem veritatem demonstrare contendunt. Ineluctabile certe juxta principia propria est illud Scoticum, quod superius statutum est, gratiam nimirum solummodo ex Divina institutione hominem reddere justum, amicum & filium Dei, auferatur igitur hujusmodi institutio; sicut auferri posse nullus inficiabitur, jam nulla relinquitur ratio, qua dicamus, gratiam cum peccato componi non posse. Sed hic est etiam advertendum, quod supra monuimus, gratiam hic non sumi sub reduplicatione gratiæ, sic enim considerata jam explicat Divinam institutionem & voluntatem, qua Deus voluit, hominem habentem hujusmodi qualitatem esse sibi gratum, proinde non esse peccatorem, sed sumi sub notione qualitatis propriè & inspectæ in sui natura, seù, ut loquitur Mastrius, inspectæ materialiter, non formaliter.

81. Neque dici potest, hoc pacto loquentes omnem difficultatem effugere, nec quæstionem instituere, prout institui debet, nam ut locum habeat difficultas, inquirendum est de gratia ut gratia est; Immo enim dicam ego, si gratia ita sumeretur nulla controversia moveri posset, propter rationem superius expositam, alioquin sequeretur, idem subjectum esse Dei amicum & inimicum, dignum æterna gloria, & pœnæ æternæ reum, mundum & immundum, quod tamen ab omnibus negatur, præter Pontium paucosque alios, potius rem subtiliter quam veraciter investigantes.

82. Utcumque tamen res se habeat, & etiam admisso, doctrinam hanc esse prætermittendam, alia momenta subjiciam, quibus idem assertum amplius declaretur, & ostendatur. Atque, ut rem strictius persolvam, argumento negativo procedo, quod, ubi sermo est de iis, quæ per virtutem Divinam fieri possunt, efficacissimnm est, ut enim sæpissime Thomistæ inquiunt, quidquid contradictione non impeditur, id potestate Dei fieri posse concedendum est. Si quid obstat, dicamus peccatum esse posse cum gratia, esse debet aliqua ex illis oppositionibus, quæ à Summulistis dicuntur contraria, contradictoria, relativa & privativa, sed nulla ex istis, ergo. Si de contraria sermo sit, constat Deum conservare posse in eodem subjecto duas formas, quæ hoc pacto opponantur, sicut sunt frigus & calor; & ratio vera est, quia licet calor ex natura sua sibi vindicat frigus expellere, & è contrario, attamen hujusmodi expulsio pertinet dumtaxat ad effectum, qui dicitur secundarius, quem præpotenti Divina virtute impediri posse nullus ibit inficias, si quod Philosophia tradit, & ex historiis colligitur non pernegetur; Si vero de contradictoria; hæc inter gratiam & peccatum non reperitur, vel enim esset secundum se, vel propter effectus suos; non secundum se, cum vera contradictio versetur tantum inter esse & non esse, quod de gratia & peccato dici non potest, cum de peccato nihil esse affirmari non possit, est enim dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei, & ad summum est nihil in esse morali consideratum, non in esse physico, vel ut alii inquiunt in esse formali non materiali; non vero propter effectus suos, quod in argumentorum solutione declarabitur. De relativa oppositione non est, cur aliquem sermonem

nem

nem instituamus; certum namque est, neque gratiam ad peccatum, neque hoc ad illam referri; Quod vero de privativa dici posset, satis constat ex dictis de contradictoria.

83. Totum hoc clarius demonstratur ea afferendo, quæ in oppositum Thomistæ eorumque sectatores producunt. Primo itaque sic argumentantur. Ea, quæ præstant effectus contradictorios, simul esse non possunt, sed gratia & peccatum præstant effectus contradictorios, ergo. Prob. mi. Esse justum & injustum, amicum Dei & inimicum, jus habere ad æternam hæreditatem cum debito subeundi pœnam æternam, & tandem esse conversum ad Deum & à Deo aversum, sunt effectus contradictorii, sed primum præstat gratia, secundum præstat peccatum, ergo.

84. Hoc primum argumentum, quod tamen inter præcipua recensendum est, facillime corruit, si attendamus plura, quæ juxta sustinentes assertionem nostram stabiliuntur. Quid enim si dicamus, hæc omnia præstari à gratia, ut subftat Divinæ dispositioni, non vero ex natura ipsius intrinseca? Quid si dicamus, omnes istos effectus esse gratiæ secundarios, qui per Divinam virtutem impediri possunt, ut pluribus aliis constat exemplis? Quid si dicamus, idem subjectum omnes hujusmodi denominationes recipere posse? Quid si dicamus hominem in hac hypothesi non esse appellandum justum & injustum, amicum Dei & inimicum &c. & tamen hæc omnia dicere non prohibemur. Prima duo dici posse constat ex traditis. Tertium vero defendunt plurimi, & quidem magnæ notæ Doctores. Defendit Suarez lib.7. de sanctific. hominis cap.20. n.21. inquiens, denominationes illas non esse contradictorias, sed solùm contrarias & ex diversis rationibus & fundamentis, quod quidem declarat hoc exemplo. Anima rationalis in propria natura considerata naturali digna est beatitudine, si tamen peccat, eadem beatititudine se reddit indignam, erit igitur digna & indigna, cum peccatum non destruat naturalem animæ conditionem; Qua de re infert eximius Doctor, cum hic sermo sit in materia morali, nequaquam hoc dicemus, quia malum desumitur ex quocumque defectu, & ideo, si habeatur id, per quod subjectum dicatur dignum, si tamen habeat aliud, per quod dicatur indignum, absolute indignum existimabitur; & ita declaratur quod quarto loco proponebatur, attamen sistendo in tertia responsione paritas à Suarez adducta probat, idem esse posse justum & injustum, amicum Dei & inimicum, cum hæc omnia secundum diversos actus & respectus affirmentur; & revera si Ovied. hic punct.3. non negat, posse in eodem subjecto componi assensum & dissensum, amorem & odium respectu ejusdem objecti, cur negabitur, posse etiam componi gratiam & peccatum, idest conversionem ad Deum & aversionem à Deo, præsertim quia essent pro diverso tempore, ita ut una præsupponeret aliam, nec quidpiam requireretur, nisi unam non expelli per aliam? Vera tamen & germana responsio illa est, quam primo loco attulimus, quæque à Scoti principiis & doctrina desumitur.

85. Ob. 2. Si per infusionem gratiæ non expelleretur peccatum, hoc solummodo per miraculum una simul cum gratia conservaretur, sed hoc non est dicendum, ergo. Prob. mi. Si peccatum per miraculum conservaretur, Deus esset causa ejusdem conservativa, sicut quia per miraculum calor non expellitur à frigore, Deus est causa conservativa caloris, atqui Deus nequit esse causa conservativa peccati, sicut nequit esse productiva, ergo. Præterea; In Scripturis Sanctis gratia comparatur luci, peccatum tenebris, *eratis*, enim Paulus ait ad Ephes.5. *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Atqui necessario tenebræ expelluntur per lucem, ergo & peccatum per gratiam. Rursus. Gratia ex Concilio Tridentino dicitur perfecta

fecta sanctitas ac animæ justitia, sed non esset hujusmodi, si esset cum peccato, ergo. Neque etiam servari posset, quod ait Christus 1. Joan. 3. *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet* quibus verbis gratiam, per quam quis manet in Deo, nequaquam cum peccato esse posse declaratur.

86. Resp. posse ac debere juxta principia Scotica negari majorem, quæ tunc tantummodo esset vera, quando expulsio peccati concederetur gratiæ ex propria ipsius natura, sicut convenit frigori calorem ab eodem propellere subjecto; attamen negatur minor; ad prob. ne. maj. conservaretur enim peccatum à Deo solùm permissive; quod non repugnat, & à creatura propriè, quia ab ipsa peccatum non retractaretur, ad quam non retractationem certum est, Deum nullum positivum influxum adhibere; Contrarium contingit, dum de frigore & calore sermonem habemus, nam sicut utrumque Deus positivè producit, ita utrumque positivè conservat. Ad secundum. Illa comparatio tantùm metaphorica est, & ad majorem explicationem instituta, certum namque est, peccatum non consistere in sola privatione, & ad summum est privatio rectitudinis debitæ, non vero gratiæ; Quod etsi transmitteretur, hoc esset de facto juxta præsentem Dei providentiam, non sic de possibili & in alio rerum ordine, in quo Deus aliter statueret. Idem dicimus ad tertium, nisi dicamus, quod quemadmodum frigus remanet perfectè frigus, quamvis ab eodem subjecto non expellatur calor, ita gratia est perfecta sanctitas, quamvis ab eadem anima non expellatur peccatum. Juxta superius dicta explicandum Scripturæ testimonium. Hæc omnia sive in hoc sive in antecedente dicta magis confirmabuntur, si difficultatem sequentem resolvemus.

ARTICULUS VIII.

An sine gratiæ infusione remitti possit peccatum.

87. IN hac tam celebri apud veteres Theologos pluresque etiam recentiores difficultate tres sententiæ recenseri possunt. Una docet, nullo pacto remitti posse peccatum sine infusione gratiæ, aut saltem sine aliqua physica qualitate intrinsecus recepta atque inhærente; Hæc est omnium Thomistarum, Cajetani hic qu. 113. art. 2. Richar. in 4. dis. 17. art. 4. qu. 2. ad 1. Gonet. disput. 1. de justific. art. 4. §. 2. quibus adhærent Valentia disp. 8. qu. 5. punct. 5. Vasquez disp. 206. cap. 2. Amic. disp. 33. ser. 1. Madern. qu. 7. art. 3. Hanc vero fuisse mentem S. Th. ex iis colligunt, quæ habet S. Doct. hic qu. 113. art. 2. ubi dicit. *Idea non posset intelligi remissio culpæ si non adesset infusio gratiæ*. Et ex qu. 28. de veritate art. 2. ubi ait. *Ad sanandam prædictam aversionem requiritur gratiæ & charitatis infusio, sicut ad sanationem cæcitatis requiritur restitutio potentiæ visivæ*. Secunda sententia defendit, fieri posse remissionem peccati absque infusione gratiæ, & qualibet alia physica qualitate inhærente, vel hominem ita reddendo qualis esset in statu puræ naturæ, vel etiam alio modo justificando per solam Dei voluntatem atque extrinsecam condonationem; dixi, *aliquo modo justificando* quia etsi absque gratiæ vel alterius qualitatis infusione non evaderet gratus & amicus Dei, sicut evadit per gratiam, attamen evaderet non inimicus idest negativè amicus, nec esset objectum odii, quamvis specialiter non esset acceptus, quod aliis terminis explicari potest dicendo, haberi sine gratiæ infusione justificationem negativam, non positivam. Hoc tradunt omnes Scotistę cum Subtilissimo in primum dis. 17. qu. 2. §. de secundo articulo; in 2. dis. 20. qu. 1. & ubique, cum S. Bonavent. in 4. dis. 17. cum Alens. dis. 17. n. 4. art. 6.

art. 6. quos sequuntur omnes Nominal. pluresque Recent. Suarez lib. 7. de sanctific hominis cap. 22. Arriaga disp. 46. sect. 3. Ovied. Cacheran. Aversa, Lezana. Tertia tandem distinguit hominem in statu naturæ puræ, & in statu naturæ elevatæ; Si in primo consideretur, asserit remitti posse peccatum absque gratiæ infusione; Si in secundo, negat. Ita præsertim Bellarminus, Martinez, Zumel.

88. Dicendum cum secunda sententia. Ad quam probandam plura momenta producuntur à Suarez, Cacherano, Arriaga, aliisque quæ tamen omomnia decerpta sunt à Scoto. Primum, quod habetur in 4. dis. 1. qu. 6. ita proponitur. Quidquid in peccato reperitur, auferri potest per solam Dei voluntatem sine aliqua physica peccatoris mutatione, & absque infusione alicujus qualitatis, ergo. Prob. ant. In peccato tria reperiuntur, idest, injuria seù offensa Deo facta, inimicitia ipsius Dei, & aversio ab ipso Deo, sed hæc omnia auferri possunt per solam Dei voluntatem sine aliqua physica &c. ergo. Prob. mi. & primo auferri posse injuriam seù offensam Deo factam, si quod in humanis contingit consideremus, quis non intelligit? An non apud nos per puram extrinsecam condonationem remittitur quęcumque fuerit injuria illata? Hoc idem probat, auferri posse inimicitiam, satis enim percipitur inimicitia ablata, si qui injuriam recepit cedat juri suo, neque postulet vulcisci; Quod vero spectat ad aversionem à Deo bifariam ostendo; Primo sic. Potest à Deo auferri hujusmodi aversio per condonationem positam ad exigentiam gratiæ, ergo etiam potest per condonationem positam ex solo sui beneplacito absque exigentia gratiæ, aut alterius qualitatis inhærentis. Prob. cons. Quidquid Deus facit juxta alterius exigentiam potest etiam facere nullo exigente, sicut Princeps, qui si det veniam alicui propter alterius preces, dare etiam potest nulla posita aliena deprecatione, ergo. Secundo. Hujusmodi aversio aufertur de facto per gratiam, ergo etiam potest auferri per actum Divinæ dilectionis & condonationis, consequentia ostenditur, quia quæcumque gratiæ perfectio continetur in actu Divinæ dilectionis, tanquam effectus in causa eminenti & perfectiori.

89. Hæc omnia magis probant si loquamur de debito subeundi indignationem Divinam, in quo præcipuè consistit esse physicum peccati, hoc enim remitti posse per solam extrinsecam Dei condonationem, non video cur negatur, si inspiciamus, ad extinguendam aliquam passivam obligationem satis esse voluntatem extrinsecam obligatarii absque aliqua physica mutatione personæ cui obligatio inest; Sic voluntas extrinseca Legislatoris sufficit ad auferendam in subditis obligationem passivam faciendi id quod lege præcipitur, voluntas extrinseca promissarii ad auferendam in promissore obligationem passivam adimplendi quod promissum est, & ideo etiam Deus, cui per votum fit promissio, relaxare potest obligationem voti absque physica voventis mutatione.

90. Dices, paritatem desumptam à creatura ad Deum non tenere, etenim dum sermo est de creatura relaxante alteri debitum contingit mutatio in ipsa, quod cum dici nequeat de Deo, mutatio debet contingere in ipso peccatore cui remittitur peccatum, & ideo nunquam remitti potest nisi per aliquod intrinsecè receptum per quod mutetur. Rursus. Voluntas creata condonando injuriam remittit quidem debitum satisfaciendi pro culpa, non tamen remittit culpam, è contra Deus remittendo pœnam etiam culpam remittit, quod sine peccatoris mutatione intelligi nequaquam potest. Tandem non valet id quod dicebatur de aliis pœnis & de voti obligatione, siquidem obligatio pœnæ & voti dependet à Deo in esse & conservari, at non ita loquendum de macula peccati,

ti, quæ nec in esse nec in conservari dependet à Deo.

91. Sed contra. Ad primum; Respondet Cacheranus in hujusmodi relaxationibus contingere quidem aliquam mutationem, non tamen in creatura cui fiat relaxatio, sed in alia distincta re creata; Si autem ab ipso quæras, quænam erit hæc alia res distincta, illam indeterminatè assignat, cum in alia rerum providentia liberum sit Deo decernere hanc vel illam mutationem physicam, propter quam sequeretur moralis mutatio peccatoris in non peccatorem, vel determinando aliquod opus ab alia persona præstitum nomine peccatoris etiam inscio ipso peccatore, vel novam aliquam qualitatem Angelo tutelari imprimendo, vel aliquod ens physicum destruendo, cujus destructioni peccati condonationem conjungeret. Quidquid tamen sit de hac doctrina per quam aptè servatur moralem mutationem sine physica esse non posse, aliam afferre non prohibemur, quin nec in peccatore nec in Deo, nec in aliquo alio mutatio contingat; Quis enim aliquem à Deo fieri posse absque ulla intrinseca mutatione Ducem vel Imperatorem ibit inficias? Cur igitur non poterit etiam à Deo fieri non inimicus Dei, in quo potissimum consistit peccati remissio & negativa justificatio, & quemadmodum intelligi potest ille novus actus volitionis sine mutatione nec in Deo nec in homine, ita poterit intelligi hæc nova volitio in re nostra. Hoc autem optimè explicatur à Scoto in 4. dis. 16. quæst. 2. Ut enim fiat transitus de contradictorio in contradictorium absque mutatione vel in Deo vel in objecto, sufficiens est sola temporis variatio, ita ut Deus volens pro hoc instanti peccatum remittere & non in præcedentibus, habuerit ab æterno actum quo voluerit pro illo remittere non pro istis; non igitur pro hoc instanti incipit Deus velle carentiam peccati, quam prius non vellet cum ab æterno illam pro hoc instanti voluerit non pro aliis; Ad secundum negatur antecedens disparitatis, statim enim hac remittitur obligatio satisfaciendi pro culpa, etiam ipsa culpa remissa intelligitur, aliter post remissionem pœnæ adhuc in remittente esset jus ad infligendam pœnam, quod est falsum. Quid est enim in re nostra peccatum habituale nisi actus peccaminosus præteritus moraliter perseverans in obligatione satisfaciendi, seu in debito pœnam subeundi, hoc igitur ablato aufertur & illa moralis perseverantia, igitur aufertur & culpa. Ad tertium nihil refert, maculam peccati à Deo neque fieri neque conservari, etenim negari non potest ab ipso permitti, poterit ergo illam destruere, illam non amplius permittendo.

92. Prob. ulterius assertum sic. Potest auferri gratia sine peccato, ergo etiam peccatum sine gratia. Prob. ant. Potest Deus alicui per infusionem gratiæ peccatum remittere, & postea sine illius culpa infusam gratiam auferre sed in hac hypothesi potest auferri gratia sine, ergo. Prima autem consequentia tenet, nam sicut per adversarios non potest peccatum propter oppositionem privativam auferri nisi per formam oppositam, ita forma non poterit auferri nisi per privationem oppositam, ergo si hoc non obstante auferri potest gratia sine peccato, poterit etiam sine gratia auferri peccatum, sicut si lux potest auferri sine tenebris, possent etiam tenebræ auferri sine luce.

93. Dices. Hominem in hac hypothesi nec esse justum nec peccatorem, non justum, quia sine gratia; non peccatorem, quia sine peccato, erit igitur in statu naturæ puræ. Sed contra. Hoc etiam dumtaxat admisso adhuc corrueret Thomistarum sententia; Sed revera adhuc dicimus non futurum hominem in statu naturæ puræ; Prob. quia remanente illo statu peccatum non posset remitti per gratiæ infusionem, econtra posset in nostro casu. Secundo, quia in eo statu fieret remissio peccati sine gra-

tiæ infusione etiam loquendo de via ordinaria, in re autem nostra fieret tantummodo per extraordinariam Dei virtutem, proinde &c.

94. Hucusque dicta valere saltem de pura peccati remissione seu de justificatione negativa placet asserere, ita ut per solam extrinsecam condonationem auferatur quidquid culpæ & offensæ est in peccato, nec amplius remaneat homo objectum Divini odii, quamvis dignus non fiat, ut speciali dilectione eum Deus prosequatur, & hoc aperte colligitur ex Scot. in 4. dis. 1. qu. 6. immo ex Concilio Tridentino, quod ses. 6. cap. 7. distinguit remissionem peccatorum ab animæ splendore & pulchritudine, cujus testimonium & definitionem nos attulimus ubi de gratia habituali tamquam physica qualitate animæ nostræ inhærente pertractavimus. Dixi *saltem* nam etiam dici posset, per solam extrinsecam condonationem, & actum dilectionis Dei extrinsecum posset homo fieri amicus & filius Dei adoptivus, sicut inter homines extrinsecus adoptantis actus filium efficit adoptivum. Rationes in oppositum non adduco, cum vel probent tantùm de facto non de possibili, aut juxta principia Scotica & alia dicta in antecedentibus resolvantur.

ARTICULUS IX.

An homo possit perfectè justificari, seu possit infundi gratia sine aliquo actu peccatoris.

95. HIC non loquimur de infusione gratiæ ut conjungendæ cum peccato, quod divinitus fieri posse supra stabilivimus, certum enim est in hoc sensu nullum actum peccatoris, per quem peccatum retractetur, requiri; Rursus de justificatione parvulorum nulla potest esse controversia, cum in istis nullum actum præcedere, jam suo loco fuerit declaratum; Quæritur igitur de peccatore adulto, & quidem in alia providentia, nam loquendo in præsenti rerum ordine peccatorum retractationem necessariam esse alibi ostendimus & probavimus. In hoc puncto aliquem actum necessarium esse ex parte peccatoris defendunt plures ex Thomistis signanter Corrad. & Sot. quibus totis viribus adhærent Morand. Becan. Amic. Oppositum vero docent Alens. Bonavent. & Scot. in 4. dis. 14. qu. 1. §. ex his, quos sequuntur omnes pœne recentiores Suarez, Lugus, Vasquez, Cacheran. Coninch. &c.

96. Horum sententiam amplectimur, & sic probamus, omissis illis, quæ ex antecedentibus proponi possunt; Nullus actus creaturæ connexus est essentialiter cum gratiæ infusione, ergo sine aliquo actu peccatoris potest infundi gratia. Prob. ant. nullus actus, qui possit excogitari in creatura, est per se forma expulsiva peccati, sed dumtaxat se habet vel ad instar dispositionis materialis, idest ex parte subjecti, vel satisfactionis ex parte hominis, vel conditionis juxta Divinam legem prærequisitæ, ergo. Primam partem antecedentis quis refagrabitur, nisi dicat, hominem se ipsum posse justificare, & in semetipso gratiam habitualem producere, quod quàm falsum sit, jam demonstratum est, ubi de præcipua causa gratiæ habitualis; Si vero se habet ad instar dispositionis, quis neget, Deum producere posse formam in subjecto absbue ulla prævia dispositione? Si ad instar satisfactionis, hanc Deus potest relaxare, sicut dictum fuit de voto, si ad instar conditionis, hæc fuit ex Divino beneplacito præscripta, proinde Dei voluntate potest auferri. Quod si totum hoc contingit in infusione gratiæ, quæ fit in parvulis, quare Deo ita disponente fieri non posset in adultis?

97. Dices. Peccatum personale contractum esse per propriam voluntatem, ideo etiam propria debet voluntate retractari, quandiu enim manet irremiscibile, remittetur nunquam, quandiu autem remanet voluntarium, irremiscibile

bile censendum est. Sed contra; hujusmodi evasio multifariam rejicitur. Primo. Peccatum remiscibile esse à sola Dei voluntate dependet, non vero ab hominis retractatione, constat hoc, quia, etiamsi peccator suum præteritum actum malum retractet, adhuc tamen veniam non consequitur, ut patet in actu attritionis extra Sacramentum, & si per actum contritionis justus evadit, hoc non est ex ejusdem actus merito & natura, sed solum ex Divina promissione & liberalitate; Secundo. Peccatum habituale dici voluntarium non in alio sensu concedi potest nisi in actu præterito & in sui causa, scilicet non in sensu physico sed solum morali, sicut dicuntur voluntarii alii contractus humani, ut sunt v.g. matrimonium & votum, sed quod tali pacto voluntarium est, remitti & dissolvi potest sine aliquo actu contrahentis retractativo, si Deus remittere ac dissolvere velit, immo per actum contrahentis retractativum dissolvi non potest, ut manifestum est in matrimonio & voto, ergo.

98. Opp. 1. Peccatum habituale nihil est aliud, quam hominem peccatum comisisse, & commissum non retractasse, ergo quandiu remanent hæc duo, semper remanet peccatum habituale; primum auferri non potest; nec enim quod præteritum est fieri potest non præteritum, ergo debet auferri secundum, sed hoc esse nequit sine aliquo actu peccatoris, ergo peccatum habituale nequit remiti sine &c. Item. Peccatum habituale est libera aversio à Deo & conversio ad creaturam, ergo tolli non potest nisi per liberam aversionem à creatura & conversionem ad Deum.

99. Resp. Idem argumentum fieri posse de quocumque humano contractu, in quo tamen retractatio non requiritur, ut relaxetur, sicut dictum fuit; nego itaque antec. quoad secundam partem, quæ licet sit vera juxta præsentem rerum ordinem, est tamen falsa juxta aliam providentiam, in qua Deus hujusmodi retractationem non præcepisset, aut instituisset; Potius dici debet, peccatum habituale nihil aliud esse, quàm peccatum commissum esse, & à Deo non esse remissum, proinde remanere debitum subeundi pœnam & indignationem Divinam; Hoc sane pacto illud explicavit S. August. de concupisc. & nupt. cap. 26. dices; *Eorum peccatorum, quæ dum fiunt, prætereunt, reatus manet, & nisi remittatur, in æternum manet*. Quapropter si remittitur peccatum, tollitur, esto non retractetur, si non remittitur, etiamsi retractetur, manet; Hinc aliud argumentum bene pro mea sententia sic expono. Potest Deus non remittere peccatum etiamsi peccator se retractet, quod quidem verum est sive loquamur de retractatione habita per attritionem, sive per contritionem, nihil enim eorum, quæ justificationem præcedunt, justificationis gratiam promerentur, & contritio est ad impetrandam peccatorum veniam, non ad infallibiliter consequendam, nisi ex Divina promissione, ergo etiam Deus potest remittere peccatum, per consequens gratiam infundere, etiamsi peccator se non retractet.

100. Dices. Si peccatum non consisteret in actu præterito non retractato, sed in actu præterito non remisso, peccatum habituale conservaretur per non remissionem, sed hoc est falsum; Prob. Si peccatum habituale conservaretur per non remissionem, conservaretur à Deo non remittente, sed hoc non, ergo. Sed contra; argumentum hoc in quacumque sententia potest retorqueri; Asseris, consistere in actu præterito non retractato, & non remisso? Hoc certè debes asserere juxta principia recentiorum assertum meo oppositum defendentium, ergo saltem indæquatè conservaretur à Deo. Asseris consistere in habituali privatione gratiæ? Hoc certè debes fateri juxta principia Thomistica, ergo à Deo conservatur, qui non vult dare gratiam, & posset nolle dare, etiam si illud retractares. Itaque in forma dico, suppo-

posi-

posito peccato posse Deum indirectè peccatum conservare, quia potest veniam peccatori negare, hoc autem Deum non dedecet, immo ad ejus justitiam pertinere potest.

101. Opp.2. Quod pendet solùm ab hominis voluntate nequit auferri à solo Deo, etenim effectus à quo pendet in esse, pendet etiam in conservari, sed peccatum habituale pendet solum ab hominis voluntate, ergo nequit auferri à solo Deo; quod si aliter fieret, remissio illa peccati non esset vera ejusdem destructio, sed sola non imputatio seù tentio, ut inquiunt Sectarii. Præterea. Aliquem esse peccatorem est realis denominatio, ergo auferri non potest, quin in aliquo extremo contingat mutatio, cum fiat transitus à contradictorio in contradictorium, cum ex alia parte nequeat in Deo esse mutatio, esse debet in creatura, quæ sine aliquo ipsius actu fingi non potest. Rursus, in peccato duo adinveniuntur, offensa seù injuria facta Deo, & deordinatio à lege & recta ratione, quamvis vero per extrinsecam Dei condonationem auferri possit illa; hæc tamen, nisi à creatura retractetur, semper eadem manebit, quapropter &c.

102. Resp. ne. maj. cujus falsitas patet ex dictis, nam licet peccatum habituale ab homine retractaretur, adhuc non intelligeretur ablatum; pendet igitur ab hominis voluntate sola peccatum dum committitur, at ut commissum remittatur, & prorsus deleatur, nec solum tegatur, pendet à Divina voluntate remittente, nulla præexigita conditione, vel dispositione nisi juxta præsentem providentiam, in qua Deus ita statuit. Ad secundum responsio data est in ant. n.92. ad tertium conc. illa duo reperiri in peccato, sed dico, ablata offensa & injuria facta Deo auferri etiam illam deordinationem, immo peccatum lethale in ea ita consistit, ut si actus esset solùm deordinatus, & non esset offensa Dei, nequaquam esset peccatum mortale, quod quidem colligo ex Sancto Thoma 2.2. q.20. art.3. dicente. *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale*. Reatus igitur culpæ consistit in aversione à Deo & in facta ipsi injuria, proinde hac ablata, etiam illam auferri censendum est, & ad summum remaneret aliqua temporanea pœna luenda, non autem Divina indignatio vel odium; Verum quod dixi etiam ratione demonstro; nam si remissa injuria facta Deo remaneret aliquid culpæ, jam remissio culpæ non solum dispositive, sed etiam formaliter ab actu creaturæ dependeret, sed hoc omnino falsum & erroneum est, ergo. Tandem, ut quam plura prætercam, nec enim in hisce speculationibus calamum nostrum fas est diutius immorari, scias, in gratia habituali contineri ea omnia eminenti quodam modo, quæ peccato habituali contraria sunt, proinde per istius infusionem Deo sic disponente auferri posset quidquid per peccatum homo contraxit. Pro hac re vide Suarez lib.7. de sanctific. hominis cap.23. Mastrium disp. 7. de justific. qu. 5. Car. de Lugo, disp. 7. sec. 8. Cacheran. tract.5. de grat. §.8. &c. &c.

ARTICULUS X.

Utrum aliquis possit esse certus sine speciali Dei revelatione se esse justificatum.

103. EX titulo compertum habes, quæstionem fieri de propria, non de aliena justificatione, nam si de ista loquamur, potest quis infallibilem certitudinem dubio procul habere; si enim fiat hic Sylogismus. Omnis infans rite baptizatus est in gratia, sed hic infans est à me rite baptizatus, ergo est in gratia; conclusio sequitur ex una præmissa, quam fides docet, ex alia, quæ à me ipso dependet, proinde certissimam assequitur veritatem quamvis & in hoc casu revelationem Divinam contingere necesse sit, ut constat ex majori propositio-

tione. Procedit igitur quæstio per exclusionem etiam Divinæ revelationis, nam cum isti nullo pacto falsum subesse possit, nec Deus mentiri, si Deus alicui propriam justificationem revelaret, jam pro certo se justum esse credere teneretur, alioquin à fide deficeret, & ita evenit Beatissimæ Virgini Luc. 1. Magdalenæ 7. Zach. 19. Fit tandem quæstio de certitudine infallibili; quæ sit vel Theologica, vel moralis summa, ita ut ex motivis quamcumque formidinem sive actu sive potestate excludentibus progrediatur; Posse siquidem plures homines virtutibus deditos ex aliquibus argumentis, ut ex contemptu mundi, ex cœlestium rerum desiderio ex proposito perseverante Deo placendi certitudinem aliquam habere, experientia docemur, posse tamen formidare, & quandoque actu timere, si accuratè peccata præterita cogitent, ipsi fateantur.

104. Calvinus, Lutherus, aliique, quos sub initio quæstionis recensuimus, quemadmodum docent, justificationem non esse donum aliquod infusum, & nobis inhærens, sed justitiam Christi fide apprehensam, nobisque imputatam, docent etiam, posse omnes ac debere credere, se certo esse justos, immo non tantum justos, sed etiam electos ac prædestinatos; Catharinus vero, quamvis non afferat cum Hæreticis, certitudinem fidei circa propriam justificationem ad salutem necessariam esse, neque sola fide hominem justum fieri, attamen, hominem fidelem habere propriæ gratiæ certitudinem fidei, affirmare non trepidavit. Oppositum tenent omnes Doctores cum S. Th. 1. 2. qu. 112. art. 5. Scoto, Sanct. Bonavent. Durando &c. Horum sententiam amplector.

115. Prob. primo ex Divinis Scripturis Job 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*; Eccles. 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum odio & amore dignus sit*. Prov. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum, mundus sum à peccato?* 1. ad Corint. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Ergo seclusa Divina revelatione non potest quispiam propriæ justificationis firmam certitudinem habere.

106. Hisce Scripturæ textibus Sanctorum Patrum explicantium præsertim postremum textum Apostoli nequaquam desunt testimonia. En primus S. Ambros. serm. 5. in ps. 118. in illa verba, *amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum. Ideo*, ait, *Deum precatur, ut illud auferat, quia solus novit, quod nescire potest etiam ille, qui fecit*. En secundus S. Chrysost., qui hom. 11. in primam ad Corint. *Multis*, inquit, *de causis incertum est judicium nostrum, una, quod multa opera nostra nos latent*. En tertius & ultimus, ut prætercam Theodoret. in Comment. ad cap. 4. primæ ad Corint. Bedam in cap. 20. proverb. Bernar. ser. 3. de adven. & singillatim Gregor. lib. 6. ep. 22. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ postulans, utrum peccata sua dimissa essent, responsum hoc habuit. *Rem difficilem & inutilem etiam, postulasti; difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat, inutilem vero, quia de peccatis tuis secura fieri non debes*. En inquam ultimus Sanctus Augustin., qui serm. 23. de verbis Domini hæc habet; *Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille, qui omnia videt*. Et profecto teste David ps. 18. *Delicta quis intelligit?*

107. Ad hoc confirmandum plures rationes afferunt Doctores, præsertim Suarez & Bellarmin. omnes tamen ad unam revocari possunt, ita argumentum conficiendo; Si certitudo infallibilis propriæ justificationis haberi potest absque Divina revelatione, vel hoc erit ex opere operato, vel ex opere operantis, sed neutrum dici potest, ergo. Prob. prima pars min. quia nemo potest esse certus certitudine infallibili, an seriam & requisitam Minister habuerit intentionem, cum ex Jerem. 17. *pravum sit cor homi-*

hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Prob. secunda quia ut certo quis sciat &c. debet certo scire, se credere, sperare, diligere, pænitere, ut oportet, sed nemo hoc infallibiliter scit, ergo. Prob. mi. primo quia ly *ut oportet* variis intelligitur modis; Hæreticus credit hoc rectè agere, & fallitur; secundo quia supernaturalitas actuum, quæ ex vi nominis percipi per naturę vires non potest, ad hoc requiritur, ergo. Totum hoc infertur ex doctrina S. Thomæ, qui loco citato in corpore hæc tradit. *Certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium, principium autem gratiæ & objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud Job 36. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Unde habetur aliud Job 9. *Si venerit ad me non videbo eum, si autem abjerit, non intelligam.*

108. Hinc tantummodo aliqui ex speciali privilegio hanc certam notitiam habuerunt, ut de S. Antonio narrat S. Athanas. de vita ejusdem, de Sancta Galla S. Greg. Magnus lib.4. dialog. dial. 13. de Sancto Francisco, S. Bonavent. in ejus vita cap.3. quod verum non esset, si hujusmodi certitudo sine peculiari revelatione posset obtineri. Cur insuper tot viri sanctitate conspicui circa justitiam propriam trepidassent, ut de pluribus refert Joan. Climac. & de Sancto Hilarione testatur S. Hieronymus?

109. Adde modo Concilium Tridentinum, quod sess. 6. cap. 9. ita decernit: *Quilibet, dum se ipsum suamque infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Et cap. 16. hæc habet: *Neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil conscius fuerit, judicare debet, quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei.* Quam merito vero hoc definitum fuerit ex antecedentibus collige.

110. Plures primo loco Scripturas opponunt. Ad Rom.8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; Atqui testimonium Spiritus Sancti facit certitudinem fidei, & esse filium Dei est gratiam habere, ergo. Item eodem cap. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Sed non separari à charitate est, non separari à gratia, ergo. Rursus 1. ad Corint.2. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ donata sunt nobis.* Ergo ut sciamus, & gratiam, quæ nobis donata est.

111. Resp. has omnes, similesque authoritates, quæ fermè innumeræ afferri possent, vel referri ad totam Ecclesiam, quæ certitudine fidei credit, se habere indeterminatè in membris suis spiritum adoptionis, & gratiam remissivam peccati, non autem ad omnes justos in particulari; vel in ipsis sermonem esse de certitudine habita per conjecturas quasdam, ut sub initio dixi, vel tandem de notitia habita ex privilegio, nimirum ex revelatione, unde subdit idem Apostolus: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum.* Ita Sanct. Thom. loc. cit. ad 4. sic explica Sanctos Patres qui in oppositum afferri possent, quos omnes apud Bellar. lib.3. de justific. cap.10.

112. Opp.2. Ita gratia est donum Dei sicuti donum Dei est scientia, sed qui accipit à Deo scientiam potest certissime scire, se scientiam habere, ergo etiam qui accipit à Deo gratiam. Præterea. Gratia est in anima, sed anima potest certissimè cognoscere quæ sunt in se, ut docet S. August. 12. super Genes. ad lit. ergo. Rursus. Potest homo scire se esse in peccato, ergo etiam potest scire se esse in gratia, consequentia valet à fortiori, nam lumen magis cognosci potest, quam possint tenebræ, quia ex Apost. ad Eph.5. *Omne, quod manifestatur lumen est.*

113. Resp.

113. Resp. disparem rationem afferri à S. Th. inter scientiam datam à Deo, & inter gratiam, quod illa sit evidens certitudo pertinens ad perfectionem intellectus, in quo residet ipsa scientia, & ideo quicumque scientiam habet, certus est se habere, gratia vero sit occulta perfectio virtutis appetitivæ. Ad secundum negatur mi. quæ tantùm vera est de cognitione experimentali. Ad tertium disparitas est, quia peccatum habet pro principio & objecto bonum commutabile, quod est omnibus notum; Objectum autem & finis gratiæ est bonum incommutabile nobis ignotum propter sui luminis immensitatem, juxta illud ad Timot. ultimo: *Lucem habitat inaccessibilem*. Denique peccatum à nobis est, justificatio autem à Deo.

114. Opp.3. Debemus credere peccatorum remissionem, Sacramentorum ad delenda peccata efficacitatem, tum etiam tenemur accedere ad Sacramenta vivorum cum gratia, ergo nullum dubium justitiæ nostræ esse debet in nobis. Præterea; Sumus omnino certi, CLEMENTEM XII. esse verum Pontificem & Christi Vicarium, ergo etiam possumus esse certi de nostra conversione, & potiori jure, nam, quod ille sit legitimè electus, pendet à voluntate aliena, conversio autem nostra pendet à voluntate propria. Tandem; Saltem qui martyrium subeunt, nequeunt de propria justitia formidare; ergo.

115. Respon. dari peccatorum remissionem est Dogma Fidei, huic tamen remissa esse peccata, nequaquam; Sacramenta esse efficacia ad delenda peccata in rectè dispositis nobis revelatum est, hominem tamen esse rectè dispositum, ignoramus; teneri nos accedere ad Sacramenta vivorum sine dubio actuali nostræ justitiæ, non tamen sine potestate prudenter formidandi, ad licitam enim Sacramentorum susceptionem sufficit moralis illa certitudo, quæ requiritur in rebus humanis prudenter peragendis. Ad secundum dispar est ratio, quia hunc hominem esse legitimè electum in Pontificem proponitur ab Ecclesia, hunc autem esse bene dispositum, & ut oportet, conversum non proponitur. Ad ultimum; id verum est de illis, qui martyrium subeunt ex motivo charitatis, an tamen sit revera hoc motivum, vel solùm putatum, ipse Martyr certus omnino esse non potest; Item, ipse Martyr ignorat, an gratia conferatnr in martyrio ante mortem, vel tantùm in solo mortis instanti, proinde &c.

ARTICULUS XI.

Utrum justificatio conveniat tantum electis, & semel habita possit amitti.

116. EST alius error, qui propriè Calvino tribuendus est, quem ultimo loco in hac quæstione refellendum esse existimamus. Docuit itaque Calvin. lib.3. Instit. cap. 2. §. 11. justificationem solis electis ac prædestinatis convenire, atque eam, si verè semel accepta fuerit, nequaquam amitti posse, & ideo qui eam videntur amittere, nunquam habuerunt. Verba illius proferam; *Solos electos*, sunt ista, *semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum*. Plures ex Lutheranis, præsertim Petrus Martyr in com. ad cap. 8. ad Rom. & kemnit. in examine Concilii à Calvini mente recedunt, contendunt tamen, etsi justus possit à justitia recedere, futurum tamen infallibiliter ad justitiam reversurum ante mortem, atque ideo concludunt, omnem justum esse prædestinatum.

117. Plura sunt testimonia, quæ ad sui errorem confirmandum, ex scriptura profert Calvinus. Ex Apost. 1. ad Corint. 13. *Charitas nunquam excidit*. Ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* deinde *Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à cha-*

à charitate Dei. Unde & Cantic. 8. legitur. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Ex Joan. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Et 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*.

118. Oppositum tamen omnino tenendum est; Qua in re tot sunt ac perspicua dicta Scripturæ Sanctæ, ut quo pacto id Calvinus excogitaverit non intelligam; Sed quid mirum? In hoc ejusdem ingenii pervicacia, ut ipso dicat, quod veritas negat. Fateor tot mihi exhiberi testimonia, ut si omnia afferre placeret, quod paucis ego soleo, innumeris demonstrare daretur. Incipiam tamen à testamento veteri, immo ab ipso mundi exordio. An non vere justi primi parentes, eos tamen à justitia excidisse, ipsos Sectarios fateri necesse est. An non justus Saul quando in Regem electus & unctus est? Si mihi hoc neget Calvinus, neget prius Cyprian. lib. 1. ep. 5. Augustinum lib. 2. ad Simplician. qu. 1. immo neget scripturam ipsam 1. Reg. cap. 9. dicentem. *Erat Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum*, quibus verbis non solum corporis præstantia sed etiam animi excellentia virtusque describitur, & tamen non solum à justitia decidit, sed etiam inter reprobos recensendum esse existimamus. Quid vero dicam de Salomone, & David ejusdem Genitore? Hic certè justus revera fuit, de quo legitur: *Inveni David secundum cor meum* peccavit tamen, atque pœnitentiæ suæ magnitudo peccati sui magnitudinem significavit; Ipse fassus est, inquiens, *peccavi Domino* & Nathan respondens. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Salomon vero fuit à Deo dilectus, ideo 2. Reg. cap. 12. habetur. *Vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum &c.* Eum autem in senectute sua à gratia excidisse scriptura testatur, immo etiam fuisse damnatum censent S. Cyprian. lib. 1. epis. 5. & Sanct. August. lib. 22. contra Faustum cap. 88. tandem Ezech. 28. legitur. *Cum averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa*. Quod dici non posset, si non posset amitti justitia.

119. Idem amplius demonstraturus prosequar ea afferendo, quæ nobis testamentum exhibet novum. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* Mat. 24. In hoc autem textu charitatem refrigescere significat charitatem prorsus deficere, alioquin nihil finali perseverantiæ contrarium eveniret. *Nam quod supra petram, qui cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, sed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Luc. 8. Fides igitur & justitia semel habita deperdi potest, Rem totam peragat Apostolus Paulus. *Evacuati estis à Christo, à gratia excidistis* inquit ad Galat. 5. *Quidam circa fidem naufragaverunt* 1. ad Timot. 1. *In novissimis diebus discedent quidam à fide* 1. ad Timot. 4. Fuerunt igitur isti aliquando in Christo, veram itaque fidem & justitiam habuerunt, & tamen &c.

120. Accedant modo Sancti Patres, sed cur istos quam plurimos proferam? Legatur S. Augustinus de bono perseverantiæ, & cum hanc dicat gratiam specialem, & maximum donum distinctum à gratia justificationis satis superque est pro re nostra. Rationes tamen omnino præterire non possum. Prima sit; Vel fides Romana dicitur vera fides, vel illa Lutheranorum & Calvinistarum; Quidquid dicatur homines à fide deficiunt, ergo. Prob. mi. Plures, qui prius profitebantur Romanam fidem, hanc deseruerunt, ut constat in ipso Calvino & Luthero, & plures qui prius Lutheri & Calvini asseclas se declaraverant fidem Romanam amplexi sunt, ergo quidquid dicatur,

catur, à fide deficiunt, proinde etiam à justitia. Hoc argumentum, quod nemo promovet, arbitratu meo convincit. Secunda sit. Omnes infantes in baptismi lavacro justificationem consequuntur, quod fatetur ipse Lutherus, immo ex mente Calvini & Petri Martyris etiam extra baptismum filii fidelium Sancti justique sunt; At quis unquam adeo dementis ingenii ac sententiæ est, qui istos ab ea gratia & Sanctitate non recedere, omnesque prædestinatos esse arbitretur & asserat? Tertia sit. Si justi propriam nequeunt justitiam deperdere, ut quid tot consilia, exhortationes, preces? Ut quid in oratione Dominica dicetur, *dimitte nobis debita nostra, & ne nos inducas in tentationem*? Attendantur omnia, quæ dicta sunt, & quamvis plura alia dici possent, non est cur plura dicamus.

121. Ea tantummodo rejiciemus, quę videbantur veritati nostrę contraria proferri. Charitatem nunquam excidere verum est, nos tamen à charitate nunquam excidere, est falsum; Unde Apoc. cap. 2. dicitur. *Habeo adversum te pauca, quia primam charitatem reliquisti; Memor esto unde excideris.* Fatemur hanc esse charitatis peculiarem dotem, ut juxta propriam naturam semper manere possit, quod de aliis virtutibus fide & spe affirmari non potest, in patria enim, ubi visio, nulla fides, ubi perfecta bonorum omnium possessio, nulla spes. In hoc sensu loquitur Paulus. Quis etiam nos separabit à charitate Christi? Tanta est charitatis efficacitas & robur, ut apta sit ad omnia quamtumvis ardua, & periculis plena valeat superare, si maneat; Quod autem manere debeat, nemo sibi fidat ac præsumat; Mansit in pluribus, qui fortes constantesque in tribulationibus, in angustiis, in carceribus per quæ omnia significantur flumina & aquæ, in charitate & gratia perstiterunt, in pluribus tamen non mansit, in quibus, usque ad animam intraverunt aquæ, ac naufragi demersi sunt. Hinc Paulus ipse 1. ad Corint. 9. de se ipso dicebat. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero ipse reprobus efficiar.* Hoc nolunt intelligere sectarii, ne corporis castigationem exerceant, sed omnem nefariamque vivendi rationem prædicant, ut sic facilius homines ad sui diabolique sequellam pertrahant, ac alliciant. Eodem pacto intelligimus & explicamus primum textum Joannis 4. Donec enim quis bibat ex illa aqua, quam nobis præbet Christus, nunquam sitiet, sed quia quilibet potest se à bibendo retrahere, potest sitire, dereliquerunt enim fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Magis probare videtur ultimus textus. Quid tamen si dicerem, hunc locum intelligendum esse de statu futuræ gloriæ, cum in regeneratione sederit filius hominis, & sedebunt etiam Sancti judicantes duodecim tribus Israel, & tamen ita responderet Ambrosius in comment. Isaiæ. Quid si dicerem, intelligendum esse de gratia prędestinationis, ac finalis perseverantiæ, ita ut quamtumvis pro vitæ decursu multoties justi peccent, attamen in vitæ termino pœnitentiam agunt, ac in gratia & charitate decedunt, immo ipsa peccata ipsis cooperentur in bonum? & tamen ita responderet Bernard. ser. 23. in Cant. Quid si dicerem, dictum illud esse verum in sensu reduplicativo, idest hominem, quatenus filium Dei & ex Deo natum, non posse peccare, non tamen ut hominem, & ut in carne corruptionis viventem, qui sentit aliam legem repugnantem legi mentis suæ? & tamen ita responderet Augustin. lib. 2. de pecc. merit. & remis. c. 7. & de gratia Christi c. 21. Omnibus tamen hisce explicationibus debita veneratione acceptis, ne à priori doctrina discedamus, dicimus, textum verum esse, quoadusque aliquis perseverat in nativitate ex Deo habita, & donec semen Dei manet in illo. Hominem autem semel justum non posse non perseverare, hoc est, quod Hæretici probabunt nunquam, nos vero contrarium ostendimus.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Merito.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit meritum, & an in hominum operibus detur.

1. SI Scripturam, si Sanctos Patres perlegamus, nomen hoc meriti ita usurpatum invenimus, ut non solùm bonis operibus tribuatur, sed etiam malis. Notum hoc omnibus esse arbitror, qui vel illas vel istos viderit, quapropter nihil ex utrisque proferam. Hac de re Calvinus & Lutherus videntes meriti nomenclaturam indifferenter tribui, sive bona essent opera, sive mala, penitus ipsum delere contenderunt. Idcirco actum est, ut modo Theologi & Catholici omnem ambiguitatem in voce auferentes, bonis operibus meriti nomen tribuerent, malis vero nomen demeriti, vel mali meriti, ut jam fecit S. August. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 5. & 6.

2. Multifariam meritum definire, seu potius describere studuerunt Doctores. *Est*, juxta Scotum in 3. dis. 18. qu. unica, *aliquid acceptandum, vel acceptum in alio, pro quo est ab acceptante aliquid retribuendum illi*. *Est*, juxta S. Th. 1. 2. qu. 21. art. 3. in corp. *Opus remuneratione dignum*, quod ab aliis authoribus diversimode explicatum est secundum verba, sed non secundum sensum.

3. Duæ præcipue divisiones ipsi conveniunt. Prima meriti naturalis & supernaturalis; secunda congrui & condigni. Justissime prima divisio data est, sive loquamur ex parte Dei, sive ex parte creaturæ; & ratio est, quia Deus non tantùm est author naturalis, qui naturalia bona largitur, sed etiam supernaturalis, qui supernaturalia. Homo etiam non solum habet naturalia principia & objecta, per quæ & ad quæ operetur, verum & supernaturalia, debet igitur dari meritum, cui correspondeat retributio Divina in ordine naturali, & insuper in ordine supernaturali.

4. Justissime etiam data est secunda divisio, siquidem aliquando reperitur æqualitas inter præmium & opus juxta veram existimationem, unde præmium ex valore ipsius meriti obtinetur, & veluti merces correspondet operanti, & sicut stipendium militanti, ut loquitur August. ep. 105. aliquando non invenitur hujusmodi æqualitas, habetur tamen quædam proportio, & obtinetur præmium ex liberalitate remuneratoris supplentis id, quod deficit æqualitati. In primo sensu dicitur meritum condignum, in secundo meritum congruum.

5. Dari meritum hoc in homine apud Deum tanquam dogma fidei tenendum est, & colligitur ex veteri, & novo testamento. Ex illo; nam Eccleſiast. 16. habetur. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum* cap. 8. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Sap. 5. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*. Ex isto; nam Mat. 5. legitur: *Merces vestra copiosa est in Cælis*. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*. Sanctorum non deest testimonium. Celebre est dictum illud S. Ignatii Martyris in ep. ad Rom. *Sinite* ajebat, *ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri*. Irenæ. lib. 4. adversus Hæres. cap. 72. *Pretiosam*, inquit, *arbitramur*

coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam, & quanto per agonem nobis advenit, tanto est prætiosior. Omittamus tamen quoscumque alios, qui pœne innumeri sunt, & rem totam dirimat Augustinus. *Nulla ne sunt merita justorum?* interrogat in epis. 105. ad Six. *sunt plane* respondet *quia justi sunt, sed ut justi fierent merita non fuerunt*; & post pauca, *sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna*.

6. Ex his infertur, hujusmodi meritum non solum congruum, sed etiam condignum esse existimandum, non quidem secundum æqualitatem strictæ justitiæ, quam vocant aritmeticam, sed illam, quam geometricam appellant, ut infra dicam. Ad hujus vero meriti condigni veritatem statuendam, ea non sunt prætermittenda, in quibus proponitur gloria tanquam merces, bravium, & corona; Merces autem non datur nisi operanti, bravium nisi in stadio currenti, corona nisi in prælio militanti, & hoc quidem totum ex justitia, ait enim Apostolus 2. ad Timot. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*.

7. Si vero horum omnium rationem quæras, tibi satisfacio. Eam autem desumo primo si Deum inspiciamus, quia cum Deus sit princeps & caput humanæ Reipublicæ non solum in ordine naturali, sed etiam supernaturali, & in qualibet bene instituta Republica debeat Princeps iis præmia largiri, qui bene in ea se gerunt, justum erat, ut Deus præmium & mercedem bene operantibus largiretur, quemadmodum male operantes punit supplicio, alioquin justitia Divina solummodo in vindicativa collocaretur, quod tyrannidem indicaret; desumo secundo si hominem consideremus, & quia maxime conveniens est naturæ rationali & liberæ per propria opera libera ad suum finem promoveri, & quia valde ipsi honorificum est ex merito suo supernaturalia bona sibi comparare, cum nobilius censeatur quod per meritum, quàm quod sine merito obtinetur.

8. Opp. 1. Ad id non datur meritum de condigno, quod soli gratiæ tribuendum est, sed vita æterna soli gratiæ tribuenda est, ergo. Prob. mi. Ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*. Juxta hoc legitur in psal. *qui coronat te in misericordia & miserationibus*. Et in Evang. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequenter*. Est igitur corona gloriæ misericordia Dei, non ergo meritum Creaturæ; Quod etiam innuit Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. inquiens. *Bene operantibus proponenda est vita æterna, tanquam gratia misericorditer promissa*. Hinc Sanctus Augustinus pluribus in locis ait; *Cum præmium venerit, sua dona coronabit Deus, non merita tua*.

9. Resp. vitam æternam in aliquo sensu esse gratiam, in aliquo mercedem, est gratia in radice, quia videlicet confertur meritis, quæ nulla essent, nisi præcessisset gratia & misericordia, atque in hoc sensu dicit Augustinus, Deum dona sua coronare, quia si Deus ea dona non dedisset, nulla fuissent merita nostra, agebat enim tunc contra Pelagium, Unde ait de grat. & lib. arb. cap. 6. *Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors Pater?* Cœterum Augustini mentem jam supra exposuimus num. 5. in fine; Qua de re potuisset jure dicere Apostolus, stipendium peccati mors, stipendium justitiæ vita æterna, ut asserit idem August. de grat. & lib. arb. cap. 8. sed ita non dixit, ne existimarent homines, ita merita nostra à nobis esse, sicut à nobis sunt peccata. Quod attinet ad Tridentinum, ne omittas alia duo verba sequentia, *& tanquam merces*.

10. Opponit. 2. Omnia opera creaturæ omnibus aliis titulis sunt debita Deo,

Deo, ergo in ipsis non potest relucere meritum de condigno. Prob. conf. quia per meritum de condigno Deus obligaretur, obligari autem non potest per id, quod sibi debitum est. Preterea. Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sed si daretur meritum de condigno, dici non possemus inutiles servi, ergo. Rursus; Meritum de condigno non debet esse ex iis, quæ accepimus, sed ex propriis, sed nihil in nobis est, quod acceptum non sit, quid enim habes, quod non accepisti? Ergo.

11. Resp. primum argumentum probare, opera creaturæ non esse meritoria de condigno ex natura sua, non autem ex Divina acceptatione, & promissione premii reddendi sub talium operum conditione, qua posita obligatur Deus non secundum justitiæ rigorem, sed secundum justitiam natam ex ejusdem voluntate & promissione; Quamobrem dixit August. in ps. 83. *Debitorem Deus ipse se fecit, non accipiendo sed promittendo, non ei dicitur, redde quod accepisti, sed quod promisisti.* Quo pacto autem requiratur Divina acceptatio & promissio, infra dicam. Aliter argumentum solvitur, si sustineas inter Deum & creaturam justitiam perfectam, & commutativam.

12. Ad secundum. Textus allatus multifariam à Sanctis Patribus exponitur. Eum exponit S. Ambros. lib. 8. in Luc. de operibus factis per vires naturę, & ut cognoscamus id, quod ex nobis sumus & possumus, inquit enim, *agnoscenda est gratia, sed non ignoranda natura.* Idcircò per naturæ facultates inutiles sumus, utiles tamen per gratiæ virtutem; Novit hoc Apostolus Paulus & 2. ad Timot. 2. dixit; *Qui emundaverit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.* Expendit Beda in idem caput, & nos servos inutiles appellat Deo, bonorum enim nostrorum Deus non eget, non tamen inutiles nobis. Exponit August. serm. 3. de ver. Dom. & juxta explicationem à nobis superius expositam, inquit, opera nostra inutilia esse, nisi Deus liberaliter nobiscum pactum iniisset; Sumus enim mancipia Dei, & si voluisset, potuisset à nobis quodcumque opus absque aliquo præmio exigere. Expendunt tandem Thologi, nos esse inutiles servos, quia Deus nullam utilitatem à nostris operibus accipit, non quia non accipiat obsequia, quibus Deus debitorem se fecit; Unde ait August. in ea verba; *Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade. O' magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.* Præterivi expositionem Chrysost. hom. in illa verba; *Elatum est cor Oziæ* dicentis, *non esse dictum, servi inutiles estis, sed dicite, quia servi inutiles sumus, ut videlicet, etiam post opera bona à nobis facta servetur humilitas, & ea non corrumpat superbia, si enim nos servos inutiles dicemus, dicet ipse, Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Ex hisce omnibus habes quid tertio respondeas, idest, meritum de condigno debere esse ex propriis, non tamen excludendo accepta, bonum enim, quod agimus, Dei est & nostrum. Cœterum argumentum nimis probaret, quia sequeretur, quod per unionem hypostaticam gratis Christo collatam Christus de condigno non satisfecisset.

13. Opponit. 3. Apost. ad Rom. 8. ait. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Præterea; est Theologicum illud; *Deus præmiat ultra condignum, punit citra.* Insuper damnata est hæc propositio Baii; *Opera bona justorum non accipient ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.* Hæc autem omnino vera non essent, si meritum de condigno admitteretur.

14. Resp. Apostoli testimonio contra-

trarias eſſe alias Scripturas. Luc. 10. *dignus eſt operarius mercede ſua*. Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis quia digni ſunt*. Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe*. Quid plura? Ipſe Paulus 2. ad Theſſal. 1. inquit. *Ut digni habeamini Regno Dei, pro quo & patimini*. In eo igitur textu ſermo eſt de paſſionibus noſtris ſumptis ſecundum entitatem phyſicam, & præciſe ut ſunt opera facta ex naturæ viribus & ex motivo naturali, non vero ſecundum entitatem moralem, & prout procedunt à gratia atque ex fine ſupernaturali; Quamvis etiam dici poſſet, id verum eſſe de condignitate juxta durationem, quia paſſiones illæ ſunt dumtaxat pro finito tempore, è contra gloria futura æternum permanebit, atque hic videtur fuiſſe ſenſus Pauli, cum dicat, *hujus temporis*. Quod eſt conſonum iis, quæ habet 2. ad Corint. 4. ubi ait. *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Ad 2. Quamvis ab aliquibus Theologis, ut à Vega, negetur dictum illud, nihilominus admittendum eſt præſertim poſt damnatam illam propoſitionem, quare varie fuit à Doctoribus explicatum. Si Scotiſtarum & Nominalium expoſitionem accipiamus, juxta iſtos cum merita noſtra condigna fiant ex præcedenti Dei ordinatione, dicitur Deus præmia largiri ultra condignum, ſi conſiderentur juxta condignitatem, quam ante hujuſmodi ordinationem haberent, vel quam habuiſſent, ſi à Deo diverſimode fuiſſent ordinata; Si aliorum, dicunt, ſervata æqualitate geometrica tam præmii quàm meriti, tam pœnæ quàm demeriti, excedi aritmetice meritum à præmio, quia plus eſt boni in beatitudine, quàm in noſtris operibus meritoriis, excedi vero pœnam à demerito, quia plus eſt mali in culpa, quàm in pœna, & ideo præmium eſt aritmetice ultra condignum, pœna vero citra condignum; Vel tandem explica eo modo quo fuit explicatus textus Apoſtoli, atque ex his omnibus habes quo pacto intelligenda ſit illa propoſito damnata.

15. Opp. 4. ex teſtimoniis Sanctorum Patrum. Baſil. in pſ. 114. ait: *Manet ſempiterna requies illos, qui in hac vita legitime certaverunt, non ob eorum merita factorum, ſed de munificentiſſimi Dei gratia, in qua ſperarunt*. Auguſt. in pſ. 70. con. 2. *Tua peccata ſunt, merita Dei ſunt, ſupplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, ſua dona coronabit non merita tua*, & ſer. 15. de verb. Apoſt. *Pro nihilo ſalvos facies illos, nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes*. Proſper. lib. 1. de vocat. gent. cap. 17. ſeù, ut aliis placet, 5. hæc habet. *Ideo in parabola de his, qui laborant in vinea, dari idem præmium eandemque mercedem omnibus operariis, ſive multum ſive parum laboraverint, ut ii, qui multo labore ſudarunt, nec amplius, quam noviſſimi acceperunt, intelligant, donum ſe gratiæ non operum accepiſſe mercedem*. Tandem S. Bernard. in ſer. 1. de annunt. ſic effatur. *Neque talia ſunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, niſi eam donaret*: Et ſer. 15. in pſ. *Qui habitat*. Ait. *Totum hominis meritum eſt, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit*. Tandem in pugna cum Diabolo, quam refert Kemnit. ſic dixiſſe fertur. *Non ſum dignus ego nec propriis poſſum meritis regnum obtinere Cælorum, cæterum Dominus meus duplici jure illud poſſidens, hæreditate Patris & merito paſſionis altero ipſe contentus, alterum mihi donat*.

16. Reſp. teſtimonia Baſilii & Auguſtini explicanda eſſe ut ſupra, ibi ſcilicet ſermonem eſſe de operibus factis ex viribus propriis, non ex gratiæ virtute. Si enim Baſilius inquit, manere ſempiternam requiem illos, qui legitime certaverunt, jam legitimum certamen fatetur, ſed legitimum certamen ſine merito non poteſt intelligi, ergo fatetur meritum; Quanquam vero mentem Auguſtini ſatis expoſuerimus, liceat tamen & alia ſubdere, quæ ex ejuſdem libris colliguntur. Primum eſt in

epist.105. ad Six. ubi ait. *Ipsa vita æterna, quæ in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parta sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur*. Secundum est in lib. de grat. & lib. arbit. ubi inquit: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur dona sua coronat Deus non merita tua, si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua; Hæc enim, si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus, si autem bona sunt, Dei dona sunt*. Nihil igitur invenit Deus unde hominem salvet si solum hominem consideras, multum invenit si hominem & gratiam expendas. In eodem sensu intelligendus est etiam Sanctus Prosper, qui voluit innuere idem præmium quantum ad rem & durationem omnibus laborantibus futurum esse, ne quis de propriis operibus gloriaretur; Illum autem merita non excludere, patet ex eodem loco, ubi asserit; *Bona merita sequi in homine post adeptam gratiam, non præcedere*. Quomodo autem intelligenda sit illa parabola, constat ex illius expositoribus, quos consule, Sancti Bernardi mens est, vitam æternam non esse debitam ex jure strictè tali, non tamen ex suppositione gratiæ & promissionis Divinæ; alioquin contradiceret Paulo à nobis adducto. In reliquis vero, vel ita loquutus est, quia quæcumque merita habentur ex gratia & misericordia Dei, vel quia homo incertus de ipsis est, vel quia, utrum usque in finem perseveraturus sit, prorsus ignorat. Quo pacto autem liceat homini etiam in meritis suis spem collocare, pauca in fine producam.

17. Oppones ultimo, quia si daretur meritum hujusmodi in hominibus, derogaretur meritis Christi, hæc enim non sufficerent obtinendo præmio, quod nobis confertur.

Sed contra; non derogavit Apostolus meritis Passionis Christi, cum dixit; *Adimpleo ea, quę desunt Passioni Christi*; Cur ergo derogabimus nos? Sicuti causam secundam operari non infert insufficientiam virtutis in causa prima, sed virtutem ejus, qui præbet alteri facultatem ad operandum, ita magis extolluntur merita Christi, si dicamus meruisse nobis vim merendi, & esse veluti causam universalem, quæ influit in merita nostra per gratiam, quæ Christi est. Verum de hac re alibi.

18. Nunc breviter ostendo, hominem posse ac debere in meritis suis spem collocare, non quidem ea agnoscendo ex propriis, sed ex gratia Dei, quæ dat illi virtutem. Manifestum hoc est in Apostolo Paulo, qui de se ipso dicebat, bonum certamen certasse, fidem servasse &c. sed ulterius veritas hæc contra Sectarios ex aliis Scripturæ locis, & Patrum monumentis declaratur. *Fiducia magna erit coram Summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*. Tob.4. *Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem*. Ad Rom.5. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. 1. Joan.3. Ex Sanctis Patribus afferam Cyprianum in ser. de eleem. dicentem. *Pręclara & Divina res est Fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei &c.* Chryst. hom.2. in 2. ad Corint. *Optamus, ut ex benefactis habens fiduciam*. Ambr. in cap. 3. 2. ad Corint. *Nunc opus est, ut crescat in nobis fiducia bonis actibus comparata*. Adde August. in præf. in ps.31. *Ut ergo speret Regnum Dei, habeat conscientiam bonam, credat, & operetur*. Ita profecto Sanctis Viris evenit ac Mulieribus. Sic dicebat David ps. 17. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*. Sic Ezech. Isaiæ 38. *Obsecro*

ſecro Domine, memento quæſo, quomodò ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto. S. Hilar., referente Sancto Hieronym. *Egredere anima mea, quid times? Septuaginta prope annis ſervisti Christo, & mortem times?* Ratio autem horum omnium eſt, quia ſalutis æternæ conſequutio nec à ſola gratia & Dei miſericordia provenit, nec à ſola creaturæ operatione; In utraque itaque cauſa fiduciam collocare licet. Sine illa creaturæ operatio non eſt, ſine iſta gratia non prodeſt. Ad labores in vinea vocari non ſufficit, nemo vero ad vineam, niſi vocatus, laboraturus veniret. In gratia ſola confidere otioſitatis eſſet atque torporis, confidere in ſola creaturæ operatione foret ſuperbiæ. Hinc ſemper timendum, ſemper ſperandum; Time, ne tu gratiæ deficias, ſpera, quia Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur.

ARTICULUS II.

Plures conditiones ad meritum requiſitæ examinantur.

19. PLura ad unum revocare placet, de quibus ſingillatim à pluribus Doctoribus pertractatum eſſe reperimus, qui plura in hac re velit, ipſos conſulat, ſi tamen plura reperiet, quamvis plura leget.

Quæritur 1. Utrùm ad meritum requiratur ſtatus viæ.

Reſponſio eſt affirmativa cum Scoto in 3. diſ. 8. qu. unica; S. Thom. 1. par. qu. 62. art. 9. & 2. 2. qu. 13. art. 4. ad 1. Colligitur autem hoc ex pluribus Scripturæ locis, Sanctorumque Patrum teſtimoniis. Ecclеſ. 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Joan. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Hinc Sanctus Auguſtinus iſta perpendens ait: *Fruſtra ſibi homo poſt hoc corpus promittit, quod in corpore comparare neglexerit*. Ut legitur apud S. Proſperum ſententia 172. Hieronym. vero in illa verba Eccl. 9. *Melior eſt canis vivens leone mortuo*, ita exponit, *Donec vivunt homines poſſunt fieri juſti, per mortem vèro nulli boni operis datur occaſio*.

20. Videtur in oppoſitum eſſe, quia beati extra viam in felicitate illa creſcunt, quam appellant accidentariam; pro nobis orant, quod etiam de animabus exiſtentibus in purgatorio nos credimus. Sed contra primum eſt quod ait Hieronymus loco ſuperius adducto. *Mortui nihil valent adjicere, quod ſemel ſecum tulere de via; unde nihil ſibi addere merendo poſſunt*. Quamobrem argumentum beatitudinis accidentariæ eſt proprietas beatitudinem conſequens, nec ad novum meritum referri debet; Contra ſecundum eſt, Sanctos pro nobis preces effundere, atque beneficia à Deo impetrare, ſed hujuſmodi impetratio in novo merito ſita non eſt, ſed in merito viæ, immo in Dei gratuita & extrinſeca acceptatione; Hoc docet Angelic. 2. 2. qu. 81. art. 11, ubi ait. *Eorum orationes efficaciam habent impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & Divina acceptatione*.

21. Videtur, aliquam promoveri poſſe difficultatem de Enoch & Elia, qui adhuc vitam degunt mortalem, eorumque animę ſunt corpori conjunctę; immo tempore Antichriſti vivent, ſicut cœteri homines, & pro Chriſto morientur, proinde adhuc reperiuntur in ſtatu viæ ac meriti; Ex alia parte, cum in hujuſmodi ſtatu uſque ad illud tempus ſint permanſuri, eorum meritum tam diuturno tempore longe excederet illud aliorum omnium Sanctorum.

22. In hoc puncto diverſa protulerunt Doctores: Suarez, Vaſquez, Eſparza, aliique pro vita præſenti meriti nihil ipſis concedunt, cum dicant, ad merendum requiri vitam mortalem ſub communi lege & mortalitatis conditione, ſubjectam videlicet incommodis corporis corruptibilis, quæ ſubjectio

cum sit in ipsis suspensa, suspensus etiam censetur status viæ statutus ad meritum. Gabriel à S. Vincentio, Vega, Henriquez, & Abulensis meriti dignitatem ipsis non negant, sed per actus parum intensos, unde etiam pro tam longo tempore meritum vel Joannis Baptistæ, vel Apostolorum nequaquam æquarent, vel etiamsi hoc non negarent, nihil esset incongrui, nam futuri sunt postremi adventus Christi præcursores & Apostoli, nec non gloriosi Martyres, de quibus dicit Tertullianus, Antichristum sanguine suo extinguent. Nunquid in hac re contentiosè agendum? Sentiat unusquisque pro arbitrio, & abundet in sensu suo, cum nihil definitum sit ab Ecclesia, aut à Sanctis Patribus traditum.

23. Hujusmodi autem statum viæ ad meritum prærequiri nequaquam ex intrinseca meriti ratione colligitur, sed solum ex Divino Decreto potest ostendi. Hoc clarum fit ex hac mea peculiari ratione; nam, sicut Deus potuisset ita decernere, ut nullus in statu viæ meritum haberet, ita potuisset velle, ut quilibet extra statum viæ mereri posset, dummodo quid aliud non deesset; hasce addo particulas; aliter pari modo fieri posset hoc argumentum; Deus potuisset ita decernere ut homo justus nullum meritum habeat, ergo potuisset velle, ut homo peccator meritum habeat; Neque dicat Vasquez requiri ad meritum liberum & arduum contemptum rerum temporalium, quem solum pro statu viæ dari posse, compertum est; atque hoc quidem dicendum superest; etenim dari hujusmodi meritum apud Deum nobis tantummodo constat ex sacris litteris, at ubicumque reperitur in istis, meritum non esse absque violentia, labore, & certamine; *Regnum enim Cælorum vim patitur*. Matt. 11. *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. 2. ad Timot. 2. *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*. 1. ad Corint. 3. atqui violentia labor & certamen non sunt nisi pro statu viæ, ergo status viæ necessario ex intima ratione meriti ad merendum requiritur; Etenim hæc omnia, quæ dicta sunt tanquam ad meritum necessaria, sunt dumtaxat ex Divina dispositione; & verum est, reperiri solummodo pro statu viæ, in quo labor, non pro statu Patriæ, in quo requies. Si enim res se haberet juxta sensum Vasquez, qui bene operaretur sine aliquo incommodo & difficultate, ut contingit sanctioribus viris, omni prorsus merito defraudaretur. Da aliquod opus in se dignum æstimatione, & illi placens, cujus est præmia largiri, satis meritum inesse percepisti.

24. Quæritur 2. an requiratur ad meritum condignum status gratiæ; & responsio est affirmativa; Dominus enim Joan. 15. ait. *Sicut palmes non potest ferre fructum in semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*. Quod tantum per gratiam habetur; atque huc spectat illud Tridentini toties adductum, nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, justificationis gratiam promereri, proinde neque gloriam. Hoc apertè colligitur etiam ex duabus propositionibus Baii damnatis à Pio V. Prima erat ista; *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad esse deificum*. Secunda hæc alia. *Opera non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis. Sed ex eo tantùm quod sint conformia legi*.

25. Quæritur 3. an requiratur libertas indifferentiæ. Et responsio est affirmativa; Veritas hujus assertionis evincitur ex Scripturis & Patribus. Eccl. 31. *Qui potuit transgredi & non est transgressus &c. ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Apost. 1. ad Corint. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo*. Et 2. ad Corint. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. S. Hieronym. 2. contra Jovini. *Ubi necessitas nec corona, nec damnatio est*. August. lib. 2. de lib. arbit. cap. 1. *Non re-*

ste factum aut peccatum esset, nisi fieret voluntate. Bernard. serm. 81. in Cantic. *Ubi non est libertas nec meritum.* Juste propterea damnata fuit ab Innoc. X. hæc propositio Jansen. *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit à coactione.*

26. Contra hoc duo videntur esse. Unum, quod in Martyrio relucet dignitas meriti, quamvis liberum non esset; Hoc evenit in Sanctis Innocentibus, quos Herodis impii sustulit gladius. Secundum; quod per actum dilectionis Christus meruit, nec tamen libere Deum diligebat.

27. Sed contra primum est, quod innocentibus pueris data fuit æterna gloria non proprie sub notione præmii & mercedis, sed solummodo hæreditatis, vel ipsis ex privilegio speciali, tamquam primis pro Christo victimis, collatam esse gloriam martyribus debitam, ut ait S. Bernard. in serm. de Natal. Innoc. *Si sunt*, inquit, *Martyres tui Deus, ut in quibus nec Angelus nec homo meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendatur.* Contra secundum; in primis non est certum, Christum per actum dilectionis erga Deum meruisse, sed hoc admisso, duplex in ipso erat dilectio, una progrediens à visione beata, erat enim comprehensor, alia à scientia infusa, erat enim viator, & actus hujus dilectionis liber erat & voluntarius, sicut libera fuit & voluntaria electio passionis, de qua dictum fuit Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et ipse Dominus Joan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam*, & rursus, *potestatem habeo ponendi animam meam.* Verum de Christi libertate agendum erit in quæstionibus de Verbi Divini Incarnatione.

28. Immo ita censeo necessariam esse ad meritum hujusmodi indifferentiam, ut neque per aliam Divinam providentiam aliter possit evenire. Per quam enim operationem aliquid mereri possumus, nisi per eam, quæ sub dominio nostro continetur, & potest fieri vel non fieri, & hoc vel illo modo? Certe meremur per ea, quæ alteri subjicimus, at quid alteri subjicere possumus, quam id, quod in nostra est potestate? Hinc est etiam vulgatum illud Arist. 3. Ethic. c. 5. *Naturalibus nec meremur nec demeremur.* Quapropter si Deus aliquod nostrum naturale, idest necessarium opus acceptaret, atque illud remuneratione prosequi vellet eam ipsi promittendo, tunc res promissa præmium non esset, sed donum, atque opus nostrum sola conditio esset, non meritum.

29. Quæritur 4. An ad meritum requiratur promissio Dei gratuita.

In hac re varia sunt opinati Doctores, quorum nos sententiam referemus, eas tamen utpote inutiles non examinabimus. Prima sententia est Cajetani in 1. 2. qu. 114. art. 3. Dominici à Soto lib. 3. de nat. & gr. cap. 7. quibus adhærere videtur Cacher. tract. 5. de grat. §. 3. docet ista, opera bona justorum esse meritoria de condigno æternæ gloriæ, etiamsi nullum foret Divinum pactum & promissio. Secunda quam plures recentiores tribuunt Scoto in 1. dis. 17. qu. 2. & aliis pluribus ex antiquis Scholasticis, innuere videtur, opera bona ex se meritoria de condigno nequaquam esse, sed totum meritum à Divina promissione proficisci. Tertia tandem, quæ magis communis est apud Doctores, asserit nec à solo opere bono, nec à sola Divina promissione meritum derivare. Utcumque res ista sit.

30. Existimandum est ad meritum, saltem prout de facto, requiri gratuitam Dei promissionem, & quamvis hæc inferri possit ex dictis in antec. attamen ampliùs insinuatur, primo ratione, quia, si opera nostra quæcumque sint, considerentur juxta naturam suam, remotaque promissione, cum æterna gloria proportionem non servant juxta illud Apostoli, *Non sunt condignæ passiones &c.* præsertim quod illa debita sunt Deo quo-

quocumque alio titulo, & potuissent exigi, esto nullum præmium conferendum esset. Secundo ex testimoniis Sanctor. Patrum, inter quos clarius loquitur Euseb. Emissen. in hom. 3. ad Monac. ubi ait. *Totis licet animæ & corporis laboribus desudemus, totis obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cælestibus bonis compensare & offerre valebimus*. 3. ex proposit. 2. damnata à Pio V. quæ erat ista. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium*. Quanquam quid plura? aperta in hac re est Concilii Tridentin. definitio; audiamus quid dicat sess. 6. cap. ulti. *Bene operantibus*, inquit, *proponenda est vita æterna tanquam gratia misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione reddenda*. Quod multo ante jam statutum fuerat à Concil. Mogunt. dicente. *Opera justorum sunt digna remuneratione vitæ æternæ, quia* (notetur causalis) *Deus bene operantibus misericorditer mercedem promisit*.

31. Querit. 5. utrum ad meritum requiratur charitas, seù ordinatio charitatis à qua procedat. Responsio est affirmativa; & adverto, aliquod opus procedere posse à charitate vel actu, vel virtute, seù interpretativè, vel habitu, quæ explicanda sunt juxta ea, quæ traduntur de intentione, de qua hic à nobis agendum non est; Responsio nostra est de ordine habito à charitate secundo modo. Suadeo autem primo ex scripturis asserentibus, virtutem charitatis necessariam esse, ut opus sit Deo gratum præmioque dignum. Sic 1. ad Corint. 13. *Si Charitatem non habuero &c.* rursus; *Nec auris audivit &c. quę præparavit Deus diligentibus se*. Ad Galat. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio valet, neque præputium, sed fides, quę per dilectionem operatur*. Neque ad servandam harum authoritatum veritatem; satis est, charitatem habitu tantum & de concominanti se habere; etenim hoc dato non plus requireretur charitas, quam quælibet ex aliis virtutibus infusis, quæ simul reperiuntur in homine gratiam habente, debet autem charitati munus aliquod convenire, quod cœteris virtutibus commune non sit.

32. Quærit. 6. an major gratia & charitas majoris sit meriti causa. Aliqui parum rem perpendentes ita argumentum proponerent; gratia & charitas est causa meriti, ergo major gratia & charitas causa majoris meriti, atque ad probandam illationem, uterentur cummuni illo, *Ita se habet magis ad magis sicut simpliciter ad simpliciter*. Attamen responsio nostra est; Majorem gratiam & charitatem solummodo habitualem meritum non augere. Ratio est, quia gratia & charitas habitualis operi meritorio dignitatem non præbent, nisi influant in illud auxilii actualis virtute, & ideo dignos non reddunt actus naturales quamvis progredientes ab homine justo, atqui major gratia & charitas habitualis semper magis non influunt in opus meritorium, quia non semper ipsis annexum est majus atque intensius auxilium actuale, ergo. Præterea. Præmium æternæ vitæ promittitur actibus non habitibus, qui si influunt, vel magis influunt, de materiali dumtaxat & de concomitanti, ut ajunt, se habent in subjecto, nisi applicentur per auxilium actuale, sunt enim qualitates mortuæ, ut alibi dictum est, ergo. Non inficior tamen, quod, cum gratia habitualis soleat sibi postulare uberiora auxilia actualia, solet etiam ipsum meritum augere.

33. Quærit. 7. an major arduitas operis conferat ad majus meritum. Arduitas ista oriri potest vel ab operante ex quo non prompta ferventique voluntate operetur, & tunc major arduitas non solum non infert majus meritum, sed minuit, vel ex magnitudine operis, & tunc inquiro; Vel agrediens opus minus difficile habet animum paratum ad illud aggrediendum etiamsi difficillimum foret, ita ut amor in operante

te aliquid facile sit idem apretiativè cum eo, qui est in operante aliquid difficile; vel non habet; si hoc dicatur, arduitas infert majus meritum, non quidem ex parte objecti, sed ex parte actus; Si habet, resolutio stabilienda est juxta ea, quæ traduntur de actibus humanis dum sermo est de actu interno & externo, an scilicet actus externus addat bonitatem actui interno, ideo ad sua principia unumquemque dimitto.

34. Quærit. 8. an major intensio & continuatio actus sit majoris meriti causa. Responsio est affirmativa, actus enim intensior æquivalet pluribus minus intensis, & continuatus per horam pluribus minus continuatis, sed quo plures sunt actus eo majus est meritum, ergo etiam quo diuturnior & intensior est actus, est majus meritum, & sicuti si quis habet affectum malum intensiorem & diuturniorem magis peccat, ita qui habet intensiorem & diuturniorem actum bonum, magis meretur.

35. Querit. ultimo. Utrum ad meritum requiratur opus super erogationis. In hac sententia fuit Dionys. Cistertien. in 3. qu. 2. art. 3. ut diceret, opera, quę fiunt ex præcepto nequaquam meritoria esse, sed illa dumtaxat quæ sunt super erogationis & consilii. Hoc falso dici & erronee ex tota scriptura colligitur. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, ait Christus Matt. 19. *Diligite inimicos vestros, & erit merces vestra multa nimis* inquit Luc. 6. præter alia plurima; Hinc est, quod si adultus mandata Dei custodiret, & nihil ex iis faceret, quæ præcepta non sunt, vitam æternam consequeretur. Immo, ut verum fatear, opus præceptum cœteris paribus magis meritorium est, quam non præceptum, illud siquidem addit circumstantiam obedientiæ, quæ procul dubio meritoria est; & quemadmodum opus factum ex voto, proinde ex debito, magis meritorium est, quam opus non ita factum, ut ostendunt Theologi cum S. Thoma ubi de Religione pertractant, ita opus factum ex præcepto magis meritorium erit, quam quodcumque aliud, quod sit super erogationis vel consilii. Dixi cœteris paribus, etenim hujusmodi opera ad majus meritum conferre posse non reluctor, ut si quis v. g. opus præceptum adimpleret tristi animo & vecordi, alius vero operi non præcepto magna fortitudine & hilaritate vacaret; si opus non præceptum esset ex genere suo nobilius alio præcepto, v. g. actus charitatis erga Deum non præceptus jejunio præcepto; Si opera ad consilium spectantia superaddantur operibus ad præceptum pertinentibus &c.

ARTICULUS III.

Quid possit homo mereri sibi & aliis.

36. Etiam in hoc articulo ea pertracto, de quibus effuso calamo agunt Doctores, cum ad plenariam omnium resolutionem plura forent exponenda, quæ in aliis quæstionibus Deo dante proferemus.

Dico primo. Hominem non posse sibi mereri de condigno primam gratiam habitualem, non de congruo primam gratiam actualem; rursus non posse mereri de condigno reparationem post lapsum, neque perseverantiam finalem.

Ratio primæ & secundæ partis est, quia principium meriti in ea ratione, qua est principium meriti nequit esse præmium meriti, atqui gratia habitualis est principium meriti condigni, gratia actualis est principium meriti tum condigni, tum congrui, ergo. Major fundamentum desumit ex repugnantia mutuæ causalitatis, & ex quo idem nequit esse prius & posterius, causa & effectus sui ipsius.

37. Ratio tertiæ desumitur primo, quia si homo posset sibi mereri reparationem post lapsum, posset per opus habitum ante justificationem sibi mereri justificationem, sed hoc est contra Tridentinum, ut dictum fuit, ergo. Secundo

do si posset &c. vel per opera antecedentia peccatum, vel per subsequentia, sed neutro modo, ergo. Prob. mi. Opera antecedentia nequeunt firmare jus in creatura, per quod ametur à Deo, siquidem homo peccando fit obiectum odii Dei, & voluntariè contrahit debitum inimicitiæ, opera subsequentia facta sunt in statu peccati, proinde sine forma, per quam reddantur digna, ergo.

38. Ratio quarta est; quia mereri perseverantiam finalem est mereri conjunctionem mortis cum gratia & jus ad gloriam inammissibile, atqui non potest homo mereri &c. ergo. Minor ostenditur, quia auxilium hoc, quo habetur conjunctio gratiæ cum &c. est magnum donum ex Concil. Trident. & licet non esset, adhuc infallibiliter non datur, ut requiritur ad meritum de condigno. Præterea; Utquid diceret Paulus 1. ad Corint. 1. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Et ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini?* Non me latet, plures Doctores, inter quos Gab. à S. Vinc. Lorca, Gonet. Arriaga, arbitrari oppositum esse ut contra dogma fidei, aut saltem erroneum, attamen in hoc puncto nihil stabilio, & quando quidpiam dicerem, contrarium sustinerem. Interim lectorem admoneo, ut ea videat, quæ de hac re dixi in quæstione de prædestinatione, & de finali perseverantia.

39. Ostendo modo, quare oppositum sustinerem, nec alio modo id ostendere possum, quam declarando contrariæ sententiæ momenta nihil probare. Primum momentum est, quod afferri posset ex Concil. Vien. in Clement. *Ad Nostrum* de Hæretic. ubi damnantur Beguardi asserentes, hominem in hac vita ad eum perfectionis gradum pervenire posse, in quo impeccabilis fiat, quod sequi videretur, si perseverantiam finalem posset de condigno promereri. Sed plane hoc consectarium recte non infertur; Nam perseverantia finalis reddit quidem hominem pro ultimo vitæ instanti non peccantem, immò, si prius peccaverit, ad Deum conversum, non tamen ipsi confert impeccabilitatem, quod patet ex eo, quod esto pluribus hanc gratis Deus largiatur, adhuc tamen peccare possunt, nec beatis comparandi sunt, ut Beguardæ affirmabant, de quo errore alibi; firmum tamen existimo, quod superiori numero demonstravi.

40. Secundum momentum est, quod afferre videtur Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 13. ubi ait: *donum illud*, idest perseverantiam, *aliunde haberi non posse nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere*. Et rursus, *nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur*. Sed quis non videt, ex neutro capite nihil concludi? Etiam augumentum gratiæ à solo Deo dari potest, cum non habeatur nisi per gratiam actualem, quam Dei donum esse nullus ibit inficias, & tamen augumentum gratiæ homo de condigno promereri potest; & quamvis hujusmodi meritum concederetur, adhuc nemo certus esset, sicut nemo certus est de rebus aliis, quas esse sub merito nemo dubitat.

41. Dices contra primam partem. Deus conferre potest primam gratiam habitualem tanquam præmium eorum operum, quæ gratiam subsequentur, eo pacto quo Princeps conferre potest militi arma & equm, tanquam præmium victoriæ, quam per arma & equm obtinebit. Sed contra. Vel equs & arma sunt principium merendi in milite, vel non. Si hoc dicatur, habetur disparitas, si illud, antecedens est falsum. Verum hoc argumentum promovebitur, ubi de merito Christi per respectum ad unionem hypostaticam.

42. Dices contra tertiam. Homo justus potest facere opus meritorium propriæ reparationis, si peccabit, potest enim orare pro reparatione propria, ergo. Sed contra. Oratio hæc habebit meritum utcumque, nequaquam condignum; Sicut enim homo justus, si pecca-

eabit, non potest condigne mereri, ne odio habeatur à Deo, ita nec potest mereri sui reparationem post lapsum. Adde, nos orare, & ea etiam consequi quorum tamen meritum non habemus, ut contingit in peccatoribus veniam petentibus & impetrantibus, nec tamen merentibus, ut constat ex publicano dicente, *Domine propitius esto mihi peccatori.*

43. Dices contra quartam. Augmentum gratiæ habitualis est majus præmium, quàm aliquod auxilium efficax ad finaliter perseverandum, & perpetuitas gloriæ plus est quam perpetuitas gratiæ, sed homo justus potest tum illud tum illam de condigno promereri, ergo. Sed contra. Argumento huic pluribus responsionibus occurrere possumus; & primo negaret S. Bonavent. in 2. dis. 27. art. 2. qu. 2. justum de condigno mereri posse gratiæ habitualis augmentum, & rationem præcipuam affert in tertio argumento, quia gratia, quæ præsupponitur, minor est quam futura, nequit ergo esse principium meriti de condigno sui augmenti; Admittam nihilominus minorem illam, cum augmentum gratiæ in Scripturis Sacris propositum sit tanquam præmium bene operantibus, ut infra ostendam, afferatur vero mihi aliquis Scripturæ textus, in quo proposita sit tanquam præmium finalis perseverantia. Præterea. Augmentum gratiæ comparatum auxilio efficaci seorsim majus præmium est, quam auxilium efficax; Si hoc tamen sumatur una simul cum augmento est procul dubio majus, & quia justus mereri non potest hoc auxilium sine augmento gratiæ, ideo nullo modo mereri potest auxilium efficax in ea ratione, in qua est præmium minus augmento gratiæ. Tandem. Retinendo doctrinam à me & aliis Theologis traditam de finali perseverantia, falsa est major argumenti; auxilium enim efficax ad finaliter perseverandum non est auxilium efficax solum, sed quod amitti non potest, hoc autem majus est quocumque gratiæ habitualis augmento.

44. Si vero perpetuitatem gloriæ perpendamus, ut argumentum propositum postulat, concedo, hanc hominem promereri, sed nego, perpetuitatem gloriæ esse præmium distinctum ab ipsa gloria, siquidem hæc ex natura sua & propter statum est perpetua; perpetuitasècontra gratiæ distincta est ab ipsa gratia: & ratio est, quia gloria non relinquit potestatem saltem proximam ad peccatum, relinquit tamen gratia; Illa perpetuitatem non potest amittere, potest ista. Præterea. Argumentum nimis probat; nam sequeretur, quod sicut perpetuitas gloriæ plus est, quam perpetuitas gratiæ, ita gloria plus est quam gratia, ergo si homo potest de condigno promereri gloriam poterit etiam gratiam, quod est falsum, aliter gratia non esset gratia ut pluries ex Apostolo dictum fuit. Aliam disparem rationem affert S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 9. dicens, *perpetuitatem gloriæ comparari ad motum liberi arbitrii tanquam terminum, perpetuitatem vero gratiæ, sed perseverantiam finalem comparari tanquam principium omnino dependens à speciali Dei motione*; & ideo illam sub merito esse, non istam.

45. Declarandum nunc est quod superius dixi, augmentum gratiæ propositum esse tanquam præmium bene operantibus, seù esse promissum; Quamvis vero hoc aliis momentis demonstrare possem; attamen mihi sufficient scripturæ testimonia ex quibus tantum solidius argumentum possumus haurire. Aptissimum est quod legitur 2. ad Corint. 9. ubi postquam Apostolus dixerit. *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est, dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Addit, *Qui autem administrat semen seminanti* (ecce administratio primæ gratiæ, quæ aliorum operum, quæ bona sunt, semen est,) *multiplicabit semen vestrum & augebit incremen-*

mentum frugum justitiæ vestræ. Vides, hic fidelium justitiæ locum esse, ergo & merito. Secundo illud produco, quod habetur Joan. 14. *Si quis diligit me, mandata mea servabit, & ego rogabo Patrem, & aliam Paracletum dabit vobis*. Videntur hæc verba parum ad rem nostram conferre, attamen si rectè perpendantur, satis convincunt. Promittitur Spiritus Sanctus diligenti & servanti mandata; quo pacto promittitur, si nec diligi Deus, nec mandata servari possunt sine Spiritu Sancto? Respondet Augustin. tract. 74. in Joan. dicens. *Restat, ut intelligamus, Spiritum Sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, ut plus habendo plus diligat*. Hæc Augustini authoritas controversiæ locum non relinquit. Hinc Concil. Trident. sess. 6. can. 32. hæc definit. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera &c. non vere mereri augumentum gratiæ &c. anathema sit*.

46. Dicendum secundo. Hominem non posse mereri de condigno alteri primam gratiam sanctificantem, vel remissivam peccatorum. Hoc enim soli Christo reservatum est; ratio non deest, quia meritum de condigno debet esse ex Divinæ gratiæ motione, ac præsupponere Divinam ordinationem. Deus autem nec movet, nec dirigit opera justorum ad aliorum justificationem de condigno obtinendam, cum pro hac re nullum fundamentum ex Scripturis & Patribus afferri possit; atque eorum opera à gratia adoptionis progrediantur, non vero à gratia capitis, quæ reperitur in solo Christo, qui constitutus est caput vivorum & mortuorum, sicut Judex; Datur vero hoc discrimen inter gratiam adoptionis & capitis, quod illa conceditur ad reddendum Sanctum tantummodò subjectum, in quo est, hæc vero influxum saltem moralem habet etiam in alios, ut traditur in tract. de Incarnat. Docuit hoc S. Leo ep. 92. cap. 2. ubi ait: *Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi, acceperunt justi non dedere coronas, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona justitiæ*.

47. Si vero sermo instituatur de merito congruo, censeo, hominem posse mereri alteri primam gratiam, cum enim homo in gratia constitutus Dei voluntatem adimpleat, congruum videtur juxta amicitiæ leges, à Deo adimpleri voluntatem illius, & hoc pacto dicunt Sancti Patres per orationes Stephani tantam gratiam & miram adeo conversionem Saulum obtinuisse, in quo sensu explicatur id, quod legitur Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua*.

43. Quod dixi ante num. 47. tenet in præsenti rerum ordine; Quid enim in alio vel fieri potuisset, vel posset investigare superfluum existimo.

ARTICULUS ULTIMUS.

An & quomodo in justificatis merita reviviscant.

49. PER peccatum deperdi merita omnia, quæ peccatum præcesserunt, ita certum est, sicut non posse juxta præsentem providentiam gratiam simul esse cum peccato in dubium revocari non potest. Revertatur inde homo contritus ad Deum, de quo dictum est, *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, quæritur, an prior gratia, & priora merita homini restituantur, seù, ut loquuntur Theologi, in ipso reviviscant.

Plures in hac re Doctorum afferuntur sententiæ. Voluerunt aliqui suppresso nomine relati, merita priora reviviscere per ordinem ad præmium accidentale explicatum per gaudium de bonis operibus factis ante peccatum, quo beatorum animæ perfundentur. Aliqui, præsertim Bannez 2. 2. qu. 24. art. 6. reviviscere etiam ad præmium essentiale tum gratiæ tum gloriæ, attamen

men præmium hoc in sui entitate non esse majus, quam si non reviviscerent. Primum dicendi modum temerarium appellat Suarez, secundum vero falsissimum & erroneum censet Ledesma, & à nobis sententiam nostram infra probantibus declarabitur. Docuerunt alii, inter quos Ledesma & Sotus, dari meritorum reviviscentiam etiam ad præmium essentiale, ita ut quo majora fuerint, majus etiam sit istud, non tamen semper quoad totum, sed juxta mensuram dispositionis, per quam homo justificationem obtinuit, ita ut, si contritio fuerit summa, merita summè reviviscunt, si media, tantum dimidiate, & sic loquendo, vel aliis terminis, quatuor gradibus contritionis correspondeant quatuor gradus gratiæ novæ & quatuor gradus gratiæ antiquæ, ut explicant Joan. à S.Thom. & Granad. cum pluribus aliis Thomistis. Alii tandem senserunt, in hominis justificatione, quomodocumque habita fuerit, sive per dispositionem summam, sive non, merita reviviscere ad præmium essentiale totum & integrum; Ita Scot. in 4. dis. 23. qu. unica art. 2. cum suis, Nomin. Durand. Henric. Suarez, Lugus, Esparza, Cacheran. nec non S. Th. in 4. dis. 14. qu. 2.

50. Dicendum 1. Merita per peccatum deperdita in justificatione reviviscere. Punctum hoc aliqui Theologi censent esse dogma fidei; esse tamen saltem certum certitudine Theologica refragabitur nemo. Colligitur autem ex Divina Scriptura; Ad Galat. 3. scribit Apost. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*. Ubi exprobat illorum lapsum post gratiam baptismatis & opera facta, & correctio illa, *si tamen sine causa* indicat, futura ipsis utilia præterita opera, si pœnitentiam egerint Joel. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*, ubi habet Glossa, *non patiar perire ubertatem, quam perturbationibus animi perdidistis*. Textus istos ita exposuit Concil. Trident. quod sess. 6. cap. 16. inquit: *Non modo conservantibus primam gratiam, sed etiam aliis, qui amissam recuperaverunt proponenda esse verba Apostoli ad Hebr. 6. abundate in omni opere bono, scientes, quod non est inanis labor vester in Domino, non enim injustus est Dominus, ut obliviscatur &c.* quod etiam ex mente Sanctorum Patrum licet colligere, præsertim Sancti Hieronymi dicentis: *Qui ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit, priora opera non perdet, si ad pristinam fidem revertatur*. Ergo.

51. Dicendum 2. reviviscere ex integro. Ita Scot. loc. cit. cum suis & communiori parte Neotericorum.

Prob. Si nulla sit necessitas oppositum asserendi, debemus dicere, merita propriè reviviscere; sed si ex integro non reviviscerent, impropriè reviviscerent, & nulla est necessitas hoc asserendi, ergo. Maj. pat. tum ex communi principio, tum ex quo Scripturæ & Patres absolutè loquentes de peccatorum reviviscentia, non sunt absque necessitate intelligendæ cum limitatione. Prob. prima pars min. reviviscere ex vi nominis est priorem vitam recuperare, & pars vitæ prioris non est propriè prima vita, ergo. Prob. secunda. Si aliqua est necessitas præsertim ob dispositionem quæ justificationem antecedit, ita ut meritorum reviviscentia debeat illi commensurari, sed hoc est falsum, ergo. Prob. mi. primo quia hæc dispositio non est physica sed moralis, ergo dari potest intensior gratia, quàm fuerit dispositio. Secundo existente eadem contritione & dispositione contritus plus gratiæ reciperet cum Sacramento, quàm extra Sacramentum, ergo gratia non commensuratur dispositioni. Tertio; ratio illa nimis probaret, quia sequeretur, nec quidem partialiter gratiam antecedentem & merita reviviscere, nam quanta est dispositio præsens, qua quis justificatur, tanta est gratia nova, quæ infunditur, addatur ergo quamtumvis minima gratia antiqua recuperata, semper com-

plexum hoc ex gratia antiqua & nova illam dispositionem excedet, ergo.

52 Dices, doctrinam hanc esse contra Tridentinum, quod sess.6. cap.7. asserit, gratiam recipi secundum uniuscujusque dispositionem, neque argumentum nostrum desumptum ex contritione in Sacramento, & contritione extra Sacramentum, quidpiam probare, siquidem in Sacramento reciperetur major gratia ex opere operato, non ex merito proprio, & opere operantis. Sed contra. Tridentinum loquitur de gratia, quæ novo infunditur, non quæ recuperatur, aut etiamsi de hac loquatur, uniuscujusque dispositio accipienda est non tantùm de præsenti, sed etiam de præterito, unde reviviscentia non solùm correspondet merito præsenti, verum etiam præterito, aliter nec partialiter merita reviviscerent, ut probavi. Quare sicuti gratia ex merito alieno potest excedere mensuram meriti proprii, ita gratia ex merito præterito potest excedere mensuram dispositionis & meriti præsentis, & sic excluditur quod secundo loco addebatur.

53. Ob. contra primam. Dum homo post justificationem peccat, non reviviscunt priora demerita, ergo neque dum homo post lapsum justificatur, reviviscunt priora merita. Consequentia tenet, nam sicut demeritum se habet ad pœnam, ita meritum se habet ad præmium. Præterea. Ezechiel. 18. *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ illius non recordabuntur*, sed si merita reviviscerent, Deus earum recordaretur, ergo.

Resp. conc. ant. ne. conf. etenim, ut ait Scotus loco cit. prætermissis aliis responsionibus, quas affert Vasquez disput. 221. demerita prorsus tolluntur, atque delentur omnino, ut contra Sectarios dictum est, nec ullo pacto Deus remanet creditor, & ideo non tantùm suspenduntur; è contra post lapsum bonum præteritum suspenditur tantum & mortificatur, ut ex Trident. doctrina colligitur. Quodnam autem sit discrimen inter opera mortua, mortifera, & mortificata, superfluum existimo tradere, nec enim tyronibus in omnibus scribo, sed jam in Theologia non mediocriter versatis; Ratio autem Theologica esse potest, quia peccator per pœnitentiam dedit etiam solutionem Deo, quantum exigit culpa & commutatio pœnæ æternæ in temporaneam; è contra Deus nihil dedit illius meritis, quæ erant ante peccatum, quare ablato obice peccati habet homo adhuc jus ad petenda pro antecedentibus meritis mercedem, ad quam ex Divina dispositione jus prius habebat.

54. Ob. 2. Paucis complectendo, quæ difusis verbis ab aliis exponitur. Primo; data sententia nostra sequeretur ex peccato emolumentum, quia gratiæ antiquæ adderetur nova. Secundo; daretur occasio peccandi, quia auferetur timor quidquam amittendi. Tertio; idem numero effectus reproduceretur. Quarto; si damnato Deus gratiam infunderet, illius merita reviviscerent, & ita non essent prorsus extincta.

Resp. ne. ant. gratia enim antiqua rediret ex vi operum præcedentium posita reconciliatione tanquam conditione removente prohibens, quæ, si non fuisset peccatum, multo magis crevisset, quam sit emolumentum habitum ex novæ gratiæ infusione: Quis tamen ibit inficias, maximum per peccatum allatum esse detrimentum, per quod factum est, ut toto illo tempore opera hominis fuerint mortua, cum tamen fuissent viva & meritoria? Rursus relinquitur in homine etiam post justificationem quædam prava inclinatio ex actu peccaminoso progrediens, & tandem superest debitum pœnam temporalem subeundi. En igitur emolumentum ex peccato progrediens, en major peccandi licentia, quod si etiam auferretur timor, haberetur aliunde compensatio multo major & utilior, augeretur videlicet

licet animus ad pœnitentiam cum ſpe recuperandi meriti præteriti, ex quo fieret, hominem pænitere non poſſet, ſi prius in actibus meritoriis ſe exercuerit. Tertium non repugnat, præſertim loquendo in linea morali. Quartum non eſt ad rem, nam ſi eſſet abſolutè damnatus, haberetur decretum efficax illi gratiam non dandi, quod ſi hoc non haberetur, non eſſet abſolutè damnatus, & nihil mirum ſi merita reviviſcerent. Atque hæc dicta pro hoc tractatu ſint ſatis ad laudem Dei, qui gratiam largitur, Chriſti, qui gratiam promeruit, Virginis, quæ Divinæ gratiæ Mater eſt, Pauli, qui gratiam prædicavit, Sanctorum omnium, qui gratiæ fructum perceperunt. Omnia autem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in qua ſolummodo gratia inveniri poteſt, ſubjecta volo cenſuræ.





QUÆSTIONES ALIQUÆ DE PECCATIS.

1. QUemadmodum, dum de virtute Theologica Fidei ejusdem opposita in medium afferre, operæ pretium existimavimus, ita inpræsentiarum, dum de gratia sermonem instituerimus, & quæ ad ejus tractatum præcipue spectare videntur fuerint resoluta, ejus contrarium exponere non inconsulto judicamus. Hoc peccatum esse inficiabitur nemo, qui vel gratiæ sanctificantis venustatem, vel peccati turpitudinem non ignorat. De hoc igitur pertractandum à nobis erit; atque ut plenius Pelagianorum error, cœterorumque novatorum refellatur, ab originali peccato ducemus exordium, aliqua prius generatim proferendo.

2. Etsi peccati nomine vitium designari soleat, vel è contrario; attamen hoc discrimen inter utrumque à Theologis affertur, quod vitium illud appellari debet, quod adinstar habitus in aliquod malum inclinat, peccatum vero illud dicitur, quod ad operationem aliquam malam alicui virtuti oppositam pertinet. Explicari hoc potest exemplo; qui enim ex. causa in ebrietatem frequenter incidit, ebrietatis vitio addictus existimatur, qui vero casu ebrius fit, in ebrietate peccasse judicatur, quapropter S. August. in lib. de perfect. justitiæ cap. 4. curvitatem tibiæ & claudicationem distinguens, illam comparat vitio, istam peccato, quod & fecit Arist. lib. 7. de morib. cap. 8. dicens, vitium esse quamdam hydropisim, quam sitim esse permanentem cuilibet compertum est.

3. Pluribus descriptionibus apud Doctores definitum reperitur peccatum, quibus omnibus prætermissis illa communissime jam nota recipitur, quam tradidit Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. nimirum, *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei*. Cum in peccato duo reperiantur, jam vides per hanc definitionem utrumque explicari, nimirum quod ad materiam spectat, & quod ad formam, dum audis *dictum, factum, vel concupitum*, intellige materiale, est enim actio vel oris, vel operis, vel mentis & cordis, dum audis *contra legem æternam Dei* intellige formale, est enim deordinatio ab ea lege, cui quælibet debet parere creatura.

4. Videtur hujusmodi definitio non satis cujuscumque peccati naturam explicare. Primo; quia plura sunt peccata, quæ non sunt contra legem æternam Dei, sed contra legem humanam & Ecclesiasticam. Secundo; quia plura sunt, quæ, etiam præcisa quacumque lege, peccata forent, ut sunt omnes actus intrinsecè mali, v. g. odium Dei & mendacium. Tertio; quia peccatum omissionis neque est dictum, nec factum, nec

nec concupitum. Quarto; quia peccatum originale, utpote nobis congenitum, hujusmodi non est, sicut & peccatum habituale, quod ab actu distingui debet.

5. Hæc omnia tamen falsa sunt. Falsum primum, etenim quicumque actus, qui fit contra legem humanam & Ecclesiasticam, est etiam contra legem æternam Dei, quæ præcipit sublimioribus potestatibus præstandam esse obedientiam, &, ut ait Paulus ad Rom.13. *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*. Falsum secundum etenim quodcumque peccatum est malum quia prohibitum, & divisio illa vulgaris in malam quia prohibitum, & in prohibitum quia malum, aliud non significat, nisi aliqua ab optimo & sapientissimo Legislatore libere prohiberi, aliqua vero necessario, ita ut Divina perfectissima ratio ea non prohibere non possit. Hinc omne peccatum contra legem Dei est; Unde S. August. lib. 3. de liber. arbit. cap. 3. & 4. quærens, quare adulterium malum sit, respondet, ideo malum esse, quia libidine fit, libidinem autem malum esse, quia ab æterna lege recedit. Falsum est tertium, cum enim qualibet negatio cognoscatur per formam oppositam, in dicto, facto, vel concupito satis intelligimus omissionem, & ita v. g. de omittente Sacrum die Festo dicimus male ac irreligiose operari. Falsum est quartum, quamvis enim peccatum originale non sit dictum, vel factum, vel concupitum voluntate propria, est tamen voluntate aliena, in qua tanquam in voluntate capitis omnium hominum voluntas continebatur, ita sentit August. qui in lib. retract. hæc habet. *Illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis voluntate contractum & factum est quodammodo hæreditarium*. Quod tandem dicitur de peccato habituali non est ad rem, primo quia hic sermo est de peccato actuali. Secundo quia etiam habituale moraliter est dictum, factum, vel concupitum, quia est macula progrediens ex actu voluntario non retractato. Sed de hac re alibi.

6. Porro peccatum ita definitum multifariam dividitur. Primo si partitionem ab objectis desumamus, peccata alia sunt carnalia, alia spiritualia, quare dixit Apost. 1. ad Corint. 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*. Ratio est, quia peccatum fit per deordinatam conversionem ad creaturas, istæ autem vel apprehenduntur sensibus carnis, ut cibus potus, concubitus, vel intelligentia mentis, ut honor, potestas &c. prior deordinatio peccati carnis est causa secunda peccati spiritus. In illa homines jumentis assimilantur, in ista Dæmonibus. Secundo dividitur peccatum propter sui originem in actuale & originale. Illum committitur propria uniuscujusque voluntate, hoc vero per naturalem propagationem à primo Parente contrahitur. Tertio dividitur propter legem in peccatum commissionis, & omissionis. Primum opponitur legi vel aliquid præcipienti, vel aliquid prohibenti; Secundum vero leges positivas & imperantes violat, illud propriè peccatum dicitur, istud delictum, ut adnotat August. qu.20. in Levit. ubi cap.7. alia Sacrificia decernuntur pro peccatis, alia pro delictis. Quarto dividitur propter varias personas, quæ peccato lædi possunt, in peccatum contra Deum, contra proximum, contra nos, ideo admonebat Paulus ad Timot. cap.2. ut sobrie, justè, ac pie in hoc sæculo viveremus, sobriè ne peccemus in nos, juste, ne peccemus in proximum, pie, ne peccemus in Deum. Quinto addi potest alia divisio peccati in Patrem, in Filium, in Spiritum Sanctum, quamvis enim per peccatum omnibus tribus personis injuria fiat, attamen peccat in Patrem, qui peccat ex infirmitate, cum Patri tribuatur omnipotentia, peccat in Filium qui peccat ex ignorantia, vincibili utique, quia Filio tribuitur sapientia,

tia, peccat in Spiritum Sanctum, qui peccat ex malitia, quia Spiritui Sancto tribuitur bonitas. Tandem aliud est peccatum lethale, aliud veniale, primum nos omnino avertit à Deo, & ipsi æterna pœna debita est; Secundum vero nos retardat in motu ad Deum, à Deo tamen non avertit, nec ejus amicitiam dissolvit. De quo suo loco dicemus. Hisce, etsi omnibus notis, breviter expositis.

QUÆSTIO I.

De Peccato Originali.

§. I.

An peccatum originale ex Adamo in posteros derivaverit.

7. PUNCTUM hoc tanti ponderis est existimandum, ut peccati originalis notitia sit primus nostræ Religionis cardo, ex hoc enim pendet fides redemptionis nostræ factæ per Christum, cum nec indigeat Medico qui sanus est, nec Redemptore qui captivitatis vincula nequaquam sentit. Primus, qui ex instituto peccatum originale negaverit in Adæ posteris, fuit Pelagius ineunte Sæculo 5. ut scribit Sanctus Augustinus in lib. de pec. orig. & de pec. mer. & remis. cap. 2. & alibi. Ita ut voluerit, peccatum primi parentis illi soli detrimentum attulisse, morbos vero, concupiscentiam, mortem ex illo peccato non progredi, sed esse naturales humanæ naturæ defectus. Mitius decursu temporis Catholicorum momentis convicti alii Pelagii Sectatores se gesserunt, atque in eam devenere sententiam, ut primum hominem non moriturum, si non peccasset, asseruerint, docuerint tamen, mortem corporis per generationem in posteros profluxisse, non vero mortem animæ, proinde neque peccatum, quod indicat S. August. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 2.

8. Error iste non fuit suis contentus authoribus, sed pluribus sectatoribus atque propagatoribus gloriatur. In priori sensu acceptus fuit Anabaptistis, cum negarent isti infantes esse baptizandos, eo quia peccato originali carerent; acceptus & Albigensibus, ut asserit S. Antoninus in sum. Theolog. par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. immo prius Petro Abailardo, ut colligitur ex S. Bernard. ep. 188. In posteriori vero sensu traditur à Zuinglio, Jacobo Fabro, eorumque fautoribus. Sed utcumque res se habeat.

9. Sentiendum, in omnes posteros naturali modo propagatos peccatum Adæ transfusum esse, & ideo omnes nasci peccatores morti cœterisque miseriis obnoxios. Est dogma fidei.

Prob. primo ex Scripturis veteris testamenti; duas autem tantummodo proferam; Prima legitur Job. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* quem locum apud 70. interpretes sic habemus expositum; *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita.* At immundities ista nequit esse nisi peccatum originale, ergo. Prob. mi. non potest esse ab ipsa natura, quæ per se sit sordida & immunda, cuncta enim quæ fecerat Deus visa sunt à Deo valde bona Gen. 1. propter quod nec potest esse à Deo, qui nequit esse author peccati, ut suo loco probabo; non potest esse peccatum actuale, cujus infantes incapaces omnino sunt, ergo nequit esse nisi peccatum originale.

Se-

Secunda habetur in pſ. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

10. Hiſce Scripturæ teſtimoniis Hęretici ſe non convinci gloriantur; atque ut primo textui reſpondeant, dicunt, illum intelligendum eſſe de ſordibus corporis, quibus certiſſime nemo caret, ut experimento compertum eſt.

Secundum vero textum pro nobis non probare contendunt, quia in eo ſermo eſt de iniquitatibus & peccatis, ita ut numerus pluralis uſurpetur; potius ergo innuit iniquitates & peccata à parentibus commiſſa in uniuſcujuſque generatione.

11. Convincantur tamen neceſſe eſt, ſi velint ex æquo Scripturam accipere atque perpendere. Ex primo textu ita in ipſos argumentum expono. In eo ſermo eſt de illa ſorde ac immunditia, quam Deus ſolus poteſt abſtergere, ſed hujuſmodi eſt immunditia ſpiritus non corporis, ergo. Magis hoc declaratur, ſi in Scripturis Sacris ſordes & immunditiæ iniquitates & peccata ſignificent; Res autem ita ſe habet, lege caput 4. Zachar. & invenies, *Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum, ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Lege Hierem. in lament. cap. 1. & invenies, *ſordes ejus in pedibus ejus, nec eſt recordata finis ſui* non recordari autem finis ſui peccatum eſt. Lege Iſaiam in cap. 64. & invenies, juſtitias noſtras menſtruatæ panno comparari. Neque ſecundi textus explicatio admitti poteſt, etenim quod vulgata noſtra legit in plurali Hieronym. Pagninus aliique in ſingulari declararunt ac reddiderunt, & hoc quidem juxta Hæbraicam lectionem; ſed etſi in plurali loquamur, loqutio ſatis propria & vera eſt; Fuit quidem peccatum Adę unum numero, ſpecie tamèn multiplex fuit; An non fuit ſuperbia? ſuam potius quam Dei poteſtatem dilexit. An non furtum? cibum vetitum uſurpavit. An non ſacrilegium? Deo non credidit. An non homicidium? ſeipſum interemit. An non fornicatio? mentis integritatem amiſit. Ita ſenſit S. Auguſtin. in Enchir. cap. 44. & 45. Quid vero mihi proferunt in eo pſalmo ſermonem eſſe de parentum iniquitatibus? David non ex fornicaria vel adulterina copula conceptus erat, ſed ex ſancto legitimoque conjugio. Neque ultimum tenet, legatur enim totus pſalmus, & in eo peccata proprie dicta Prophetam deplorare, veniamque humiliter petere intelliget unuſquiſque.

12. Prob. ſecundo ex Scripturis novi teſtamenti; mitto illud Joan. 1. *Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi* in textu Græco legitur *peccatum*. Aliud Joan. 3. *Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum* non dicitur ira Dei veniet, ſed manet, ergo prius erat; adnotavit Sanct. Auguſtin. lib. 6. in Julian. cap. 12. aliud ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei* ſi omnes, ergo etiam parvuli, ſed iſti non peccaverunt peccato proprio, ergo peccato Adæ; aliud ad Epheſ. 2. *Eramus & nos natura filii iræ, ſicut & cæteri.* Atque duo potiſſimum dicta Apoſtoli Pauli, quibus Catholica veritas traditur, in medium afferre contendo. Primum eſt in 2. epiſ. ad Corint. cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt* conditionalem vero propoſitam affirmat ibidem Paulus abſolute eſſe veram, cum addat, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, de qua re nihil hic ſubdam, cum alibi fuerit à nobis probata. Secundum eſt in epiſ. ad Rom. cap. 5. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Hæc verba clariſſima ſunt, nec indigent aliqua explicatione, aut illatione.

13. Nihilo tamen minus hujuſmodi dicti vim infirmare nituntur. Primo peccatum dici in mundum pertranſiſſe non propagatione ſed ſolùm imitatione, quatenus omnes in peccando imitati ſunt Adamum. Ita poſt Pelagium Eraſmus.

Secun-

Secundo peccatum in hunc mundum per unum hominem intrasse non propriè & secundum se, sed dumtaxat in sui effectu, quatenus ex ipso prodierunt ærumnæ, ægritudines, & mortalitas. Tertio ibi sermonem esse de peccato actuali Adæ, per quem certè peccatum intravit in mundum, quia ipse primus fuit, qui legem Domini violando, peccavit. Ita Zuinglius in digres: de peccato originali.

14. Verum omnes istæ expositiones vanæ sunt & omnino falsæ. Quod de imitatione dicitur optime novit ac confutavit S. Augustinus lib. de pecc. meritis ac remis. cap. 9. & epis. 89. ad Hilar. nosque ejusdem sequemur doctrinam. In primis juxta Pelagianorum hypothesim peccatum non intrasset in mundum per unum hominem, sed per Angelum, hic enim per sui inobedientiam & elationem pravo fuit hominibus exemplo, & primus fuit qui peccavit juxta illud Jo. 3. *Ab initio Diabolus peccat*. Quod si res in eorum sensu concedenda esset, cur dixit Apostolus omnes in Adamo peccasse, non sic in Eva, nonne ipsa fuit prima, quæ peccavit? *Nunquid*, (sunt verba præclarissimi Doctoris lib. contra Julian. num. 56.) *Evam non imitamur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumit initium? A' muliere initium factum est peccati, & propter illam sic scriptum est Ecclef. 23. morimur omnes; Cur ergo non vis attendere propterea potius Apostolum unum dixisse hominem per quem peccatum intravit in mundum; quia non imitationem sed generationem volebat intelligi, sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est*. Quanquam quid plura ex Augustino afferemus, cum ex ipso contextu quod intendimus clarissime colligatur? In eodem capite inquit Paulus præter multa. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ; sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi*. Modo sic. Justitia Christi non per solam imitationem, sed per veram in Christo regenerationem derivatur in homines, ut manifestum est in parvulis, qui Christum imitari non valent, ergo etiam peccatum Adæ non per imitationem, sed per generationem in ipsos derivatur; concludat hoc Augustinus dicens lib. 6. contra Julian. cap. 24. *Sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondum possunt, & tamen ad ejus gratiam Spiritualem pervenire possunt, ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt &c.* Hæc quod ad primam adversantium responsionem pertinet rejiciendam, sufficere posse videntur.

15. Jam vero ad rejiciendam secundam devenio, quam si admitteremus, Apostolus reprehendendus esset tanquam ignarus, dicens enim, *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, dixisset, mors in hunc mundum intravit, & per mortem mors, quo nihil minus congruum; ibi igitur & causa allata est, nimirum peccatum, & præcipuus peccati effectus, videlicet mors. Quod si diceres, per peccatum intelligendam esse inclinationem, seù proximitatem ad peccatum, male diceres, etenim non inclinatio seù proxitas ad peccatum est causa mortis, sed ipsum peccatum, nec dictum fuit Adamo, *quacumque die* pronus eris ad comedendum, sed *quacumque die comederis, morte morieris*. Constat hoc etiam apud nos, non enim proni ad occidendum vel furandum puniuntur, sed qui occidunt & furantur. Ex dictis contra primam Erasmi expositionem refellitur, quod tertio afferebatur. Peccatum enim actuale intravit in mundum per Angelum, aut si de mundo visibili velint esse sermonem, intravit per Evam. Quod si verba illa *per unum hominem* velles explicare per Evam, ut videtur innuere Ambros. in comment. dico primo

mo illa commentaria huic Sancto Doctori tribuenda non esse; secundo hujusmodi explicationem ab omnibus rejici tanquam Apostoli verbis oppositam nota particulas illas, *in quo omnes peccaverunt* & ad virum, non ad fœminam pertinere satis inspicies.

16. Prob. tertio ex Patribus, qui ante Hæresim Pelagianam scripserunt, quid enim senserint posteriores Patres omnibus notum est. Occurrunt primo sæculo Dionys. Areopagit. & S. Ignat. Ille in lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. omnem humanam naturam donis omnibus gratuitis spoliatam ac infectam esse testatur. Iste vero in epis. ad Tralian. hæc habet. *Imitatores estote passionum Christi, & dilectionis ejus, qua dilexit nos dans semetipsum pro nobis, ut nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.* Quid est impietas antiqua nisi originale peccatum? Secundo sæculo Justin. in dial. cum Triphone inquit. *Christum natum & crucifixum esse humani generis causa quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis conciderat*. Et Irenæus lib. 5. cap. 17. ait: *Delevit chirographum, debita nostra, affigens illud cruci, ut quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem*. Tertio sæculo Cyprian. lib. 3. ep. 8. ad Fidum dicit. *Infans recens natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ, prima nativitate contraxit*. Origen. hom. 8. in Levit. scribit. *Quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur* & lib. 4. contra Cels. *In Adamo omnes moriuntur, & damnati sunt in similitudinem prævaricationis Adami, nec tam de uno quopiam, quàm de toto humano genere Scriptura Divina loquitur*. Sæculo 4. Ambrosium, Hieronym. Augustinum in medium adducimus. Primus in apol. David cap. 11. ait: *Antequam nascamur, maculamur contagio, ante usuram lucis originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur*. Secundus in comment. cap. 2. Micheæ inquit. *Unusquisque nostrum cum Adam de Paradiso cecidit, & in hujus mundi captivitate versatur*. Tertium vero legere quisque potest lib. 1. ad Simplic. qu. 1. & 2. quem scriptum esse ante Pelagianæ Hæresis ortum colligitur ex lib. retractat.

17. Hinc mirum non est, si Patrum sententiis accesserunt etiam Conciliorum definitiones, quibus assertum nostrum catholicum quarto probatur. Quid in hac re exoptatur? Quid in Concilio Palestino definitum fuerit ita manifestum est, ut ipse Pelagius errorem suum vel ad detestandum, vel ad involvendum fuerit compulsus. Historiam legat, qui velit, hoc tamen obiecit S. August. Juliano lib. 1. cap. 2. Quid in Concil. Milevit. ita conspicitur, ut qui legerit Canonem secundum, hæc statuta esse reperiet. *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro generationis expietur, anathema sit*. Quid in Concil. Arausic. can. 2. ita apparet, sicut clara sunt ista verba. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna est peccati, non autem & peccatum, quod est mors animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti per unum hominem &c.* Idem decernitur in Carthag. à Zosimo confirmato, in Tolet. 6. & 12. in Mogunt. & tandem in Florent. & Trident. Idem definitur à Summis Pontificibus. Innoc. 1. Zosimo, Cælestino, Leone, Gregorio &c.

18. Rem totam rationibus Theologicis superest demonstremus. Prima desumi potest ex remedio, quod pro omni statu naturæ fuit pro peccato originali, & in lege Mosayca fuit circumcisio, quæ aut fuit in sententia mea ad ipsum de-

lendum, aut saltem juxta alios ad significandam ejusdem purgationem. Secunda & potissima colligitur ex necessitate baptismatis, *nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Joan.3. confertur autem baptisma hisce verbis, *ego te baptizo*, idest lavo & mundo, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quę vera non essent, nisi quid esset lavandum ac mundandum, nihil autem esset, nisi foret originale peccatum, cum actuale in parvulis esse non possit; notetur etiam verbum illud, *renatus*. Quomodo namque renasci quis potest per gratiam, nisi prius esset mortuus per peccatum? Perpendamus insuper cœremonias antiquissimas, quæ in baptismate adhibentur, videlicet exorcismum, & exsufflationem, quibus immundus spiritus ab infantibus baptizandis abjicitur, non posset autem abjici si non esset, nec esset, si per peccatum eos non teneret captivos. Hoc argumento usus est S. August. lib.1. de pec. mer. & remis. cap.34. & 6. contra Julian. cap. 2. Tertia ratio proponitur ex morte aliisque miseriis, quibus subjiciuntur parvuli antequam propria voluntate mali aliquid egerint; non enim moriuntur homines nisi propter peccatum, ut verum sit quod tradit Apostolus ad Rom.6. *stipendium peccati mors* & jam dixerat Deus Gen. 2. *quacumque die comederis, morte morieris*.

19. Dices. Mortem, aliasque ærumnus Adamo fuisse pœnam, posteris vero non pœnam, sed calamitatem atque infortunium; eo pacto quo si Pater culpa sua substantias dissipet, ipsi inopia pœna est, filiis autem quos gignit non pœna, sed calamitas est. Sed contra est quod legitur Ezechiel. 18. *Ecce omnes animæ meæ sunt, ut anima patris, ita anima filii mea est; Anima quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris nec pater portabit iniquitatem filii*. Si ergo moriuntur infantes, eorum animæ peccaverunt. Quod si Exodi c.20. dicitur *Deus visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*; sensus est, per peccata patrum aliquando tantum aditum seù scandalum parari filiis, ut malos patres imitentur mali filii, & ideo à Deo visitantur, ita explicant S.Hieronymus in comment. ad idem caput S. Augustinus in illa verba psal. 108. *in memoriam redeat iniquitas patrum ejus*. Nec non S. Joan. Chrysost. hom. 29. in Genes. explicatio autem est conformis contextui, adduntur enim hæc alia verba, *eorum, qui oderunt me*.

20. Dices contra rationem desumptam à Sacramento Baptismatis. Hoc conferri, non ut deleatur aliquod peccatum, sed ut homines consequantur Regnum Cœlorum, ut patet ex verbis Christi; *Nisi quis renatus fuerit &c. non potest introire in Regnum Dei* cœterum etiam sine baptismate vitam æternam haberent.

21. Responsionem hanc pluribus in locis Sanctus Augustinus confutavit; & primo serm.14. de verbis Apost. docuit, si parvuli innocentes sunt, à Regno Cœlorum excludi non posse, cum nullam pœnam innocentibus Deus infligat, esset autem hujusmodi exclusio maxima pœna, vel enim innocentes parvuli illud desiderarent, vel non, si primum, illo carere non sine maxima pœna concipi potest, si secundum, non essent innocentes, quia magna foret in eorum corde perversitas. Præterea, quænam est hujusmodi distinctio inter vitam æternam & Regnum Cœlorum? Hoc prorsus inauditum est; Qui enim vitam æternam habet, Cœlorum Regno potitur, qui hoc caret vitam æternam non habet; Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, sed qui servat mandata Regnum Cœlorum ingreditur, ergo vita æterna & Cœlorum Regnum idem significant, & quemadmodum non habere æternam vitam est Regno Cœlorum privari, ita vitam æternam habere est Regnum Cœlorum consequi.

22. Alia ratio & quidem validissima ex eo habetur, quod Christus mortuus sit

sit pro impiis juxta illud ad Roman. 5. *Christus secundum tempus pro impiis mortuus est* & 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*. Atqui mortuus est pro omnibus & singulis, ut à nobis suo loco probatum fuit, ergo omnes & singuli sumus impii, non iniquitate propria, ut sunt parvuli, ergo iniquitate Adami proinde &c.

§. I I.

Afferuntur argumenta contraria, & refelluntur.

23. QUemadmodum nos à Scripturarum testimoniis assertionem nostram demonstraturi exorditi sumus, ita Pelagiani aliique à Scripturis Sanctis oppositum probaturi sumunt initium.

Primo ex veteri testamento argumentatur Julianus, & postea Zuinglius de baptismo in digressione de pec. origin. Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris*. Sed hoc dici non posset, si admittendum esset peccatum originale, quia omnes posteri portarent iniquitatem Adami, ergo.

24. Resp. primo. Id dictum esse prophetice respiciendo beneficium illud, quod per Incarnationem Domini Nostri Jesu Christi peragendum erat; Hujus adventu, & ante adventum, ejus fide delendum erat Chirographum decreti, ut peccatum Adæ nemini amplius noceret, dummodo quis vellet expoliare se vetere homine, qui fuit Adam, & induere novum hominem, qui est Christus. Hæc est responsio S. August. lib. 6. contra Julian. cap. 12. Mihi tamen magis arridet dicere, peccatum patris nostri Adami non fuisse solummodo Patris, sed uniuscujusque, verbis utar ejusdem Augustini lib. 6. contra Julian. cap. 10. quæ sunt ista. *Parentum peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe sunt proprietate actionis, & nostra sunt contagione propaginis.* Verum ex hoc textu argumentum pro nobis protulimus num. 19. sensus igitur verus est, filium non portare iniquitatem Patris, si agatur de iniquitate, quæ in filios non pertranseat, ut contingit in aliis patribus præter Adam, in quo omnes peccaverunt, ut probavimus.

25. Opp. secundo ex pluribus Sancti Pauli testimoniis, 2. ad Rom. 3. *non cognovi peccatum nisi per legem* & ut ait: c. 4. *ubi non est lex nec prævaricatio*, ergo in iis, in quibus non est cognitio legis nulla esse potest prævaricatio, nullum peccatum, sed in parvulis nulla est cognitio, ergo. Ad Rom. 5. *regnavit mors ab Adam usque ad Moysem in eos quoque qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adam* mors igitur non peccatum ad nos ab Adamo descendit. Ad Corint. 5. *Omnes vos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum*. Sed parvuli nihil boni vel mali gesserunt in corpore, ergo.

26. Resp. ex primo textu Apostoli probari solummodo ad summum non esse peccatum actuale sine cognitione, non vero originale, de quo est quæstio, ideo Zuinglius ita argumentando in illud incidit vitium, quod Logici vocant principii petitionem; dixi *ad summum*. Etenim etiam sine lege ejusdemque cognitione, si ignorantia voluntaria sit, est peccatum & prævaricatio; *qui enim sine lege peccaverunt sine lege peribunt*, ait Paulus ad Rom. 2. Rectius tamen dici potest, parvulos non cognovisse legem cognitione propria, cognovisse vero cognitione Adami in quo continebantur, & in quo audierunt, *quocumque die comederis, morte morieris*. Unde ait August. lib. 3. de peccat. meritis & remiss. cap. 7. *In Adam omnes tunc peccaverunt, quia omnes ille unus fuerunt, & quidquid erat in futura propagine vita unius hominis*

nis continebat. Ad 2. intelligendum ly non peccaverunt propria voluntate, non voluntate Adami. Mors enim illa, ut declarat Augustinus lib.6.contra Julian. cap.4. est pœna justa, ergo ipsam culpa præcessit, quare eodem contextu ait Apost. per unum hominem &c. & per peccatum mors. Ad 3. Videtur textus ille ad adultos dumtaxat referri. Sed peto ab adversariis, manifestabuntur ne parvuli ante Tribunal Christi! Si negant, ergo nullum est argumentum; si affirmant, referet unusquisque opus suum non patratum voluntate propria sed aliena; Neque in hoc aliqua ipsis fiet injuria, sicut enim non baptizati referunt opus suum malum aliena mala voluntate, ita baptizati referunt suum opus bonum aliena bona voluntate credendi; Si ergo illis prodest credidisse per alios, mirum non sit, si eis noceat peccasse per alium. Augustinus hoc sibi jam opposuit, & ita respondit lib.6. contra Julian. cap.10. & ita responsionem concludit. *Quam importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, ut velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei Regnum, alienum quippe opus fuit, cum credidit per alterum, sicut alienum opus fuit, dum peccavit in altero*.

27. Alia plura opponunt ex sacris litteris; sed nihili habenda sunt. Hujusmodi est illud ad Rom.5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi &c.* Et aliud ibidem. *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*. Etenim in primo textu pro multis significantur omnes, Scriptura enim utrumque adhibet pro eodem, ut præter testimonia à nobis adducta legitur in Genes. cap. 17. ubi de Abrahamo dicitur. *Patrem multarum gentium constitui te*. Et postea cap.22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Congruum autem fuit, Scripturam tali pacto se explicare, etenim aliquando sunt multi, licet non omnes, & aliquando sunt omnes licet non sint multi. Si quis enim diceret, Apostolos Christi fuisse duodecim, omnes diceret, non tamen multos & si quis diceret; Multi homines diligunt Deum, multos diceret, non tamen omnes. In secundo vero textu non negatur fuisse peccatum, sed solùm non imputari, eo quia ab hominibus non erat habitum & cognitum ut peccatum, imputabatur tamen à Deo, ut constat ex pœna, qua illud punivit.

28. Ob. 3. ex SS. Patribus. Primo occurrunt Tertullianus & Justinus. Primus in lib. de carnis resur. mortem asserit esse pœnam prævaricationis Adæ, at de peccati macula silet omnino, & c.18. de baptis. parvulos baptizandi reprehendit consuetudinem, *cur*, ait, *festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Secundus vero in resp. ad Orthodox. qu.88. illud Jobi, *nemo mundus à sorde* ad infantes docet non pertinere. Præterea Clem. Alexand. lib. 3. Strom. in fine inquit: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo in Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Et advertendum, Clementem tunc scripsisse contra Tatianos, qui ut refert Epiphan. hæresi 46. nuptias damnabant fornicationibus pares illas existimando, & peccatum originale tanquam hujus erroris fundamentum stabiliebant; hoc ergo negavit Clemens.

29. Resp. Tertullianum Ecclesiæ consuetudinem parvulos baptizandi reprobasse, sed hoc perperam ab ipso factum est, non negasse tamen maculam peccati, etenim in lib. de anima cap.40. inquit: *Anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, peccatrix autem quia immunda*. Innocentes igitur appellavit infantes, si de peccatis propriis sermo sit, censuit autem differendum esse baptisma, usque dum ad ætatem adultam pervenirent, ut inde maculæ etiam actualium peccatorum baptismate diluerentur; In priori autem libro necesse non erat peccati maculæ mentionem faceret, agebat enim

tunc

tunc contra Marcionem, qui carnis resurrectionem negabat, ideo ipsi satis erat de sola corporis morte disserere, argumentum Tertulliani erat hoc. Primus Adam mortem intulit corpori, ergo secundus Adam, Christus, corpori vitam est allaturus. Quod ad Justinum spectat; Si laudatus liber ejusdem est, ex eo nihil probatur, etenim in illa quæstione agitur de peccato actuali, & verum est hoc infantes coinquinatos non esse; dixi, si ejusdem est, arbitror enim oppositum, ad hoc moveor, quia in eo sermo est de Origene, & Manichæis, qui Justino fuerunt posteriores. Quantum ad Clementem Alexandr. falsum est Tatianos, seù Excratitas tanquam proprii erroris basem peccatum originale supposuisse, sed peccatum actuale juxta Platonis doctrinam, qui asserebat animam ante unionem corporis peccasse, & propterea hanc ipsi pœnam inflictam esse, ut vinculis corporeis teneretur, atque hoc indicant illa verba, *dicant ergo nobis; ubi fornicatus est infans natus?* ideo posteriora, *quomodo Adæ cecidit execrationem?* explicanda sunt de execratione progrediente à peccato actuali, quod ab infante nondum nato commissum supponebatur. Non inficior tamen, hunc Sanctum Doctorem Scripturas illas, quibus à nobis peccatum originale probatur, aliquantulum detorquere, ita ut Pelagiano errori favere videatur; nihilominus ut illum benigne excipiamus & interpretemur, aliqua non desunt. Primo quia, ut apparet ex libris S. Augustini, nunquam Pelagiani eum tanquam sui Patronum adduxerunt. Secundo quia cum Tatiani textibus illis, *nemo mundus à sorde*. Et. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum* abuterentur ad probandum assertum Platonicum, satis erat Justino illos sic explicare, ut declararetur, ex illis non probari aliquod peccatum commissum esse, antequam corporibus animæ unirentur.

30. Maxime vero gloriantur pro se esse S. Joan. Chrysost. & quidem pluribus in locis; Primo hom. ad Neopl. hæc habet. *Infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato, nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas & fraternitas Christi*. Nota illa verba, *non sint inquinati*. *Eis addatur*. Supponuntur ergo sancti & justi. 2. hom. 17. in epis. ad Corint. *Quid igitur faciam, inquis, propter illum, videlicet Adamum, pereo? Minime propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti*. 3. hom. 39. in eandem epist. *Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noe vir justus sæculo suo fuit &c. Itaque si hoc de corpore dictum esse velimus, constabit oratio, si autem de justitia & peccato, nequaquam*. Contracta itaque est mortalitas corporis, minime mors animæ, proinde neque peccatum, quod certe manifestissime declarat amplius idem Doctor hom. 10. in ep. ad Roman. ubi ait: *Videtur quæstionem non parvam habere quod dictum est, videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse, nihil absurdum; At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, quam, obsecro, congruentiam & consequentiam habet? Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores significat? mihi videtur tantundem significare, quantum illud, supplicio obnoxii, ac mortis rei, quod Adam mortuo, omnes mortales effecti*.

31. Toto tamen Cœlo aberrant, qui Chrysostomum Pelagiano errori favisse arbitrantur. Eum defendit S. August. lib. 1. contra Julian. cap. 2. & 6. ubi sic effatur. *Inane verba S. Joannis Episcopi audes opponere, absit absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere, absit inquam, ut Constantinopolitanus Joannes tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio; Gallo Hilario, Mediolanensi resi-*

resistat Ambrosio. Atque ut magis ostenderet quod dicebat inter plura, quæ ex Chrysostomi libris colliguntur, duo affert ejusdem loca. Primus est in hom. ad Neophyt. ubi inquit: *Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis*. Nota Chirographum Paternum appellari nostrum, nota initium debiti distingui ab aliis peccatis, quæ propria voluntate committimus. Secundus est in hom. 10. in ep. ad Rom. ubi ait: *Quod Christo crux & sepulcrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus, & sepultus est, nos autem peccato utrumque*. Idest etiam in anima. Hisce adde quæ leguntur in ejusdem hom. 40. in ep. 1. ad Corint. nimirum. *Deus in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit, & ut tu aurum, ferrumque recoquendo, purum novumque facis, sic spiritus ille sanctus in baptismate, velut in fornace recoquit ipsam, & peccatum consumendo quolibet auro purius splendentem reddit*. Perpende ly radicale peccatum, & si non asseris peccatum originale, quid aliud affirmabis?

32. Hisce expositis facillime opposita refutabis. Primum textum intellige, parvulos non esse inquinatos peccato actuali, & simul advertas oportet, Chrysostomum disputationem instituere contra eos, qui existimabant in baptismate non infundi gratiam & dona supernaturalia, sed solum remitti peccata per extrinsecam condonationem eo modo quo fieri inter homines solet, & ideo dixit eis addi sanctitatem, justitiam, adoptionem &c. omnia hæc videlicet ultra peccatorum remissionem; Quod si non addidit *peccato proprio* hoc ab eo factum est, quia disputans in Ecclesia Catholica se non aliter intelligendum esse arbitrabatur, nondum enim tunc erant Pelagiani, & hæc responsio est August. loco citato.

33. Ad secundum tunc Chrysost. Prædicatorem agebat, atque eos alloquebatur, qui jam baptismatis gratiam receperant, & cum multa atque gravia peccata patrarent, damnationis suæ causam Adamo tribuebant; ideo tertio loco opponit Noe, Jobum, aliosque viros sanctos & justos, qui etsi peccatum Adæ contraxerint, tamen justè sanctèque vixerunt; Verum autem est, in regeneratis peccatum non remanere, sed solummodo corporis mortem, quod si dixit, *num omnes in Adam morte peccati mortui sunt?* loquitur de morte peccati irreparabili, ita ut non sit mors animæ, cui remedium præstitum est, sicut mors corporis, quæ ineluctabiliter omnibus est statuta, & sic explica tertium.

34. Ad postremum. Etsi ibi corporeæ mortis mentionem fecerit, spiritualem tamen non exclusit aut negavit, immo cum eam dixerit esse supplicium, hanc præsupposuit, aliter injusta fuisset pœna. Absurdum, quod visum est Chrysostomo hujusmodi erat, quod Adamo peccante actu proprio, omnes etiam actu proprio, constituti essent peccatores, ita ut peccatum actuale unius foret etiam peccatum actuale alterius, quod nequaquam dici potest. Fuerunt itaque & sunt omnes, qui nascuntur, peccatores, qualis fuit Adam post peccatum, fuit autem peccator non actu sed habitu, proinde morti obnoxius, ac supplicii reus.

Juxta expositam doctrinam uno vel altero modo explicandi sunt alii Patres, si qui opponantur.

35. Opp. 5. rationibus. Prima ea est, quam promovet Julian. apud S. August. lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. 28. *Non peccat*, inquit, *qui nascitur*, *non peccat qui genuit*, *non peccat ille qui condidit*, *per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ*, *peccatum fingis ingressum?* Et certè quodlibet peccatum voluntarium esse debet, at in parvulis nihil quod voluntarium sit, esse potest, ergo nec ullum peccatum.

36. Resp. conc. ant. ne. consf. esto enim

enim non peccet, qui nascitur, nec qui genuit, nec qui condidit, peccati tamen causa alia non deest, nimirum Adam. *Quid quæris*, respondet S. August. Juliano in laudato loco, *latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem*, ait Apostolus, *peccatum in hunc mundum intravit, quid quæris amplius, quid quæris apertius, quid quæris inculcatius?* Debet, fateor, quodlibet peccatum esse voluntarium, sed vel physice vel moraliter, non solum physice, vel voluntate propria vel aliena, in qua continetur propria, non sic semper propria; Porro voluntas uniuscujusque hominis continebatur in voluntate Adæ tanquam in capite & principio totius humanæ speciei, unde dicit S. August. pluribus in locis, Adamum, cum peccavit totius humani generis gessisse personam, & ideo præceptum illud non comedendi de ligno impositum ipsi fuit non ut soli homini privato & singulari, sed ut omnium capiti à quo tam conservatio quàm amissio originalis justitiæ dependebat ita ordinante ac disponente Deo tanquam supremo omnium Domino habente magis in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Si enim humana Respublica etiam inconsultis pupillis horum voluntatem transfert in voluntatem tutoris, ita ut quidquid facit tutor, censeatur factum à pupillis, quanto magis hoc fieri potuit à Deo? præsertim quia si nos, quod fortasse durum videtur, præcepto suo obligavit in Adamo, ad nos etiam transferre volebat omnia dona, quæ erant in Adamo, si præceptum servasset, quod erat pactum prorsus æquale. Quare autem ita Deus voluerit ac decreverit, justissimum judicium Dei fatemur, quamvis nobis occultum. *Nostra est*, ait Bernard. serm. 1. de Dom. 1. post oct. Epiphan. *Adam culpa, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto*. Atque hæc prius fuit responsio S. August. lib. 5. contra Julianum cap. 3. Certum est quod ait Oseas cap. 6. *Ipsi, sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me*.

37. Secunda ratio in oppositum desumi potest à pari. Sicut enim justitia Christi non prodest nisi iis, qui credunt, ita injustitia Adæ nocere non potest nisi peccantibus, parvuli non peccant, ergo. Sed contra; eodem pacto de utraque nos loquimur, sed sicuti justitia Christi prodest, vel per actum proprium vel alienum, ut constat in parvulis qui baptizantur, ita injustitia Adæ nocuit per actum alienum. Ita S. August. lib. 6. ubi concludit. *Vide, quam importune nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis, eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei Regnum, alienum quippe opus fuit, cum credidit per alterum; sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero*.

Plura alia opponi possent, sed suis locis adducenda & rejicienda reservantur. Hæc de peccati originalis existentia generatim dicta sint satis, quomodo vero ad posteros traducatur, & utrum ad omnes omnino inferius declarabimus.

§. III.

De Peccati Originali essentia.

38. Multa sunt, quæ ad quæsitum nostrum plenarie resolvendum, declaranda nobis proponuntur, quemadmodum plura sunt, quæ in hac re examinarunt tam Hæretici, quàm Doctores Catholici; neque mirum esse debet, cum, ut ait Augustin. in op. de moribus Eccl. *Hoc peccato antiquo nihil sit ad prædicandum tutius, nihil ad intelligendum secretius*; Quare, si prorsus omnis difficultas non auferatur in iis, quæ vel dicta, vel dicenda sunt, nemo me reprehendat, nisi reprehendat quotquot scripserint, vel scripturi sunt, nam si nulla difficultas superesset, fide non indigeremus ad peccatum originale credendum.

39. Ut in hac re ordo servetur & claritas,

ritas; afferendæ sunt omnium tam Hæreticorum, quàm Catholicorum sententiæ, ut inde, quantum Deus dederit, nostram firmius stabiliamus. Referamus primo quid Hæretici sentiant.

Lutheranorum & Calvinistarum communis opinio est, peccatum originale nihil esse, quam concupiscentiam, seù naturæ humanæ corruptionem ac pravitatem in anima residentem, per quam evadit homo sub ira Dei, & in carnis operibus se exercet, quæve pluries à S. Paulo peccatum vocatur. Huic errori subscribit etiam Malebranchius th. 4. de inquisitione verit. asserens privationem gratiæ sanctificantis esse effectum concupiscentiæ, quæ est peccatum originale quo ad ejus formam.

40. Est vero adnotandum, non in quacumque concupiscentia originale peccatum ab ipsis formaliter collocari; Alia enim est concupiscentia actualis, quæ explicatur per motus appetitus sensitivi excitatos ab ipsa voluntate, aut per motus indeliberatos, qui contra rationem, vel præter exurgunt. Alia est habitualis, & consistit in propensione ad bonum proprium & sensibile. Trifariam autem hoc contingere potest, vel prout est propensio ad bonum sensibile ut conveniens naturæ humanæ, quæ cum sensu & ratione prædita sit, naturaliter tendit & in bonum honestum & in bonum sensibile; vel prout est animæ inordinatio omnes animæ potentias pervadens, vel prout est inordinatio animæ corporisque membrorum; per quam vitiata remanet, & propensa ad illicitas voluptates. Non asserunt Hæretici peccatum originale consistere in concupiscentia actuali, asserunt enim, si explicetur per motus appetitus sentientis excitatos à voluntate & ratione, fuisse etiam in statu justitiæ originalis, si vero per motus indeliberatos, qui contra vel præter rationem exurgant, posteriorem esse peccato originali tanquam hujus effectum; neque dicunt, consistere in concupiscentia habituali priori modo declarata, affirmant enim hanc naturaliter homini convenire, & fuisse etiam in Adamo gratiæ & donorum supernaturalium privilegiis exornato. De concupiscentia igitur in secundo & tertio sensu ipsi loquuntur, hancque tanquam formam originalis peccati stabiliunt.

41. Matthias vero Illyricus ex Lutheranis aliud quidpiam excogitavit, ita ut dixerit, esse quandam substantiam malam à Diabolo genitam, in quam Adam, peccando transformatus factus fuerit substantialis Diaboli imago, in posteros deinde generatione transfusa; quemadmodum enim in gratia constitutus erat imago Dei, ita peccato coinquinatus evasit imago Dæmonis. Est igitur per Illyricum anima per peccatum tota substantialiter corrupta & mutata, non quidem tali mutatione, quæ sit vel generatio vel creatio, sed proprie transformatio, eo modo quo vinum vertitur in acetum.

42. Asserendum est primo concupiscentiam non esse formaliter peccatum originale.

Hanc veritatem apertis disertisque verbis definivit Concilium Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali; Concilii verba liceat proferre. *Si quis per Jesu Christi Domini Nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod verum & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit, in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil damnationis est iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exeuntes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cæli removetur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur, &* sen-

sentit, quæ cum ad agonem relicta sit nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet, quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari; quod verè & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat; Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Vides in hoc decreto quidquid à Lutheranis & Calvinistis dicitur omnino esse rejectum & condemnatum.

43. Ne vero vanum esse existiment Hæretici quod est à Concilio definitum, operæ prætium est ea afferre momenta, quibus ad id definiendum permotum fuit, & hoc pacto assertionem nostram, ut par est, contra ipsos demonstrabimus. Fateor tamen punctum hoc jam satis demonstratum esse in tractatu de gratia, ubi declaratum fuit peccata in justificatione non solum tegi & non imputari, sed revera remitti, ac prorsus deleri, ex quibus sequitur per generationis lavacrum auferri prorsus peccatum originale, non auffertur autem concupiscentia, non est ergo concupiscentia peccatum originale. Sed amplius sic. Asserere, concupiscentiam esse peccatum originale formaliter est contra Scripturas, Patres, & rationem, ergo.

44. Hujus argumenti antecedens singillatim probandum est. Itaque à Scripturis incipiam. Jacobus Apostolus c. 1. inquit. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Jam perspicis hic plura dici, & primo, hominem, qui tentatur, à concupiscentia sua tentari, secundo concupiscentiam concipere & peccatum parere; tertio peccatum perfici & consummari. Primus concupiscentiæ motus, in tentatione positus, est abstrahere & illicere, quod per sugestionem fit. Secundus motus concupiscentiæ est concipere, quod fit per delectationem, tertius motus concupiscentiæ est parere peccatum, quod fit per consensum, ut explicant Gregor. homil. 16. in Evang. & Beda in comment. hujusce loci. Primus motus nullo pacto potest appellari peccatum, immo si ipsi resistentia fiat, nostram vertitur in coronam, ait enim idem Jacobus ibidem. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Secundus motus, si fit cum delectatione sine consensu neque peccatum est, è contra si accedat consensus, peccatum paritur, & habetur tertius motus. Aliud est igitur concupiscere, & aliud concupiscentiæ obedire. Illud in hominibus remanet saltem in pronitate & inclinatione, hoc nequaquam, nisi ipsi velint; illud peccatum non est, hoc sine peccato non fit. Hinc Ecclesiast. 16. legitur, *post concupiscentias tuas ne eas*, & ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali ad obediendum concupiscentiis vestris.* Quod si fomiti & concupiscentiæ tribuendus esset reatus peccati, quo pacto dixisset Paulus 1. ad Corint 7. *Si acceperis uxorem non peccasti, si nupserit Virgo non peccavit?* Peccatum ergo est aliquid à fomite & concupiscentia distinctum.

45. Plura respondet Calvinus, quæ tamen ad hoc revocantur; quod ibi probetur, concupiscentiam non esse peccatum actuale, non vero non esse peccatum originale. Sed effugium hoc evanescit ex dictis supra num. 53. & amplius sic. Hæc concupiscentia, quam dicunt esse peccatum, vel est pronitas potentiæ concupiscibilis ad malum, vel est primus ejusdem motus, videlicet suggestio, sed neutra dici potest peccatum originale, ergo. Prob. mi. non potest esse suggestio, quia cum ista sit actus, potius deberet esse peccatum actuale, non potest esse pronitas, quia primo hæc indifferens est ad bonum & malum, & relinquitur nobis ad agonem, quo etiam in bono

exerceri possimus. Secundo quia, ideo esset peccatum, quia opponi videtur legi Dei, at si hoc esset, multo magis censendum foret peccatum ejusdem actus, idest suggestio, cum magis opponatur legi Dei actus, quam pronitas seù inclinatio ad actum, ergo.

Alia momenta, quæ colliguntur ex Epistolis Pauli, non recenseo, cum enim plura dicant in iis explicandis novatores, melius perpendentur, dum eorum argumenta refellemus.

46. Aptius rem pertractabimus; si Sanctos Patres, quibus proculdubio subscribendum est, in medium afferemus. Hoc autem præstabimus, si aliquos tam ex Græcis, quam ex Latinis producamus, aliquos dixi, ne nimium sermonem nostrum alienis laboribus, protraheremus; antequam vero id à me agatur, hoc argumentum proponam. Quod hominis naturæ tribui debet, peccatum dici non potest, atqui per Sanctos Patres concupiscentia hominis naturæ tribuitur, ergo peccatum dici non potest. Majorem suppono ex iis, quæ dicta sunt, ubi de puræ naturæ statu pertractatum est; minorem vero suadeo; S. Basil. in lib. de Virginit. *Naturalis appetitus ad gulositatem, aut scortationem corpus titillat* explicat autem se amplius S. Doct. in lib. constit. Monastic. cap. 2. atque sic immoderatos concupiscentiæ motus naturales appellat, non ut fuerint natura nostra ante peccatum, vel non sint pœna peccati, sed quia in natura nostra fuissent, nisi Deus supernaturali dono justitiæ originalis ditasset. S. Joan. Chrysost. hom. 19. ad populum Antioch. *Nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincamus, cujus radix habet à natura principium? concupiscere enim naturale, at male concupiscere jam est voluntatis.* Et hom. 13. in epist. ad Rom. *Ipsæ passiones in se peccatum non sunt, affrænata vero ipsarum immoderantia peccatum operata est, concupiscentia quidem peccatum non est, quando vero egressa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit non à concupiscentia, sed à nimio & illicito luxu.* Habes ex hisce, ut quamplurima prætereamus, concupiscentiam à natura esse, nec peccatum esse.

47. Ex Latinis Patribus, qui hoc idem confirment, tres eligam, Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum; inquit porro Ambros. lib. 1. de offic. c. 21. *Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius, quam omnino non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud; Illæ denique commotiones in pueris innoxiæ sunt.* At quomodo innoxiæ essent, si concupiscentia peccatum esset? Hieronym. in ep. ad Oceanum ait. *Quomodo justificati sumus, & sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur?* atqui relinquitur concupiscentia, ergo concupiscentia non est peccatum. Si vero Sanctum Augustinum ex integro afferre daretur, volumen integrum pro hac solummodo re procul dubio impleremus. Pauca igitur accipe, ampliora dicemus in argumentorum confutationibus. lib. 5. de civit. Dei cap. 25. hæc habet. *Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* & lib. 20. cap. 26. *Excepto uno mediatore, & post lavacrum generationis quibusque adhuc parvulis, nemo mundus à sorde, sicut scriptum est.* Sentit ergo parvulos post lavacrum generationis mundos esse à qualibet sorde. In lib. de continent. cap. 7. *languorem istum culpa meruit, natura non habuit, quam sane culpam per lavacrum generationis Dei gratia fidelibus jam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Nota, culpam dici causam languoris, idest concupiscentiæ, non est ergo ipsa concupiscentia, secus idem esset causa sui ipsius, culpam esse remissam, adhuc tamen permanere languorem, ergo; quod & clarius expressit S. Doctor ser. 6. de ver. Apost. dicens, *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.*

48. Ex his possunt etiam colligi rationes aliquæ ad assertionem nostram ostendendam, sufficiens tamen illa sit, qua probamus, possibilem fuisse statum puræ naturæ, in quo homo habuisset eandem concupiscentiam, quam nunc patitur, nec tamen fuisset peccatum ab Adamo derivatum; pro quo etiam recolendum quod diximus, ubi demonstratum est, hominem lapsum nequaquam debiliorem esse homine puro.

49. Asserendum secundo. Peccatum originale non esse quandam substantiam malam in sensu ab Illyrico explicato.

Hæc substantia mala rejici debet tanquam contraria Scripturis & Patribus; clamat Joan in Evang. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, aut ergo hæc substantia mala nihil est, vel aliquid, si nihil, quomodo substantia? Si aliquid, ergo à Deo facta est, & ita non erit, mala sed bona, dicente Paulo 1. ad Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona est*. Si vero Sanctorum Patrum dicta perpendamus, occurrit statim Basil. orat. Quod Deus non sit author malorum, ubi ait. *Non imagineris aliquam propriam esse substantiam mali, nam malitia non est aliquid subsistens*. Occurrit Ambros. lib. 1. Hexameron cap. 8. ubi inquit: *Utique non substantialis, sed accidens est malitia*. Tandem August. lib. 7. confess. cap. 12. ubi habet; *Malum illud, quod quærebam ubi esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset*. Tandem rationem aliquam afferre possum; etenim sicut nulla creatura esse potest substantialiter bona, hoc enim convenit soli Deo, ita nulla creatura esse potest substantialiter mala ergo; nisi velis asserere cum Manichæis, duos esse Deos, bonum unum, alterum malum.

§. IV.

Refelluntur argumenta Hæreticorum.

50. OB. 1. pro Lutheranis & Calvin. plura Sancti Pauli testimonia. Ad Rom. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*. Hic Apostolum concupiscentiam appellare peccatum, manifestum est; Rursus. *Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, & iterum; *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. Porro hic aperte loqui de concupiscentia, nullus inficias ibit, est igitur concupiscentia peccatum. Tandem. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* concupiscentia ergo est, quæ miserum hominem facit, ergo est peccatum.

51. Respondemus his, aliisque similibus, quæ afferri possent, concupiscentiam vocari peccatum improprie, vel quia ex peccato est, vel quia, si ipsi consensus præbeatur, est causa peccati. Totum autem hoc explicet S. August. qui lib. 3. de nuptiis & concupis. cap. 23. hæc habet. *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, sed modo quodam peccatum vocatur quod & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit*. Et post pauca subdit. *Concupiscentiæ reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodammodo jubenti non obediat, valere non sinit, sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua loquutio, quam facit lingua, & manus vocatur Scriptura, quam facit manus, itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat*. Videant Hæretici, quomodo doctrina

Tri-

Tridentini à nobis superius laudata sit doctrina Augustini.

52. Dices. In regeneratis non esse peccatum, quia ad peccatum non imputatur; sed si Augustinus vult in regeneratis peccatum non esse, plane supponit, esse peccatum in non regeneratis, ergo saltem in istis peccatum originale in concupiscentia consistet. Hoc autem magis dici debet, si perpendantur ea, quæ habet August. lib. 5. contra Jul. cap. 3. ait enim. *Cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur, pœna peccati, qua cor superbia digna animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquid mali cordis errore committitur, ita carnis concupiscentia, adversus, quam bonus spiritus concupiscit, & peccatum est, inest illi inobedientia, pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati defectione consentientis, vel contagine nascentis.* Concupiscentia ergo juxta mentem Augustini & est causa peccati subsequentis, & pœna præcedentis, & per se ipsam est peccatum.

53. Resp. jam punctum aliquod evincimus, nempe, saltem in baptizatis concupiscentiam non esse peccatum; dicimus autem hoc esse discrimen inter baptizatos, quod in illis nec peccatum est, nec cum peccato, è contra in istis esto peccatum non sit, tamen cum peccato est. Quod vero dicitur de non imputatione, jam rejectum fuit in quæst. de justificatione. Neque mihi opponant eundem August. dicentem lib. 1. de nuptiis & concupis. cap. 25. peccatum in baptismate remitti, *non ut non sit, sed ut non imputetur*, aut cap. 27. *reatu transire, actu manere*. Etenim nunquam dixit egregius iste Doctor peccatum in aliquo esse, sed non imputari, vel actu manere, & reatu transire, dixit enim in eodem libro cap. 26. *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati*. Sensit igitur in adductis locis, concupiscentiam non esse peccatum, ad peccatum non imputari nec reum hominem facere, manere tamen, quia adhuc ab ea homines tentari non cessant; sed in hoc quid mirum? idem fuisset etiam in statu puræ naturæ, quapropter si alicubi peccatum ab ipso dicitur, hoc dicitur non propter concupiscentiam in se ipsa, sed propter annexum peccatum originale, seù culpabilem aversionem à Deo. Hoc aperte significat lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 32. ubi habet. *Hæc itaque remissio peccatorum quandiu non fit in prole, si ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, idest, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui eum teneat æterni supplicii debitorem*. Pro explicatione oppositæ nobis Augustini authoritatis, sciendum est, ab Augustino concupiscentiam aliquando non appellari peccatum, aliquando vero peccatum appellari; quando vero ipsam appellat peccatum impropriè loquitur, cum velit tantum innuere vulnus & infirmitatem à peccato in humana natura relictam. Perpendas quid dicat lib. 2. contra Jul. cap. 3. asserit, in baptismate peccatorum omnium fieri remissionem, remanere tamen vitia & passiones, seù concupiscentiam, & cap. 5. docet, concupiscentiæ reatum perire in baptismate, manere tamen infirmiaatem, atque hinc est, quod etiam in lib. 6. contra Julian. cap. 16. ait: *Tu autem, qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras, omni enim peccato caret, sed non omni malo; quod planius ita dicitur, omni reatu malorum, nunquid caret corruptione corporis? nunquid caret ignorantiæ malo &c.* Quod si diceret Kemnitius, S. Augustinum se retractasse, doceat ubi, aut se tanto Doctori injuriam facere fateatur.

54. Cur ergo inquies comparat concupiscentiam cordis cæcitati, qua in Deum non creditur: Hæc profecto peccatum est, ergo etiam peccatum est concupiscentia. Respon. comparari cordis cæcitati quantum ad aliqua, minime vero quantum ad omnia; comparatur in hoc, quia sicut cæcitati cordis debet resistere scientia, ita concupiscentiæ ac libidini

bidini debet resistere continentia, illam fide repellere debemus, hanc spiritu; in hoc vero differt, quod cæcitas cordis, qua in Deum credimus,& est pœna peccati, & peccatum proprie dictum, quia sine voluntatis consensu non est, concupiscentia autem in motibus suis pœna peccati est, & peccatum improprie dictum, quia est languor, vulnus, & infirmitas, non tamen peccatum, nisi quando consensus accesserit, aliter, ut idem Augustinus ibi subdit, frustra dictum esset, post concupiscentias tuas ne eas.

55. Ob. 2. plura. Primo. Deus odit etiam concupiscentiam illam, quæ remanet in regeneratis, sed Deus non odit nisi peccatum, ergo concupiscentia est peccatum. Major est S. August. in ps. 35. Secundo. Nos ipsi odio debemus habere concupiscentiam, ejusdemque motus tamquam illicitos cohibere, etiamsi nobis nolentibus fiant. Tertio. Concupiscentia non est à Deo, sed quod solum pœna est, & non culpa, est à Deo, ergo concupiscentia non solum pœna peccati est, sed etiam culpa, seu peccatum. Quarto. Concupiscentia eadem lege prohibetur, qua peccatum, ergo est peccatum; Prob. ant. Id quod per se trahit ad malum eadem lege prohibetur, qua malum, sicut patet in osculis impudicis, atqui concupiscentia per se trahit ad peccatum, unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua &c. ergo. Quinto. Quidquid ad solam pœnam revocatur assumptum fuit à Christo Domino, sed non fuit assumpta concupiscentia, ergo quia non est sola pœna. Sexto. Nulla est pœna hujus vitæ, quæ ad finem bonum exoptari non possit, sed non potest exoptari concupiscentia, ergo.

56. Resp. A' Deo odio haberi concupiscentiam, & etiam à nobis odio habendam esse, quamvis enim peccatum non sit, attamen ad peccatum excitat & delectat, quare sicuti nos odio habemus, & Deus odio habet Dęmonem quatenus nos ad peccandum promovet, nec tamen Dæmon est peccatum, ita &c. Falsum est etiam concupiscentiam à Deo factam esse, sed hæc oritur ex intrinseca imperfectione ipsius creaturæ, ut dictum fuit, ubi de statu naturæ puræ pertractatum est; Quod si Concilium Tridentinum asserit, Deum in renatis nihil odio habere, intelligitur de odio, quod ad personam referatur; quale non est odium, quod habet in concupiscentiam; neque enim Deus propter concupiscentiam vult Deus renatos damnare, sed illam paulatim consumere, ut tandem aliquando sanentur, & liberentur. Ad secundum jam dictum est. Ad tertium; si argumentum probaret, etiam mors non esset solummodo pœna sed culpa, cum mors à Deo non sit, *Deus* enim, ut legitur Sap. 1. *mortem non fecit*. Concupiscentia non est à Deo, & est à Deo, non est à Deo, ut mala est, & ab ipso ut authore, est tamen à Deo, ut bona est, & à Deo ut ultore, qui in pœnam peccati originalis abstulit donum integritatis, quo caro spiritui subdita erat, & quo ablato, tanquam quodam fræno, continuo sensit homo carnis pugnam & rebellionem, atque idem dicendum de morte, de qua S. August. lib. 5. contra Julian. cap. 7. *Deceptor hominis causa mortis est Diabolus, quam non ut primus author ejus, sed ut peccati ultor intulit Deus*. Ad quartum; ne. ant. nulla enim lex lata est in concupiscentiam, sed prohibetur solummodo consensus noster ad obediendum concupiscentiæ; ad prob. maj. est vera, quando aliquid trahit ad malum, quia nos volumus ad malum trahi, & ita prohibentur oscula impudica, si voluntaria sint, sicut & quæcumque alia, quæ peccata non sunt, nisi noster consensus accedat. Ad quintum; major est falsa, etenim ignorantia non est peccatum, sed pœna peccati, nec tamen à Christo Domino assumpta fuit; Illas igitur pœnas assumpsit, quæ ad redemptionis opus conferre poterant, ut tradit S. Th. 3. par. quæst. 15. art. 2. quare cum concupiscentia non esset hujus-

modi

modi, ab ipso non fuit assumpta quamvis peccatum non sit. Præterea; licet concupiscentia peccatum non sit, attamen pronum reddit hominem ad peccatum, quod in Christo esse non debebat, qui nec peccavit, nec peccare poterat. Ad ultimum. Ne. maj. siquidem ignorantia est pœna hujus vitæ, sicut & Dæmonum tentationes, nec tamen exoptari possunt; & generatim de hujus vitæ pœnis loquitur S. August. lib. 10. Confess. cap.28. eas esse solvendas, non expetendas, de concupiscentia vero sic loquitur. *Concupiscentia expeti non debet, non quod peccatum sit, si ei non consentiamur, sed quia ad peccatum inducat, & ideo non amanda sed toleranda.*

57. Ob. 3. pro Illyrico ex sacris litteris; In istis peccatum originale appellatur corpus, cor, & principium operans, sed hæc omnia sunt substantia, ergo. Ad probandam majorem opus est textus afferre. Apost. ad Rom.6. inquit: *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. Peccatum igitur corpus est. De peccato originali ait idem ad Rom. 7. esse principium, originem,& radicem omnium peccatorum, hujusmodi autem principium &c. esse cor, testatur Christus Matt.15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, homicidia &c.* Peccatum igitur cor est. De eodem peccato dicit Paulus ibidem. *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Est igitur peccatum principium operans. Hinc Gen. 8. legitur; *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua*. Figmentum autem cordis est massa cordis, & ad Roman.6. jubemur expoliare veterem hominem, idest peccatum, sed vetus homo, Adam scilicet, substantia est, ergo peccatum substantia est.

58. Resp. hæc omnia figurate non proprie dicta esse, quod fere semper usurpat Scriptura dum aliquid nobis innuendum describit; sic dicitur ps. 68. *Operuit confusio faciem meam*. Et tamen quis dicat confusionem esse vestimentum, quo facies operiatur? sed si velit Illyricus, ideo peccatum dicendum esse substantiam, quia per substantiæ nomen explicatur, cur non dicet potius esse privationem, cum plerumque explicetur per tenebras, & cæcitatem? exempla non exhibeo, cum sint notissima. Nihilominus præfatos textus explicabo. In primo; corporis nomen aptatur peccato ad indicandam omnium peccatorum multitudinem ac collectionem, quæ destruitur per gratiam collatam ex meritis Christi; quare ait Tertullian. lib. de carnis resurrectione cap. 47. *Ut evacuetur corpus delinquentiæ per emendationem vitę non per interitum substantiæ.* Sed rogo, dum dicitur, *Vetus homo crucifixus est*, est ne crucifixus Adam? Quis hoc dicet? Ad 2. falsum in primis est, peccatum originale esse principium & omnium peccatorum originem, siquidem primi parentes & Angeli peccato originali carentes in actuale peccatum inciderunt, & si Adam non peccasset adhuc plures ex posteris peccassent, ut tradidi in op. sex dierum. Præterea, quamvis concederemus, peccatum originale hujusmodi esse, adhuc non probaretur esse cor hominis, siquidem humanum cor est fons peccatorum adinstar principii effectivi, (melius tamen diceretur humana voluntas) è contra peccatum originale vel est peccatorum origo adinstar principii removentis prohibens, idest removens justitiam originalem, quæ erat frænum quodam concupiscentiæ, aut adinstar causæ proponentis objectum & allicientis, in quo sensu etiam Dæmon dici potest fons peccatorum. Ad 3. operationem peccati explicamus ut supra, quia, deperdita per ipsum originali integritate, laxatis habenis dominatur concupiscentia, & quidem omnis, cum ad omnes peccatorum species homines distrahat, & alliciat. Neque pro cordis figmento massa, seu substantia cordis potest intelligi, sed pro cordis cognitione, quę à corde fingitur & formatur, debet usurpari, hanc autem non substantiam esse,

sed

ſed accidens, vel ſubſtantiæ modificationem quiſque ſapiens fatetur. Tandem pro vetere homine Adami ſubſtantiam ſignificari omnino ridiculum eſt; expoliare quidem debemus veterem hominem, ideſt deponere malas actiones & vitia, induere vero novum, ideſt bene agere & amplecti virtutem, *ſicut enim*, ait Apoſt. 1. ad Corint. 15. *portavimus imaginem terreni*, *ita portemus imaginem cæleſtis* unde ad Rom. 13. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum* quod eſt Chriſtum imitari, deponimus ergo veterem hominem, ſi quod monet Paulus ad Coloſſenſ. 3. peragamus, *Deponite*, inquit, *iram*, *indignationem*, *malitiam*, *blaſphemiam &c.*

59. Ob. 4. Quod pugnat in legem Dei ſubſtantia eſt, ſed peccatum originale pugnat in legem Dei, ergo ſubſtantia eſt; Totum argumentum oſtenditur, quia *caro*, quæ certe ſubſtantia eſt, *concupiſcit adverſus Spiritum*. Præterea, Per peccatum deſtruitur imago Dei, & producitur imago Diaboli, illa ſubſtantia eſt, quia ut dicitur Gen. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, ergo & iſta ſubſtantia eſt, præſertim quod homo per peccatum fit filius Diaboli juxta illud Joan. 8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis* ſed eſſe filium alicujus, eſt aſſimilari non in accidente ſed in ſubſtantia, ergo imago Diaboli eſt ſubſtantia, adeoque etiam peccatum.

60. Reſp. majorem eſſe veram, ſi loquamur de ſubjecto, in quo eſt forma, per quam quis pugnat in legem Dei, non ita ſi loquamur de ipſa forma; Peccatum autem, quodcumque illud ſit, nequaquam eſt ſubjectum pugnans in Dei legem, hoc ſiquidem eſt ipſe homo, ſed eſt ipſamet contrarietas, repugnantia, & averſio à Deo, per quam à Divina lege homo declinat ac recedit, contrarietas autem, repugnantia, & averſio non eſt ſubſtantia, ergo peccatum ſubſtantia non eſt. Hinc S. Auguſtinus definiens peccatum non dixit, Peccatum eſt anima vel homo, ſed dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. Hinc nomine carnis, non intelligitur caro ipſa materialiter, ſed intelliguntur opera carnis. Ad 2. creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, cum ipſum mente ac voluntate ſpiritali ditaverit, at quis unquam dicet, diabolum vel aliquid genuiſſe vel creaſſe, ut ſuam poſſet imaginem proferre? Gerunt quidem homines peccatores imaginem Diaboli non natura, ſed imitatione, in quo ſenſu dicuntur etiam ejus filii, ſicuti Paulus 1. ad Corint. 4. fatetur, ſe eos per Evangelium genuiſſe, atque fideles hortabatur, ut eſſent ſui imitatores tanquam filii chariſſimi, ſicut & ipſe erat Chriſti; optime propterea Sanctus Auguſtinus adverſus Adimantum cap. 5. alios diſtinguit filios per naturam, ſicut Abel dicitur filius Adæ, alios per doctrinam, ſicut erant Corinthii filii Pauli, alios per imitationem, eo modo quo idem Paulus vocat nos filios Abrahæ ad Rom. 4. quia ejus fidem imitamur. Porro peccatum nequaquam deſtruxit ſubſtantialem imaginem Dei, ſed ſolum iſtius imaginis ornamenta, quæ per gratiam conferebantur, ita ut per peccatum obſcurata fuerit ac deformis effecta.

61. Ob. 5. Peccatum originale præcipuam hominis partem corrupit & transformavit, aliter falſa fuiſſet comminatio illa Gen. 2. *Quacumque die comederis, morte morieris*. Ergo eſt ſubſtantia. Præterea. Homines per peccatum dicuntur natura filii iræ ad Epheſ. 2., ergo peccatum pertinet ad hominis naturam, proinde ſubſtantia eſt.

62. Reſp. revera peccatum animæ mortem inferre, ſed moralem & metaphoricam, non phyſicam & veram, quemadmodum enim gratia appellatur vita animæ per metaphoram, ita peccatum animæ mors dicitur; quod ſi etiam per ipſum deſtrueretur revera pars præcipua ſubſtantialis, non perinde ſubſtantia dici poſſet, ſicut certe mors vera corporis aliquod ſubſtantiale non eſt. Explicat tamen S. Thom. 4. contra gen. cap. 50. comi-

comminationem illam non esse referendam ad interitum naturæ humanæ pro eadem die, qua Adam peccaret, sed tantum ad aliquam futuram diem, qua Adam reddendus esset obnoxius morti, ac reapse moriturus. Ad 2. Pluribus modis aliquid dici potest naturale, vel ex quo sit ipsa natura, vel quia per naturalem propagationem habeatur, vel quia aliquid naturæ sit consentaneum, tantum in secundo sensu nos dicimur filii iræ.

63. Plures alias ineptias Illyricus profert, quas afferre dedignamur; sed ad tantum temeritatis devenit, ut pro se citare Magistrum Sententiarum, & Sanctum Thomam non vereatur. Quam audacter & impie hoc dicat, viderit, qui istos legerit eximios Doctores.

§. V.

Referuntur & expenduntur aliæ in hac re Catholicorum sententiæ.

64. Rejectis Hæreticorum erroribus, superest, ut alias Catholicorum sententias in medium producamus, atque declaremus. Non est itaque in hac re una Catholicorum assertio. Petrus Lombard. in 2. sent. dis. 31. §. 2. & 3. Henric. quodl. 2. q. 11. Greg. Arimin., in 2. dis. 30. q. 1. quamvis cum aliquo discrimine, peccatum originale statuunt in quadam morbida qualitate ad desideria prava omnino excitante; differt autem in hoc horum opinio ab Hæreticorum errore, quod isti velint hanc esse peccatum, illi nequaquam.

65. Si per hanc morbidam qualitatem intelligant inclinationem ad objecta delectabilia etiam rationi contraria, nihil contra Doctores istos dici potest, sic enim non differt à concupiscentia, quam admittendam esse experientia nobis satis declarat; Si autem diversum sensum habere contendant, jam morbidam hujusmodi qualitatem in quæst. 3. de gratia art. 2. rejecimus, quanquam nec ipsa concupiscentia dici potest morbida qualitas, si hæc in positivo consistere stabiliatur, sed est solus defectus naturæ, qui, etiam remoto peccato fuisset, nisi gratia impedimentum apposuisset, ut enim ait August. lib. 4. contra Julian. cap. ult. *Quid est gustato cibo nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat, gratia quippe Dei magna erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.*

66. Videtur tamen hæc morbida qualitas Augustini testimoniis non carere. Primo ait lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 25. *Non substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor.* Et cap. 31. *Carnem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus.* Et denique lib. 5. contra Julian. cap. 3. dicit, animam in corpore tanquam in vase vitiato corrumpi, cum ex mala corporis qualitate mala qualitas redundet in animam.

67. Verum hisce jam respondimus supra; perpendantur tamen Doctoris præclarissimi verba, & primus Textus satis declarabitur, inquit, manere affectionem quamdam malæ qualitatis, sicut languorem, quid est autem languor, non nisi in humoribus corporis debitæ proportionis ac armoniæ privatio, sed hæc non consistit in aliqua positiva qualitate, ergo; innuitur itaque per illam malam qualitatem ipsa naturalis inclinatio ex sola justitiæ originalis carentia naturaliter in homine permanens, atque eodem pacto intellige morbidum carnis affectum in secundo testimonio affirmatum; corrumpitur etiam in corpore anima, idest inficitur, tanquam in vase vitiato, quia in eo priori naturæ, pro quo intelligitur creari à Deo, nullum peccatum illi inest, quia nihil habet, quod sit ex Adamo; cum vero incipit esse corporis forma, tunc peccatum originis contrahit, & sic corrumpi censetur, cum recipiatur in vase corrupto, cui propter generationem ex Adamo convenit esse

pœnis obnoxium & morti; ſed de hac re in ſequenti.

68. Eſt ſecunda ſententia docens, peccatum originale aliud non eſſe, quam ipſum ab Adamo commiſſum, deinde poſteris imputatum, & ideo eſſe meram denominationem extrinſecam derivatam ab actuali Adami prævaricatione ejus poſteris imputata. Ita Albertus Pighius, Ambroſ. Catharin. Salmeron., paucique alii quamvis veteres, ut videri poteſt apud Magiſtrum ſententiarum in 2. diſ. 30.

69. Nullo tamen pacto hæc admitti poteſt, etenim tanquam certum admittendum eſt, peccatum Adami ad nos pertinere, ita tamen ut non ſolum nobis imputetur, ſed rèvera in nobis ſit per carentiam juſtitiæ originalis & per maculam unicuique propriam; Hoc manifeſtiſſimis verbis traditur à Concilio Tridentino ſeſs. 5. primo enim docet Adæ prævaricationem non ſoli Adæ nocuiſſe per amiſſionem Sanctitatis & juſtitiæ, & non ſolum per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis in omne genus humanum transfudiſſe, verum etiam peccatum, quod eſt mors animæ; Secundo docet, Adæ peccatum propagatione in omnes transfuſum eſſe, & ineſſe unicuique proprium; Tertio docet, per gratiam baptiſmi reatum peccati originalis remitti, & auferri totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, & non ſolum radi, ſeù non imputari, quæ omnia vera non eſſent ſi prior ſententia foret approbanda, ergo. Præterea in hac re validiſſimum argumentum facit, quod ait Apoſtolus ad Rom. 5. ubi comparat peccatum primi parentis per generationem à nobis contractum juſtitiæ Chriſti, quam per regenerationem conſequimur, ſed juſtitia Chriſti ita ſe habet, ut illa nobis non tantum imputetur, ſed per eam revera nobis juſtitia donetur, ergo etiam peccatum originis nobis non imputatur, ſed per illud revera peccatores ſumus, non quidem per actum peccati, qui fuit Adæ, hic enim jam pertranſiit, ſed per reatum & maculam ex tali actu relictam. Hinc Adæ peccatum fuit unum, & multiplex, unum, ſi ſumatur pro actione tranſeunte, multiplex vero, ſi ſumatur pro eo, quod in anima remanet poſt actionem.

70. Ne tamen alias ſententias in medium proferamus, noſtra potius ſupereſt ſtabilienda, pro qua dicimus, quod ſi peccatum originale accipiatur pro eo, quod remanet poſt actum, & propter quod homo dicitur & eſt proprie ac formaliter peccator, conſiſtit in privatione juſtitiæ originalis debitæ, & in habituali averſione mentis à Deo inducta per inobedientiam Adami, in quo omnes, ut ait Apoſt. ad Rom. 5. peccaverunt. Hæc procul dubio fuit opinio Sancti Thom. p. 2. qu. 82. art. 3. dicentis, *privatio juſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originale*. Hæc Scoti quærentis in 2. diſ. 30. quæſt. 2. quid formaliter ſit peccatum originale, & reſpondentis diſ. 32. quæſt. unic. §. *Quoad primum. Per peccatum, quod originale dico aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem per quam omnes ſunt filii iræ*; atque pro hac re affert teſtimonium S. Anſelmi de concept. Virgin. cap. 27. Hæc tandem communis apud ſapientiores Theologos, ut videri poteſt apud authores.

71. Hanc autem melius ſuadere ac declarare non poſſum, quam primo loco oſtendendo nihil eſſe, in quo peccati originalis eſſentia poſſit aptius collocari. Sic igitur argumentum inſtituo. In hominis peccatoris anima tranſeunte actu plura remanent, primo quidem ordo ad præcedentem actum, ideſt privatio gratiæ, quæ in eo conſiſtit, ut aliquis nullum peccatum commiſerit; ſecundo, reatus culpæ, per quam odio peccator habendus eſt, & quo ſe reddidit indignum amore; tertio, reatus pœnæ, ideſt obligatio ad pœnam ſubeundam; quarto, habi-

habitus acquisitus, seù dispositio & inclinatio ad iterum peccandum; quinto, offensa, & inimicitia ejus, qui per peccatum læsus est; sexto, aversio voluntatis à Deo adinstar habitus, ut contingit in eo, qui, faciem avertens à sole, manet ab eo aversus, donec faciem ad solam convertat; septimo, gratiæ sanctificantis à Deo infusæ privatio; octavo, macula seù nuditas, quæ oritur ex privatione gratiæ per peccatum inducta; Si primum consideremus, non potest esse, nec appellari peccatum, sed tantum indicat peccatum habuisse, nec fieri potest non habuisse, ideo ordo iste manet etiam in baptizatis post originalis peccati remissionem; Si secundum, non est propriè peccatum, sed peccatum consequitur tanquam aliquid manens in anima post actualem prævaricationem, (quamvis de hac re variè senserint Scholastici, præsertim Scotistæ, de qua nolo disputationem instituere.) Si tertium adeo distat à peccato, ut sit aliquid boni à Deo institutum ad restituendum justitiæ ordinem, quam perturbaverat culpa; Si quartum, est vitium & infirmitas, non vero peccatum, cum remaneat etiam post peccati remissionem; Si quintum, peccatum dici non potest, cum potius sit in eo, in quem peccatum est, quam in eo qui peccavit. Alia postrema non differunt inter se, quod enim dicimus privationem gratiæ & maculam, id intelligimus aversionem habitualem, nam quemadmodum gratia Dei est forma animam convertens ad Deum illamque reddens gratam ac venustam, ita ejus privatio habitualiter à Deo avertit animam deformem constituens; Superest igitur, dicamus quod superius à nobis fuit stabilitum.

72. Hanc porro doctrinam nostram inter plura Concilia & Sanctos Patres confirmant Arausicanum 2. & Anselmus. Ut enim mors corporis intelligitur per carentiam animæ, quam prius habebat, ita mors animæ consistit in privatione gratiæ sanctificantis orta ex peccato, cum igitur peccatum originale sumptum non pro actione, sed pro habitu, mors sit animæ, ut definivit Arausicanum, sequitur, in privatione gratiæ sanctificantis situm esse. Anselmus vero, qui in libro de concep. Virg. cap. 26. præ aliis accuratius peccati originalis formalem rationem inquirit, expresse hæc habet. *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filii sunt iræ.*

73. Ob. plura. Primo; Justitiæ originalis privationem causam esse peccati originalis, & hæc est doctrina S. Thom. quæst. 82. art. 2. nequit igitur esse peccatum originale, ne dicamus, idem esse causam sui ipsius; Quod si causa non est, erit effectus, tanquam pœna peccati, ut docet idem S. Thom. qu. 5. de malo art. 4. & 1. 2. qu. 87. art. 7. Secundo; Justitia originalis per baptisma non restituitur, ergo si peccatum originale per baptisma deletur nequit originale peccatum in originalis justitiæ privatione consistere. Tertio; Peccatum originale est peccatum proprie dictum, hoc autem definitur ab August. ut à nobis dictum fuit, idest, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei*. In hoc ergo consistit, non in privatione justitiæ originalis; aut si quidpiam aliud dicendum foret, certe ejus forma constituenda esset in reatu remanente post actionem, quod videtur colligi ex doctrina S. Augustini in locis pluribus tradita. Jam recenseo ubi hoc egregius Doctor tradiderit; lib. 1. de nup. & concupis. cap. 26. inquit: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam verbi gratia fecerit adulterium, etiamsi nusquam deinceps faciet, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur*. Et lib. 1. retract. cap. 15. ait: *Peccatum, quod nos ex Adam dicimur originaliter contrahere, idest reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri*. Quare, si loquamur de reatu pœ-

pœnæ, negare non possumus, hunc peccatum formaliter non esse, sed pœnam à peccato progredientem. Si autem de reatu culpæ, fateamur necesse est, in hoc peccatum originale formaliter situm esse; quod amplius ex Augustino declaratur, quia nunquam originale peccatum nisi reatus nomine commemoravit. *Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit commissum est*. Ita epis. 23. ad Bonifac. *ubi isti perierunt video reatum, quæro unde? audio Apostolum propter unum hominem*. Ita ser. 36. in Luc. atque hoc jam dixerat serm. 4. ubi sic. *Ubi te invenit? venundatum sub peccato jacentem in morte primi hominis, habentem reatum, antequam haberes arbitrium*. Tandem, ut alia plurima prætereamus, lib. 2. de pec. orig. contra Cels. & Pelag. cap. 4. hæc habet: *Reatus ergo vitii, de quo loquimur, in regeneratorum prole carnali tandiu manebit, donec & illic lavacro regenerationis abluatur*. In hoc igitur culpæ reatu peccatum originale consistere dicendum est.

74. Resp. ad primum; dum dicitur, peccati originalis causam fuisse justitiæ originalis privationem, sermonem esse de causa formali, sicut si quis diceret, privationem lucis causam esse tenebrarum, quare sicut privatio lucis formaliter non distinguitur à tenebris, ita privatio justitiæ originalis formaliter non distinguitur à peccato; neque etiam dici potest effectus originalis peccati, nisi sumatur peccatum pro actione, non vero pro macula permanente post actionem, quare in Adamo, qui voluntate propria peccavit, fuit quidem effectus peccati, quod in ipso actuale fuit, in nobis autem est ipsum peccatum. Ut autem refellatur quod de pœna dicitur, adnotandum est, in justitia originali duos effectus, seu duas partes distinguendas esse. Juxta unam subjiciebat mentem Deo, secundam aliam subjiciebat appetitum inferiorem menti, seu rationi; Justitia originalis juxta posteriorem partem, quæ secundaria dici debet, est pœna à Deo inflicta, etenim pars illa justitiæ originalis, quæ sensum rationi subdebat in peccati pœnam tollitur à Deo, si vero prior & primaria pars justitiæ originalis consideretur, hujus privatio non est à Deo, sed ab ipso homine, sicut enim qui oculos claudit soli, non ideo in tenebras incidit, quia sol non luceat, sed quia ipse prohibet, ut lumen recipiat, sic quod à Deo non conservetur in homine post Adami transgressionem gratia sanctificans à Deo non provenit, sed à tota natura humana, quæ in Adamo se avertit à Deo, & gratia fuit sanctificante privata; Aliter tamen dici posset, nec ipsam concupiscentiam esse à Deo in pœnam peccati originalis, nisi negative, cum ista fuisset etiam in statu naturæ puræ, ut toties dictum est, & suo loco probatum.

75. Ad secundum; esto justitia originalis quantum ad omnem sui effectum & partem in baptismate non restituatur, restituitur tamen quantum ad primariam, nimirum quantum ad gratiam sanctificantem, per quam ratio subditur Deo, in hujus autem privatione sita est forma peccati originalis, sicut in sanctificante gratia sita est de primario originalis justitia.

76. Ad tertium; illa definitio data est à S. Augustino pro peccato actuali, ut significat actionem transeuntem, non vero maculam relictam in anima, definitiones enim rei traduntur juxta significationem, quæ est magis nota, non juxta eam, quæ magis est occulta. Quod vero dicitur de reatu manente post actionem, aliqui ex Doctoribus negant, in eo formaliter peccatum originale consistere, sed solum esse aliquod consectarium; aliqui vero asserunt, consistere etiam in hoc reatu propter adducta Sancti Augustini testimonia, sed ex hoc non probatur, non consistere etiam in justitiæ originalis privatione, quod satis est pro re nostra.

§. VI.

§. VI.

Utrum peccatum originale ad fidelium filios pertranseat.

77. DUbium hoc promoveo, non quia in eo resolvendo pluribus argumentis immorari velim, sed ut magis constet, in quantum dementiæ Hæreticorum ingenia pertrahantur. Jam à nobis demonstratum fuit, Adæ peccatum in posteros derivasse. Plures nunc ex Hæreticis hoc negant, præsertim si loquamur de eorum filiis qui jam in Deum & Christum crediderunt, hoc expresse docet Zuinglius in lib. de baptismo, & in declarat. de peccato originis; Hoc Calvinus in antid. Concil. Trident. ad cap. 20. sess. 6. & lib. 4. instit. cap. 16. Hoc Bucerus in cap. 3. Matt. qui omnes cum aliis sectariis fidelium filios etiam ante baptismum esse sanctos Ecclesiæque membra contendunt.

78. Hoc quam immerito dictum sit, ex eo solummodo manifestum fieri posset, quod nec unum quidem ex Sanctis Patribus pro se possunt novatores afferre, in quo certe eorum assertum omnino fictitium ac temerarium esse, quisque fatebitur, aut omnia propria mente dici posse nullus ibit inficias. Quid vero, si non tantum pro Hæreticorum assertione nullum ex SS. Patribus afferri posse, sed omnes contrarium docuisse declarabo?

79. Et tamen rem ita se habere jam declaraturus aggredior; sed prius præstat ea Scripturæ testimonia non omittere, ex quibus veritatem hanc evinci, omnes Catholici profitentur; quamvis hic primo loco ea cogamur repetere, quæ jam in superioribus exposita sunt, etenim Scripturę Sanctę de peccato originali ita generatim loquuntur, ut nullus excipiatur, ut patet illa perpendenti, ergo non solum à filiis infidelium contrahitur, sed etiam à filiis fidelium; Quis Davidem fidelis hominis filium fuisse refragabitur? & tamen de se ipso dicit ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*; in quæ verba inquit Ruffin. *David natus erat de Jesse viro justo & Conjuge ejus; Quid est ergo, quod de se dicit, in iniquitatibus conceptus sum, nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam, nemo nascitur nisi trahens culpam, & culpæ pœnam.* Quod si sanctorum filii nascuntur sancti, cur Jacob & Esau geniti ex eodem Patre sancto quidem ac fideli, nempe Isaac, hujusmodi fuerunt, ut de illis dictum fuerit, Jacob dilexi Esau autem odio habui? numquid quia Jacob erat ex prædestinatis, minime Esau? ita respondet Petrus Martyr in Comment. ad 1. ad Corint. 7. inquiens, filios sanctorum nasci sanctos, quando sunt prædestinati, sed insana prorsus responsio, nam ex hac sequeretur, quod cum plures fidelium filii reprobi sint, è contra plures filii infidelium sint prædestinati, equè ex fidelibus quam infidelibus justi filii nascerentur. Præterea. Apost. ad Ephes. 2. scribit: *Eramus & nos natura filii iræ, sicut & cæteri.* Porro Paulus cum esset de genere Israel de tribu Beniamin, jam erat ex Patre fideli, nec tamen se distinguit à cœteris, ergo. Hic ea prætereo, quę dicuntur de necessitate baptismatis proprium enim sibi vindicant locum; Unum addo quod desumitur ex necessitate circumcisionis in veteri lege, circumcidebantur enim filii fidelium, & circumcisio vel erat ad tollendum peccatum; vel saltem peccati purgationem significabat, & si hoc etiam negaretur, semper aliquod remedium fuit pro peccato originali, ergo quia etiam à fidelium filiis trahebatur.

80. Hæc certe fuit constans ac perpetua Sanctorum Patrum sententia. *Antequam nascamur, maculamur contagio.* Ita Ambros. in apolog. David cap. 11. *Christiani non nascuntur, sed fiunt.* Ita Hieronym. in epis. ad Lætam de filię instit. clarissimè vero S. August. lib. 2. de pec. origin. cap. 40. ait: *Regeneratus non regenerat filios carnis sed generat, ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, trajicit.*

81. Quo-

81. Quoniam vero omnia, quæ de baptismi necessitate dicuntur, à nobis prætereunda esse promisimus, ideo aliud nostra non interest, nisi Hæreticorum argumenta refellere.

Primum desumunt ex verbis illis Genes. 17. *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, quæ licet dicta sunt Abrahæ soli, attamen omnibus etiam ejus posteris dicta sunt, sequitur enim *statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te*. Sicut ergo per Christum facti sunt omnes fideles filii Abrahæ, ita omnibus dictum est, *ero Deus tuus*, ergo omnes fidelium filii populo Dei sunt aggregati, proinde omnes justi.

82. Secundum desumunt ex illis Apost. 1. ad Corint. 7. *Siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum, sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Ad Rom. 11. *Si radix sancta, & rami*. Ad Hebr. 7. Levi in lumbis Abrahæ ita fuit decimatus, ut postea natus decimari non debuerit, igitur & filii fidelium ita in parentum lumbis sanctificantur, ut amplius non debeant, & ideo sancti nascuntur.

83. Tertium desumunt ex alio Apostoli textu ad Rom. 5. ubi ait peccatum Adæ ad omnes pertransisse, ly autem omnes intelligendum esse pro multis præter dicta §. 2. num. 37. ostendi potest ex eodem Paulo ad Corint. 15. ubi ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, constat autem non omnes in Christo vivificari; Sed hoc magis etiam confirmatur, si perpendantur ea, quæ in priori laudato loco ad Roman. 5. leguntur. Ait enim: *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; quod quidem falsum esset, si omnes in Adamo periissent; Si autem omnes in Adamo non perierunt, certe de fidelium filiis hoc dici debet, ergo.

84. Nullum tamen ex hisce argumentis juxta Hæreticorum mentem potest admitti; atque ut primo respondeamus, dicimus, promissionem illam factum Abrahæ ac posteris ejus, spiritualem fuisse, non factam secundum carnem sed secundum spiritum, idest secundum fidem, quod clarissime patet ex iis, quæ tradit Apost. ad Rom. 4. & 9. tum ad Galat. 3. & 4. tunc igitur filii fidelium secundum carnem, & idem dicendum de quovis alio, incipiunt esse filii Abrahæ, atque ex ipsius semine recenseri, quando Abrahæ vestigia & fidem incipiunt sectari, quod aliter non fit nisi credendo, fideique suscipiendo Sacramentum; *De ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profecto, si hoc non accipiunt, peribunt*. Ita August. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 27.

85. Ad 2. plures sunt illius textus expositiones, & prima, quam tradunt Tertul. lib. 2. ad uxorem, S. Hieronym. epis. 153. ad Paulin. S. August. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. est, mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem, & è contrario, non quia revera justitia unius fiat justitia alterius, quis enim hoc dicet? Sed quia, vel per fidelem infidelis convertitur, vel saltem quia, cum non evitet consuetudinem fidelis, datur aliquis accessus & quidem amor erga fidem, ita ut inde filii qui nascuntur fiant mundi & fideles, saltem aliqui, quod non sequeretur, si vel fidelis infidelem vel infidelis fidelem dimitteret. Secunda est Sancti Anselmi & Sancti Thomæ explicantium filiorum munditiem & sanctitatem per hoc quo filii geniti ex unius fidelis & alterius infidelis conjugio legitimi censendi sint, ideo liberi à civili ignominia, quamvis enim etiam ex civili contractu duorum infidelium filii nascuntur legitimi, attamen cum unus esset fidelis, alter infidelis, poterat in du-

dubium revocari, utrum propter religionis disparitatem conjugium illud censeri posset legitimum, ideo docet Apostolus Matrimonium illud legitimum esse, neque coinquinari fidelem per infidelem, sed ab opposito, cum plus virtutis tribuendum sit fidei, quàm infidelitati. Ego tamen censeo melius explicari non posse quam per Apostoli contextum, idest virum fidelem lucrari posse mulierem infidelem, & mulierem fidelem virum infidelem, & ita sanctificari; sequitur enim Paulus. *Unde scis mulier si virum salvum facies? & unde scis vir si mulierem salvam facies?* Aliud ad Roman. 11. ita debet intelligi, ut si radix sancta & rami sancti sint, sanctitate tamen habita vel habenda per fidem & baptisma, scopus enim Apostoli eo loci est, ut ostendat per fidem & baptisma Gentiles insertos fuisse in radicem Judaicam, à qua plures Judæi fuerant præcisi velut rami confracti, quia in Christum credere noluerunt, ideo subdit: *Si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos &c.* Ad ultimum; non minus alii, quam Levi continebantur in lumbis Abrahæ, & tamen alii decimati sunt; Hoc igitur factum est, quia Levi Sacerdotium tribuendum erat, ex speciali autem Dei privilegio debebat hic ordo à solvendis decimis immunis esse; adinvenias fidelium filiis datum esse privilegium non contrahendi peccatum, & tunc assentiar.

86. Ad tertium; jam explicatum est, quo pacto intelligendum sit. In hoc autem est comparatio inter Adam & Christum, quod sicuti qui ex Adamo seminali actione generantur peccatum contrahunt & mortem, ita quotquot in Christo regenerantur justitiam & vitam supernaturalem percipiunt, & si velint perseverare, æternam felicitatem, è contrario, sicut qui ex Adamo non nascitur, sicut fuit Christus, in Adamo non moritur, ita qui in Christo spiritualiter non renascitur, neque vivificatur. *Ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam nisi ad mortem, & nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam*, ait August. lib. 6. contra Julian. cap. 24. Quo pacto autem ubi abundavit delictum superabundaverit gratia, explicat S. August. lib. 2. operis imperfec. num. 97. primo quia gratia Christi aufert peccati originalis reatum, secundo remittit etiam peccata actualia, tertio præstat, ut carnis concupiscentia spiritu vincatur, quarto si quis in tentatione vincatur, ei humiliorem pœnitentiam confert, & tandem donat vitam æternam; Quod si nobis justitiæ originalis privilegia non restituuntur, ideo fit, ut magnitudo peccati intelligatur ab hominibus, & per exercitium patientiæ ac laborum ampliorem mercedem consequantur, ut ibidem ait S. Doctor n. 94.

87. Opp. ultimo. Peccator generat peccatorem, ergo justus generat justum, sed parentes fideles sunt justi idest sine peccato originali, ergo. Prima consequentia tenet, sicut valet hoc argumentum, peccatum facit Deo inimicum, ergo gratia facit Dei amicum. Præterea. Nemo dat quod non habet, sed fideles non habent peccatum originale, ergo.

Resp. si hoc argumentum valeret, sequeretur, quod omnia peccata & virtutes parentum transirent ad filios, quod est falsum; non igitur peccatorem generat peccator, quia peccatum opponatur justitiæ, sed quia generare homines peccatores est aliquid commune tam peccatori quam justo, convenit enim propter rationem seminalem quoad primam originem descendentem ab Adamo, in quo omnes peccaverunt, atque huc pertinet dictum Augustini num. 90. adductum, in quo adducit exemplum dicens, *quomodo non solum oleastri sed etiam oleæ semina non oleas generant sed oleastros.* Ad aliud; dico axioma illud esse verum de causa effectrici præcipua, non de instru-

ſtrumentali;parentes autem fideles communicant peccatum originale, quamvis illud non habeant; non quia ſint illius origo, ſed quia ſunt inſtrumenta & canales quidam, per quos peccatum à primo parente transfunditur.

§. VII.

An peccatum originale etiam ad Beatam Virginem Mariam pertranſierit.

88. TAM luculenter ac pie pro Beatiſſimæ Virginis ab originalis peccati immunitate Subtilis Doctor in 3. ſentent. quæſt. 1. ſcripſit ac docuit, ut ferme quod à nobis ſcriberetur aliquid non reliquerit; ſicut tamen ejus cultus & obſequium in dulciſſimam Jeſu Chriſti Matrem noſtrum non minuit ſed magis excitat, ſic & ejus ſcripta pro ejuſdem Immaculata Conceptione nos removere à ſcribendo non debent, ſed magis inflammare.

89. In hac re aliqui omnino diverſa ſunt opinati, non defuerunt, qui dixerint, Beatam Virginem ſine labe conceptam à Catholicis ſuſtineri tanquam articulum fidei, ita præ aliis Joan. Pomeran. in Comment. cap. 1. & 44. Jerem. Alii vero ſententiam defendentem Virginis Conceptionem omnino puram ac ſanctam, tanquam erroneam & temerariam auſi ſunt condemnare, ita Illyric. cent. 9. cap. 10. Kemnit. in exam. ſeſs. 5. cum, ut inquiunt, pro hoc aſſerendo nullum habeatur fundamentum aut ex Scripturis, aut ex Patribus, ſed ſolum afferantur aliquæ revelationes, & nonnulla miracula.

90. In utraque tamen parte valde decipiuntur, nunquam enim à Catholicis aliquid tanquam dogma fidei acceptum eſt niſi quod ita tenendum eſſe Eccleſia definierit; nondum autem definitum eſſe, Beatam Virginem à peccato originali immunem omnes nos profitemur, atque hoc manifeſtè docent tam Conſtitutio Sixti IV. tum Concilium Tridentinum ſeſs. 5. tum Pius V. in alia ſui Conſtitutione. Quod ſi in Concilio Baſileenſi videtur decretum oppoſitum ſeſs. 16. in primis Concilium hoc ſententiam ſuam tanquam articulum fidei noluit haberi, ſed dumtaxat tanquam magis piam & conſonam Scripturis, Patribus ac rationi; deinde quanti habendæ ſint hujus Concilii definitiones, ex iis conſtat quæ diximus in libro de Conciliis. Non eſſe vero erroneum aut temerarium Conceptionis Virginis ſanctitatem aſſerere, immo magis pium ac probabile, illud eſt, quod inpræſentiarum à me oſtendendum eſſe propono.

91. Atque in hac re plurima nobis momenta non deſunt; incipiamus autem à Scripturis Sanctis, in quibus licet hoc expreſsè non habeatur, juſte tamen inferri poſſe videtur, prius autem ſuppono, poſſe Deum ſpeciali privilegio aliquem à communi lege peccati originalis eximere, id tamen de aliquo dici non poſſe, niſi aliunde ſufficiens fundamentum habeatur, atque ideo cum Scriptura dicat, omnem hominem in Adamo peccaſſe, id etiam de Virgine Sancta dicendum foret, niſi ab hac lege liberatam eſſe plura nobis ſuppeditarentur; ſed jam quod intendimus peragamus. Gen. 3. legitur. *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa conteret caput tuum.* Hanc mulierem fuiſſe beatiſſimam Virginem conſtans eſt Sanctorum Patrum ſententia, præſertim S. Auguſtin. lib. 2. de Geneſ. ad lit. & S. Ambroſ. in lib. de fuga ſæculi cap. 4. per caput autem Dæmonis ſeù ſerpentis ab ipſa contritum intelligitur peccatum originale quod fuit caput & omnium peccatorum origo, vel certe intelligitur Dæmonis poteſtas & vigor præcipuus; quamvis vero apud aliquos Patres legatur *ipſe* non *ipſa* attamen in vulgata noſtra legitur *ipſa* & ita legunt Auguſtin. 12. Gen. ad lit. cap. 39. Ambroſ. de fuga ſæculi cap. 7. Gregor. I. moral. cap. 19. Bernard. ſer. 2. in *miſſus eſt*.

est. Et licet legi deberet *ipse* adhuc nihil probaretur, nam Virgini serpentis caput conterere à Christo & per Christum datum est; calcaneo itaque Virginis serpens ille potuit insidiari, ut ibidem legitur, illud tamen attingere vel mordere non potuit. Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea &c.* & cap. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Et infra, *hortus conclusus fons signatus*. Quæ verba licet aptentur Ecclesiæ triumphanti non habenti maculam neque rugam, tamen etiam dici de Beatissima Virgine consentit Ecclesia, & communis tenet Patrum authoritas, unde doctissimus author dictus Idiota in contempl. B. Virgin. cap. 2. inquit. *Tota pulchra Virgo gloriosissima, non in parte sed in tota, & macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit*. In hac re audiamus etiam Sedulium, qui lib. 2. pasch. de miraculis Christi postquam primi hominis totiusque humani generis lapsum descripserit, cecinit.

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis
Nil, quod lædat, habens, matremque obscurat honore;
Sic Evæ de stirpe Sacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

adde alias Scripturas, quas in Mariæ solemnitatibus Ecclesia legere consuevit, ex quibus Immaculatæ ejusdem Conceptioni multum tribui nullus ibit inficias. Alias vero Scripturas, in quibus generalis loquutio videtur omnes sub Adæ peccato complecti, Mariam non includere in argumentorum solutionibus declarabitur.

92. Secundo loco accedit pro Immaculata Virginis conceptione Sanctorum Patrum Doctrina. Celebre illud est, quod ait S. August. de nat. & grat. cap. 36. *Excepta Virgine Matre, de qua cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo quæstionem, inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum*; Hic autem non solum sermo est de peccato actuali, primo quia ibi agit eximius doctor contra Pelagianos volens ostendere, neminem, etiam infantes, esse sine peccato, ergo si Mariam excipit, ab originali excipit. Secundo adnotanda sunt illa verba, *omni ex parte vicisse peccatum*, ergo tam originale, quam actuale. Tertio quia profitetur, se ita sentire, *propter honorem Domini*. Sed honor Domini postulat, ejus matrem non tam caruisse peccato actuali, quam originali, immo magis, cum actuale esse possit veniale, originale vero mortale fuerit, ergo.

93. S. Ambrosius ser. 22. in p. 118. in illa verba, *quære servum tuum Domine*, ait. *Suscipe me non ex Eva, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hieronym. vero in illa verba ps. 77. *eduxit eos in nube diei*, affirmat per nubem allegorice intelligi Mariam, & addit; *Pulchre dixi diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce*.

94. Clarius tamen expressiusque in re nostra loquuntur S. Damascenus, & Laurentius Justinianus. Primus enim orat. 1. de Nativit. Virg. sic de ejus loquitur conceptione; *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset*. Orat. vero 2. hæc habet; *Ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit*. Habuisset autem, si peccati originalis labem contraxisset, quapropter Virginem sic filium alloquentem inducit; *Animam meam tibi claram accipe, quam à peccati labe tibi puram servasti*. Secundus vero serm. de annunt. sic inquit. *Ab ipsa Conceptione in benedictionibus est præventa dulcedinis, & à damnationis alienæ Chirographo prius est sanctificata, quam nata*. Fortasse notas verbum hoc ultimum, *nata*, sed potius per-

pende verbum primum; *Ab ipsa Conceptione*. Tandem, prætermissis aliis de casto connub. Verbi & animæ cap. 7. & in fasciculo amoris cap. 7. de gradibus perfect. cap. 1. dicit; *Ab originali delicto nullus excipitur præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem*; Præterire placuit Sanctum Vincentium Ferrerium, qui, etsi pluribus in locis non satis clare suam mentem aperiat, tamen serm. 2. de nativit. Virg. ejusdem Conceptioni aptat illa verba, *Fiat lux* & addit; *non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim, ac anima fuit creata, fuit Sanctificata, & statim Angeli in Cœlo celebraverunt Festum Conceptionis*. Præterire inquam placuit, ut inde possem aliud momentum, nec leve proponere.

95. Celebrarunt itaque juxta mentem Ferrerii Angeli Sancti festum Conceptionis, & hoc nobis occultum est, celebrat tamen & Ecclesia militans, quod nobis est manifestum; Porro ex hoc non mediocre nobis argumentum affertur. Perpendit & hoc ipse S. Th. 3. p. qu. 27. art. 2. & num. 3. sibi opponit sic; *non celebratur festum nisi de aliquo Sancto, sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis, ergo videtur, quod in ipsa sua Conceptione fuerit Sancta*. Quid respondet Doctor Angelicus? illius verba liceat afferre; *Ad tertium dicendum, quod licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda*. Vide quæso, utrum hisce nostris temporibus responsio ista locum haberet; nunc jam Clementis XI. quem in se ipso, & in Nepote Annibale S. Ecclesiæ Camerario viro certe omni laude digno, virtute, mente, animo, doctrina nemini secundo, semper attollendum existimabo, nunc inquam Clementis XI. decreto Conceptionis celebritas non jam toleratur in aliquibus Ecclesiis, sed in omnibus præcipitur, pluribusque indulgentiarum privilegiis exornatur, ita ut talis celebritas non sit amplius totaliter reprobanda, sed omnino servanda. Celebratur itaque Festum Conceptionis, fuit ergo Sancta Conceptio; Quod dixi in antecedente in dubium ex dictis revocari non potest, sed prioribus etiam temporibus alibi factum est, siquidem, ut refert Gal. lib. 7. cap. 4. ante mille annos hoc fieri in Ecclesia Græca consuevit, in Latina vero colligitur ex S. Bernardo, & affertur quædam epist. S. Anselmi ad Episc. Angl. in qua scribit, non esse Virginis amatorem, qui Festum hoc negligit celebrare; Jam vero hisce præmissis sic aliqua liceat exponere; celebratur Nativitas Virginis & ideo eam Sanctam veneramur, celebramus Nativitatem Joannis Baptistæ & ideo illam sanctam dicimus, quid igitur in causa est, ne celebrantes Mariæ Conceptionem illam Sanctam existimemus?

96. Jam vero quænam fuerit mens Summorum Pontificum, nec non Conciliorum intueamur; equidem si de istis agamus; sexta Synodus can. 32. affert & veneratur Jacobi liturgiam, in qua habentur hæc verba; *commemorantes Sanctissimam Immaculatam, & Gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei*; in septima Synodo act. 3. Maria dicitur; *Immaculata & omni sensibili ac intellectuali creatura purior*. Concilium Francford. in epis. ad Episc. Hisp. eam vocat: *Immaculatam prorsusque puram*. In Concilio Basileensi, quod etsi non acceptandum esse tanquam legitimum alibi dixerimus, attamen plura in eo contineri, quæ merito dicta sunt negari non potest, hæc leguntur sess. 36. *Doctrinam illam differentem Gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam præveniente & operante Divini numinis gratia singulari nunquam subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa sanctamque atque Immaculatam, piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, venerationi & Sacræ Scripturæ ab omnibus Ca-*

tho-

tholicis approbandam tenendam, & amplectendum definimus & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere. Sed quod gravius eſt, Concilium Tridentinum ſeſs. 5. *declarat non eſſe ſuę intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Mariam Dei Genitricem &c.* Quod vero attinet ad Summos Pontifices, Sixtus IV. an. 1483. ſub pœna excommun. latæ ſententiæ prohibuit, ne quis nomen Hæreſis impingeret affirmantibus Immaculatam B. V. Conceptionem, facultatem tamen unicuique conceſſit etiam negandi; Inde Pius V. in Bulla edita ann. 1570. ſub pœna ſuſpenſionis indixit, ne, ubi promiſcue virorum ac mulierum multitudo convenire ſolet, ſententia negans propugnaretur, eſto in publicis academiarum diſputationibus illam conceſſerit; ſed cum hiſce diſputationibus pax turbaretur Gregor. XV. an. 1622. præſcripſit, ne quiſpiam tam in publicis quam in privatis colloquiis auderet aſſerere, Beatam Virginem in peccato fuiſſe conceptam.

97. Hiſce omnibus additur unanimis ferme Scholaſticorum conſenſus, quorum primus fuit ſubtiliſſimus Doctor, cujus in Beatiſſimam Virginem ſtudium ac obſequium inſigne fuit ac ſingulare. Sequtæ ſunt celebriores Academiæ. Pariſienſis enim propoſitionem hanc Joannis de Montenſono, *eſt expreſſe contra fidem B. V. M. non contraxiſſe peccatum originale* tanquam falſam, ſcandaloſam, & piarum aurium offenſivam revocandam eſſe decrevit, & an.1497. ſtatuit, ne quis deinceps ad doctoralem lauream promoveri poſſet, niſi ſe juramento obſtringeret, Doctrinam pro Immaculata Virginis Conceptione ſe propugnaturum; Idem præceperunt in Germania Moguntina & Colonienſis, in Hiſpan. Salmanticenſ. Toletana, Compluten. Idem in Italia Patavina, Bononienſis, & ut cœteras præteream, Ticinenſis, ut egometipſe expertus ſum.

98. Et merito certe id actum eſt, cum præter ea quæ ex ſcripturis, & Patribus, Eccleſięque conſenſu à nobis prolata ſunt, plures etiam rationes non deſunt. Aliquas tantummodo proferam; Prima ſit; Beata Virgo immunis fuit ab omni peccato actuali etiam veniali, ut definit. Concil. Trident. ſeſs.6. can. 23. ergo etiam à peccato originali; Sic enim valet ratiocinium Auguſtini lib. 5. contra Dulcit. cap. 15. ubi agit de Chriſto; puritas ab omni peccato actuali infert immunitatem à peccato originali; ſic autem loquitur laudatus Doctor. *Profecto peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet, nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu*. Videtur autem eſſe eadem ratio, ideo enim à peccato actuali immunem Virginem prædicamus, quia ſecus non fuiſſet idonea Mater Dei, at putas ne futuram eſſe idoneam, ſi peccato originali infecta aliquando fuiſſet? Utrumque certe peccatum filium dedecebat, igitur dedecebat & matrem, ſi enim *gloria filiorum patres eorum* ut legitur proverb. 17. ignominia matris redundat in filium. Secunda ſit. Jeremias & Joannes Baptiſta fuerunt ſanctificati priuſquam naſcerentur, & hoc, quia futuri erant ſpeciali quodam modo miniſtri Dei, ergo Beata Virgo fuit præclariori gratia ſanctificata, ita ut nullum inſtans fuerit, pro quo maxime ſancta non fuerit. Tertiam & ultimam ſumo etiam ex parte Chriſti, qui, ut adnotavit Scotus, fuit perfectiſſimus Redemptor; itaque debent ipſi convenire omnes gradus Redemptionis, quos quatuor eſſe declaramus. Primus eſt liberatio à peccatis actualibus; Secundus liberatio à peccato originali poſt nativitatem; Tertius liberatio à peccato originali ante nativitatem. Quartus præſervatio à pec-

peccato originali in quod certe quis incidisset, si redemptionis gratia non præcessisset. Primus pertinet ad adultos, secundus ad parvulos, tertius ad Jeremiam & Joannem Baptistam, quartus igitur spectabit ad Beatissimam Virginem; Posse autem hujusmodi præservationem appellari veram & propriam Redemptionem ostendi potest ex verbis David in ps. 143. *Redemisti*, inquit, *David servum tuum de gladio maligno*. Idest de gladio Goliath, nec tamen fuit David eo gladio vulneratus, sed quia proculdubio vulneratus fuisset, nisi speciali Dei privilegio & adjutorio præservatus fuisset.

99. Mitto miracula, quæ in Mariæ Immaculatæ Conceptæ gloriam facta esse narrantur, mitto plurimas revelationes, inter quas celebris est illa facta Sanctæ Brigittæ, ubi eam Beata Virgo sic alloquitur. *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali.* Mitto denique, quod ferunt evenisse Scoto, cui Academiam Parisiensem ingredienti Immaculatam Virginis Conceptionem propugnaturo, dicentique Imagini Virginis lapideæ præ foribus affixæ, *dignare me laudare te Virgo Sacrata* simulacrum illud caput inclinavit.

§. VIII.

Refelluntur argumenta in oppositum.

100. PRimo opponunt ex Scripturis. Ad Roman. 5. inquit Apostolus, *in quo omnes peccaverunt*. 1. ad Corint. 15. *in Adam omnes moriuntur*. Ad Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*.

Sed contra; hæc omnia vera sunt juxta communem legem, non autem si interveniat privilegium speciale, quod Beatissimæ Virgini collatum esse sufficienti fundamento à nobis asseritur. Hic tamen adnotandum censeo, tribus modis peccatum primi parentis dici posse ejus posteros afficere, primo ita ut in Adamo peccaverint, quando ipse, in quo moraliter continebantur omnium voluntates nondum in se existentes, Divinum præceptum transgressus est; Secundo ita, ut in peccato dicantur concipi omnes, cum primo fætus in utero matris incipit esse inanimis ac informis, quamvis enim peccatum proprie non sit nisi in anima rationali, attamen etiam ante hujus receptionem quodam modo fætus dicitur vitiatus, quatenus ex vi suæ generationis ei debitum est, ut cum primum animæ rationali fuerit unitus, incipiat existere homo peccator, in quo sensu explicat Anselmus illud ps. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*. Tertio tandem ita, ut dicantur homines peccatores, mortui, ac filii iræ propriè ac re ipsa, quando animæ suis inspirantur corporibus. Primo ac secundo modo non negamus Mariam Virginem in Adamo peccasse, negamus dumtaxat tertio, anima enim ejus primo suæ creationis momento tanta fuit sanctificante gratia exornata, ut præservata fuerit à macula originalis peccati, quod actu & re ipsa non contraxit, contraxisset tamen, nisi gratia Dei ex Christi meritis fuisset præventa.

101. Ex hac doctrina solvitur argumentum aliud, quod desumunt ex eo quod Maria Virgo fuerit à Christo redempta, ait enim Paulus ad Rom. 5. *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem*; atque hæc est communis Sanctorum Patrum sententia, unde inter alios inquit S. Bernard. serm. 4. de Concept. Virginis. *Primogenita Redemptoris filii sui Jesu fuit Beata Virgo, & plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura*, si autem peccatum originale non contraxisset, jam redimi non potuisset, *nullus*, enim, *nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus*: ait Zosimus Papa apud S. Augustin. ep. 157. solvitur inquam

quam ex superiori doctrina argumentum hoc, nam, ut dicamus Beatam Virginem à Christo redemptam esse, satis est si modo dicto peccatum contraxerit, & ulterius contraxisset, nisi Christi merito fuisset à Deo præservata. Totum autem hoc, quamvis à nobis fuerit superius expositum n. 108. explicat egregie S. August. in ps. 85. super illa verba, *Eruisti animam meam de inferno inferiori*. Inquiens. *Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ęgritudinem forte ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere, nam si non feceris, ægrotabis, tu autem si feceris, & salvus eris, recte dicis medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens quid dicit? eruisti animam meam de carcere; Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci*.

102. Dices. Nullum est fundamentum dicendi ita Virginem fuisse præservatam, ergo. Prob. ant. Beata Virgo mortua est, sed mors est pœna peccati originalis, ergo contraxit peccatum originale, ergo nullum est fundamentum dicendi &c. Sed contra, aliud est loqui de præservatione mortis animæ idest peccati originalis, aliud de præservatione mortis corporis, quod etiam patet in nobis, quamvis enim per baptismum à peccato originali liberemur, tamen à morte corporis non liberamur, sed liberationem hanc expectamus; dum autem dicitur mors corporis pœna peccati, intellige de pœna peccati vel contracti, vel debito contrahendi, quod in Virgine fuisse non inficiamur, ut dictum fuit. Quamquam dici posset, mortem non esse necessario pœnam peccati, nam in statu naturæ puræ fuisset mors, nec tamen fuisset originale peccatum; Quod si Adam non fuisset moriturus, nec morituri illius posteri, nisi fuisset peccatum, hæc fuit libera Dei dispositio, siquidem potuisset Deus disponere, etiam Adamum innocentem mori.

103. Attamen non desunt aliqui dicentes in Beatissima Virgine per Christi merita neque fuisse debitum contrahendi peccatum originale, cum quo tamen adhuc verum esset à Christo fuisse redemptam, etenim hoc ipsum non contrahere debitum à Christi gratia progrediebatur; Hæc tamen sententia, quam sustinet Salazarius, paucorum est, nec videtur aliquo inniti fundamento, immo difficulter explicari possent plures auctoritates Scripturæ & Sanctorum Patrum, ideo dimittenda judicatur, pro qua videantur Salmantic. hic disp. 15. num. 138. dub. 5.

104. Secundo opponunt ex PP. plura quidem videtur in hac re scribere S. August. in lib. de fide ad Pet. cap. 26. ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci &c.* Atqui Beata Virgo per concubitum viri & mulieris concepta est, ergo. In lib. de perfect. justitiæ. *Quisquis esse, vel fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est Divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. In lib. 5. contra Julianum c. 9. *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat, ut intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati?*

105. In eadem sententia fuerunt alii Sancti Patres. Ambros. in comment. in Luc. cap. 2. *Solus per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non sensit*. Expressius lo-

loquitur Euseb. Emiss. hom. 2. de Natal. Domini dicens: *A peccati originalis nexu nullus immunis existit, nec ipsa Genitrix Redemptoris*. Affertur denique S. Bernardus qui in epist. 175. ad Canonicos Lugdunen. sic ait: *Excepto homine Christo universos respicit, quod unus humiliter confitetur, in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me Mater mea*. Quid vero si afferrem Anselmum lib. 1. *cur Deus homo* cap. 16. ubi ait: *Virgo in iniquitatibus concepta, & in originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccavit*? Quid, si Bernardin. Senen. ser. 51. ubi dicit, per Virginis sanctificationem remotum ab illa esse originale peccatum, & promptitudinem ad malum ablatum? Quid, si Vincent. Ferrer. serm. 1. de Virginis Nativit. ubi asserit, Christum pro primo instanti Conceptionis fuisse sanctum, Virginem vero eadem die vel hora? Nimium prolixus essem, si vellem omnes eos Patres afferre; qui sententiæ nostræ adversari videntur. Non desunt Nazianz. Maximus, Richard. de S. Vict. Rupertus, & Antonius Patavinus.

106. Hisce tamen omnibus responsum est, dum diversos modos; quibus peccatum originale contrahi posse, distinximus, ut compertum est, quare non esset, cur diutius in eorum Patrum explicanda mente immorarer; attamen quantum attinet ad Sanctum Augustinum, ipse jam satis se explicavit, cum dixit, dum de peccatis agitur, se de Maria Virgine nolle habere quæstionem, satis igitur dilectissima Mater mea ab ipso Doctore manet excepta, quamvis in laudatis testimoniis excipi non videatur. Ut vero detur discrimen inter Sanctitatem Christi & Virginis in utriusque Conceptione, satis sit tibi perpendere, carnem Christi non ex virili semine, sed ex Spiritus Sancti operante virtute fuisse conceptam, ideo nullo modo ad carnem Adami pertinuisse, & per se sanctam fuisse, non sic caro Virginis, quæ ex seminali virtute fuit propagata, nec aliter nisi per gratiam fuit à peccato liberata; Dum legis, solum Deum habere immortalitatem, & esse bonum, satis servas Scripturam, si dicas hæc Deo convenire à se, nec inde negas etiam aliis convenire per participationem, alioquin negare deberes, etiam Virginem nunquam voluntate propria peccasse, cum in pluribus dictis Sanctorum Patrum legatur, proprium esse uniuscujusque, præter Deum peccare, juxta illud, *in multis offendimus omnes* nota, hic dici omnes, sicut in illo Pauli textu, *omnes in Adam peccaverunt*. Ita sane intelligendus est Eusebius Emissenus, cujus testimonium non est juste relatum, ejus enim verba sunt ista: *Per se neque ipsa Deipara immunis fuit*. Sanctum Bernardum nobis opposuit Kemnitius, sed revera in eo nihil contra nos, multum contra ipsum, si quis epistolam Sancti Abbatis perpendat; ad summum dubitavit nequaquam definivit; Rem ita esse demonstrat eadem epistola, quæ sic concluditur. *Quæ autem dixi absque præjudicio sane dicta sunt sanius sapientis; Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*. Cum igitur nostris hisce temporibus Ecclesiæ auctoritas nostræ faveat sententiæ, nihil est, quod ex Bernardi testimoniis possit evinci, nec nobis opponi possit, quod ipse ibidem habet; idest, *novitas doctrinæ est Mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis*: Ut Sancti Anselmi mens clare nobis innotescat, satis est, si proferamus id, quod idem scribit de Concep. Virginis & pecc. origin. cap. 7. homines videlicet in peccato originali concipi ante infusionem animæ, non certe quia caro sine anima sit capax peccati, sed quia caro ex virili semine concepta trahat necessitatem, ut cum animam rationalem acceperit, hæc peccato non careat; loquitur igitur in eo sensu, in quo à nobis superius dictum fuit. Bernardinum

num Senensem non attulissent, si quæ præmittit considerassent, inquit enim aperte, se ab hac quæstione velle abstinere, idcirco generatim loquitur; & quo pacto remotum sit à Virgine originale peccatum, & promptitudo ad malum ablata, constat ex dictis. Videtur fortasse validius probare, quod ex Sancto Vincentio Ferrerio prolatum est; attamen advertendum, hunc obscurè aliquando & dubio sensu loquutum esse ut diximus, alibi tamen se explicavit; ut hoc indicemus, vide quid dixerit serm. primo de Nativit. post allata verba; ecce; *Quando Corpus Beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi conjuncta per creationem, tunc altissimus sanctificavit tabernaculum suum*. Sed de hoc Doctore jam satis num. 104. in fine; atque ex istis explica quoscumque alios Patres, qui si dicunt, Virginem fuisse mundatam, & purgatam, dixerunt etiam fuisse præpurgatam; Ita præ cœteris Nazianz. orat. 38. & 42.

107. Quod opponunt, per sententiam nostram derogari sanctitati Christi, nec memoro. Christus enim fuit origine sanctus per unionem hypostaticam substantialiter, & tanquam per radicem exigentem gratiam habitualem, non ab alio sanctitatem tanquam à causa meritoria recipiens, non sic Beata Virgo; qua in re id dicere possumus, quod Ulpianus dixit in l. *Princeps* ff. de legibus. *Princeps legibus subditus non est. Augusta vero licet sit subdita, Princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quæ ipse habet*.

108. Unum videtur adhuc in contrarium addi posse; nimirum, à Pio V. ablatum esse proprium Officium Conceptionis, quia in eo laudabatur Virgo *ut immaculata, & præservata*. Sed hoc parum urget; nec enim id factum esse credendum est, quia in illo Officio aliquid falsi contineretur, sed quia omnia voluit ad veterem usum revocare, & si præscripsit, Festum Conceptionis & Nativitatis eodem Officio celebrari, jam argumentum pro nobis esse, manifestum est. Ex hoc tamen argumento nihil evinci potest, nam etiam Sanctam Annam, & Sanctum Rochum à Calendario expunxit, nec tamen aliquid eorum sanctitati imminutum est, ut notat Suarez in 3. p. tom. 2. qu. 27. Tandem si mihi opponeres Concilium Arausicanum, Milevitanum, & Florentinum, hoc dicerem intelligendum esse juxtà decretum Tridentini, una enim est omnium fides, & pari ratione probaretur de Conceptione, & de Nativitate.

109. Dicit tamen Kemnitius per decretum Concilii Tridentini liberum esse unicuique affirmativam vel negativam sententiam sequi; Si de fidei dogmate hoc dicat, concedimus, si de majori probabilitate, hoc negamus. Primum quidem, quia neutra pars verbo Dei aperte repugnat; Secundum vero propter dicta.

110. Solent aliqui inquirere, quid sentiendum sit de mente Sancti Thomæ. Si quis vellet ea dicta, quibus probat Doctor Angel. peccatum originale in Virgine, de peccatum contrahendi debito explicare, perperam non explicaret, constat hoc, quia præcipua ratio, qua utitur ad probandam in omnibus originalis peccati maculam, est, quia omnes fuerunt à Christo redempti, ostendimus autem supra, redemptionem à Christo servari, ex quo licet Virgo actu peccatum non contraxerit, habuerit tamen debitum contrahendi. Quidquid tamen sit de hac re, quam Thomistis ipsis dirimendam relinquo, si Salmanticensium expositioni adhærendum est, ut adhærendum existimo, omnes enim Doctoris apices attente sunt meditati, dicendum nobis superest, revera Sanctum Thomam piæ nostræ sententiæ refragari. En verba, quæ habet disp. 15. num. 204. *Inquirentes viam, ut sine veritatis prajudicio ennuntiare possemus, D. Th. piæ sententiæ non refragari, illam tamen, quod sine animi dolore non proferimus, usque modo invenire non potuimus*.

111. In-

111. Inquiri etiam posset, quid futurum fuisset de anima Beatissimæ Virginis, si ante Christum decessisset. Quęstio hæc, ut perpendenti manifestum esse potest, fieri potest, sive dicatur Virgo à peccato præservata, sive statim post Conceptionem mundata; Respondent tamen S. Th. hic art. 1. ad 3. Alens. 3. p. qu. 9. m. 3. art. 2. §. 3. Corduba, aliique Doct. ejus animam non statim Deum visuram esse, sed in sinum Abrahæ descensuram, per peccatum enim Adæ universo generi humano clausa fuit Janua Regni Cœlestis, nec decens erat, animam aliquam fieri beatam & impassibilem omnino, antequam Christus pateretur, & Cœlum conscenderet. Contrarium docere videntur Scot. dis. 3. q. 1. & Gerson. in serm. de Incarnat. & in Parisien. Academia existimatur hæc communis sententia. Factum tamen sapienter est à Divina providentia, ut non prius Virgo Mater moreretur, quam Christus Filius, & ideo nullus locus quæstioni relinquitur.

§. IX.

Quomodo peccatum originale traducatur?

112. DIximus usque modo, ad omnes homines peccatum originale transfusum esse, quo pacto autem transfusum fuerit, non indicavimus. Res hæc adeo difficilis existimanda est, ut nisi velimus Sanctum Augustinum mente superare, nobis ignotam fateamur necesse est; Ex Scripturis enim omnem hominem in Adamo peccasse, ac mortuum esse mihi declaratur, sed qua ratione peccaverit, mihi non ostenditur. Hac de re idem August. in ep. 29. ad Hieronym. scribit; *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis apte convenit, cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat &c. accessit alius, & eo viso admirans ait, quomodo huc cecidisti? & ille, obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quæras. Ita, quoniam fatemur, & Fide Catholica tenemus, de reata peccati, tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratia liberandam, satis est ei, quod modum, quo salva fiat, novimus, etiamsi nunquam quomodo in malum illud devenerit, noverimus*. Explicaturus autem præclarissimus Doctor sententiam suam hæc verba facit lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vase vitiato corrumpitur, ubi occulta justitia Divinæ Legis includitur; Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Duobus igitur modis originalis peccati traductionem explicare posse contendit, aut, quia utrumque vitiatum, idest anima & corpus ex homine trahatur, aut quia alterum in altero, idest anima in corpore, tanquam in vase vitiato corrumpatur; primum autem dici non potest, cum certum sit, animam ex homine non trahi, sed à Deo creari, ideo remanet dicendum secundum. Quod vero ita disjunctive loquutus sit Augustinus, ne mireris, adhuc enim circa animarum originem erat difficultas, atque eam sibi absconditam esse pluribus in locis, ut lib. 10. de Genes. ep. 28. ad Hieronym. 157. ad Optat. testatus est.

113. Hac de re communis Theologorum sententia est, quam verissimam arbitror, peccatum originale traduci per virtutem seminalem in omnes posteros, ita ut, omnes, nisi privilegium intersit, qui per veram generationem ab Adamo descendunt, eo nascantur inquiniti. Ita S. Th. 1. 2. qu. 81. art. 1. Scot. Durandus, aliique in 2. sent. Hoc, quod dictum est, explicatur à S. Th. hisce verbis. *Peccatum originale à primo Parente traducitur in posteros, in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale, non est autem motio ad generationem nisi per virtutem activam, unde illi soli peccatum originale contrahunt,*

hunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adamo derivatam, quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere, nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione, si autem aliquis formaretur virtute Divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adamo, unde non contraheretur peccatum originale; sicut nec actus manus pertineret ad peccatum, si manus non moveretur à voluntate, sed ab aliquo extrinseco movente, quare si Eva ex costa Adæ post ejus peccatum formata fuisset, peccato originali non fuisset inquinata, quia non processisset secundum rationem seminalem. Porro hanc Angelici doctrinam indicavit illud quod Jobi 14. legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*. Atque eam adhibuit Concilium Trident. sess.6. cap.3. dicens: *Homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt*. Neque vero in hoc aliquid, quod injustitiæ tribui debeat, inspicitur; nam quemadmodum, si Adam in originali justitia perseverasset, ex ejus semine omnes justi nati fuissent, ita, quia justitiam deseruit, omnes injusti nasci debuerunt; Hoc erat initum pactum, non est cur de Deo conqueramur. Quid demeruerunt, inquis, posteri in Adamo, ut eo peccante omnes peccarent? Quid, respondeo, meruerunt posteri in Adamo, ut eo remanente justo, omnes justi nascerentur? Ille caput erat non solum naturale, sed etiam morale, hoc unum sufficiat, ut ab illo justitia, vel injustitia in eos, qui in lumbis ejus continebantur, transfunderetur. Si vero quæras ulterius, quare hoc pactum initum sit, fueritque Adam hujusmodi caput, quære à Deo, qui omnium continet voluntates, & omnia, ut sibi magis placuerit, disponit; Non esset tamen, cur quæreres, cum hoc etiam in humana Republica fieri posse, non negares; Quis vetat, eam à Principe legem condi posse, qua statuat; Do tibi hanc Provinciam ac successoribus tuis, dummodo tamen Urbem hanc fide custodias? Non custodivit; en ex illius incuria omnes posteri ea Provincia privati, & in Principis iram prolapsi. Ita in re nostra, & multo magis, quanto dominio hominis majus est Dei dominium.

114. Neque obstat, peccatum Adami jam ipsi per pœnitentiam fuisse dimissum, antequam copulam haberet cum Eva, proinde fuisse mundatum, ne in posteros infectionem transfunderet; etenim licet dimissum fuerit ipsi, ut privata persona erat, non tamen ut omnium caput erat, seù, aliis terminis, dimissum ut peccatum erat personæ, non ut peccatum erat naturæ, eo pacto quo etsi furmentum sit mundatum à paleis, adhuc tamen paleas producit, ideo in Adami semine adhuc perseverat infectio illa & coninquinatio, seù defectus virtutis, quam habuisset à Deo traditam, si in justitia originali perseverasset; Manifestum est hoc etiam in nobis, in quibus per baptisma peccatum originale aufertur, nec tamen aufertur illa partium deordinatio, quæ ex peccato originali contrahitur; Docuit hoc S. Thom. quæst. cit. art. 3. ad 2. dicens. *Peccatum originale per baptismum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem, remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fontem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ & ipsius corporis, secundum quod homo generat, & non secundum mentem, & ideo baptizati traducunt peccatum originale, non enim parentes generant in quantum sunt renovati per baptismum, sed inquantum retinent aliquid de vetustate peccati*.

115. Ex dictis plura deduci possunt; Primo. Si aliquis homo immediate à Deo solo produceretur, ut fieri posse nemo negabit, hic nequaquam peccatum originale contraheret, quia nec per semi-

ſeminalem virtutem gigneretur, nec filius Adæ dici poſſet, & ideo etiam filii, qui ab eodem gignerentur, ſine peccato ſuum ortum deducerent. Secundo. Si Adam contra alia præcepta naturalia peccaſſet, non comediſſet tamen de ligno vetito, peccatum in poſteros minime transfudiſſet, peccata enim alia fuiſſent in ipſo tanquam in particulari perſona, non tanquam in capite, & ideo amiſiſſet juſtitiam pro ſe ipſo non tamen pro aliis, quod patet ex quo, ſi Adam non peccaſſet, peccaſſet vero filius ejus Cain, adhuc ex iſto, amiſſa ſibi juſtitia, filii innocentes procreati fuiſſent; ratio autem eſt, quia virtus transfundendi juſtitiam originalem non poterat deperdi niſi per tranſgreſſionem illius legis, ad quam tenebantur poſteri in Adamo, & cujus transgreſſio erat tranſgreſſio poſterorum in ipſo, ſed lex iſta erat de non comedendo &c. Ergo; quod totum valet ex vi præſentis decreti. Tertio. Si Adam ante peccatum rem cum Eva habuiſſet, & peccaſſet ante fœtus animationem, puer ille nequaquam peccatum originale contraxiſſet, quia fuiſſet in lumbis Adę nondum per peccatum vitiatis, & ideo fuiſſet ex ſemine habente virtutem transfundendi juſtitiam originalem, idem dico etiam de filiis, qui ex illo propagati fuiſſent, ut inter plures ſuſtinent Ferre, & Puteobonellus.

116. Oppones contra præcipuum aſſertum primo. Peccatum eſt aliquid morale & eſt in anima, ſed quod eſt morale & in anima non poteſt haberi per ſeminalem propagationem, ergo. Prob. mi. ſeminalis propagatio eſt aliquod phyſicum & corporeum, ergo.

Huic argumento, quod erat potiſſimum Pelagianorum, reſpondet S. Th. dicens ſeminalem propagationem immediate attingere infectionem corporis, mediate vero & per reſultantiam propter unionem animæ cum corpore, quam quidem unionem ſemen inſtrumentaliter efficit, attingere etiam ipſam animam; ecce illius verba loco citato. *Dicendum, quod anima non inficitur per infectionem corporis, tanquam corpore agente in animam, ſed per quamdam collimitationem unius ad alteram, quia forma recipitur in materia ſecundum conditionem ipſius materiæ.* In eamdem reſponſionem venit etiam S. Bonaventura, ſed actio illa, quam appellavit Angelicus collimitationem, dicta fuit à Seraſico colligentia; ait enim in 2. diſ. 31. art. 1. ad 3. *Cum dicimus, carnem inficere animam, hoc intelligitur proptèr colligentiam, quam habet ad animam, propter quod dum deorſum tendit, eam ſecum trahit, ut enim dicit Gregorius, qui labenti innititur, neceſſe eſt, ut cum labente labatur.*

117. Hinc nos dicimus fortaſſe clarius, peccatum eſſe in anima, & tamen moraliter haberi per ſeminis infectionem præſuppoſita actione phyſica in unionem animæ & corporis tanquam conditione, quamvis enim anima non traducatur per generationem ex Adamo, nihilo tamen minus per ſemen producitur natura humana, & vere dicitur homo hominem generare, quia eas diſpoſitiones producit, quibus productis fit humanum corpus, & corpori ſic facto anima à Deo creata conjungitur, ex hoc autem natura humana contrahit peccatum, quia generatur per Adam in quo fuit infecta; Hoc autem dicimus in ſemine eſſe quid morale, ſicuti ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, virtus tranſmittendi juſtitiam originalem moraliter fuiſſet in ſemine. Amplius tamen non quæras, aut damna pactum initum à Deo cum Adamo. Totum etiam explicat Scotus in 2. diſ. 32. qu. unica §. De tertio articulo dicens. *In inſtanti creationis & infuſionis animæ ipſa maculatur à carne infecta, ita quod licet infectio & maculatio carnis non fuerit culpa formaliter, ſed ſequela culpæ, eſt tamen occaſio culpæ in anima carni unita, quia cum anima unitur in carne, infectio ejus talis eſt, qualis nata eſt in anima talis eſt culpa, exemplificatur de pomo dato mundo & fœdato à ma-*

manu recipientis. Ex qua doctrina habes quid respondeas ulterius formæ argumenti.

118. Dices. S. Anselmus de conceptu Virgin. cap.7. inquit. *Non magis in semine culpa quam in sputo vel in sanguine, si quis mala voluntate expuit, aut de sanguine suo aliquid emmittit, non enim sputum, vel sanguis, sed mala voluntas arguitur*. Non igitur per seminalem viam peccatum traducitur.

Sed contra, verum est Anselmi dictum, si sermo sit de causa principali ac formali, non si loquamur de causa instrumentali ac universali; semen enim illud est, per quod tanquam per instrumentum communicatur natura humana infecta ex mala voluntate primi parentis. Duo igitur ibi tradit Anselmus; nimirum, traduci peccatum per aliquid corporeum, quamvis nec in se peccatum sit, nec in eo peccatum proprie resideat, sed in voluntate; ejus verba ibidem audiamus; *patet*, inquit, *quomodo in infantibus non statim ab ipsa Conceptione* (intellige inchoata & nondum perfecta) *sit peccatum, quia non habent, sine qua non inest peccatum voluntatem, & tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt peccandi, cum homines jam erunt, necessitatem*. Tunc autem sunt homines, quando anima corpori ex semine genito unitur.

119. Op. 2. Peccatum Adæ dimissum est, ergo non potest ita semen inficere, ut illud peccatum originale traducatur. Neque dicas, dimissum esse ut erat peccatum personæ particularis, non ut peccatum capitis; contra enim, peccatum Adami ut capitis, fundamentum habuit in peccato Adami ut personæ particularis, ergo si dimissum fuit primo modo, etiam secundo. Præterea; Si peccatum ipsius ut capitis dimissum non esset, nunc denominaret Adamum tanquam caput naturæ peccatorem, quandiu enim peccatum non est gratia deletum semper denominat reum, qui peccavit, sed non potest dici, Adamum ut caput naturæ nunc esse peccatorem, ergo.

120. Resp. approbando responsionem; ad prob. in oppositum, propositio est vera quantum ad primum esse peccati, quia si non fuisset peccatum Adami personale, nec fuisset capitale, falsa est quantum ad conservationem in tota natura sic præscribente pacto & lege statuta à Deo; Quod si res esset juxta intentum argumenti, peccatum Adæ dimissum nullo modo transfunderetur. Ad 2. dico peccatum Adami adhuc perseverare, non quidem in Adamo, sed in naturæ infectione, quæ fuit terminus ejusdem peccati, ut erat peccatum capitale.

121. Op. 3. Peccatum originale trahitur immediatè ab Adamo in quo omnes peccaverunt, sed ita non potest haberi per seminalem propagationem, ergo. Prob. mi. seminalis propagatio non habetur ab Adamo immediate, nec enim homines immediate ab Adamo generantur, ergo.

Resp. ne. mi. ad prob. dis. ant. seminalis propagatio quantum ad naturam non habetur &c. conc. quantum ad infectionem & vitium naturæ ne. ant. & cons. Parentes enim communicant genito immediate propriam naturam, non tamen communicant proprium peccatum originale, sed peccatum Adæ, in cujus voluntate genitum peccavit, & singuli peccarunt, rursus; semen parentum est quidem ab ipsis immediate decisum, non est tamen nisi ab Adamo immediate vitiatum, & ideo infectio & vitium naturæ est ab Adamo, quamvis natura immediate ab ipso non sit.

122. Op. 4. Si res ita est, nuptiæ damnandæ sunt, fiunt enim causa peccati originalis, sed hoc non, ergo. Hoc est unum ex argumentis Juliani; cui tamen respondet S. Augustin. lib. 3. contra eumdem cap. 24. inquiens, *Sicut creanti Deo non imputatur, quod rationales animæ à bono deficiunt, sed quod bonum sunt, sic parentibus gignentibus & malo*

malo concupiſcentiæ bene utentibus non putandum eſt, quod cum eo malo filii naſcuntur, ſed quod bonum ſunt. Ratio autem eſt, quia Chriſto excepto omnium hominum voluntates in Adamo peccaverunt, ſi ergo dum generantur, peccatum contrahunt, ipſiſmet hominibus genitis proprie adſcribendum eſt, quod vero naturam humanam accipiant, parentibus tribuendum eſt, quorum opere generantur. Non igitur ſunt damnandæ nuptiæ, nec peccant parentes dum generant, quia nec conjugalis copula nec parentes ſunt vera cauſa peccati originalis, ſed ſunt tantum occaſio & conditio, ſine qua peccatum originale non traduceretur, qua propter ſunt quid malum per accidens, & occaſionaliter, ſunt vero quid bonum per ſe, ſicut hominum generatio per ſe bona eſt.

123. Op. 5. argumentum deſumptum ex S. Auguſtino, ex quo videtur non in actione ſeminali conſiſtere peccati originalis transfuſionem, ſed in ardore libidinis, ſeù concupiſcentia, inquit enim lib. 5. contra Julian. cap. 15. *Hinc apparet, concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propagationem mali.* Deinde addit de Chriſto; *Caro Chriſti contagium peccati originalis non traxit, quia concupiſcentiam non invenit.*

Reſp. falſum omnino eſſe id quod aſſumitur, quod quidem multifariam oſtendo; Primo quia in ſtatu naturæ puræ, ſi fuiſſet, propagatio generis humani habita eſſet cum æquali concupiſcentia & libidine, nec tamen peccatum originale fuiſſet transfuſum. Secundo. Si peccatum originale transfunderetur per ardorem libidinis, ubi fuiſſet in coitu major ardor libidinis, fuiſſet etiam majus peccatum originale, quod non, cum in omnibus æquale ſit; Tertio. Quia, ſi ex ſpeciali Dei privilegio mas & fœmina coirent ſine concupiſcentia, adhuc proles, quæ naſceretur, peccato originali eſſet infecta; contrahunt itaque parvuli peccatum, quia voluntates ipſorum continebantur in voluntate Adami in quo natura humana vitiata eſt, ſignum autem hujuſce corruptionis & vitii eſt concupiſcentia, ſine qua neque à Sanctis viris habetur generatio, idcirco S. Auguſtinus ex concupiſcentia parentum, qua quis generatur, colligit peccatum originale tanquam à poſteriori, quia ſi Adam donum integritatis ſervaſſet, ſine aliquo concupiſcentiæ motu fuiſſent homines generati. Porro caro Chriſti contagium peccati originalis non traxit, quia voluntas ipſius non fuit in voluntate Adami, nec ejus caro per ſeminalem actionem habita eſt.

§. X.

De pœna peccati originalis poſt hanc vitam.

124. De pœnis quas originale peccatum etiam poſt baptiſmum regeneratis hominibus intulit, nihil hic dicendum arbitror, cum ſatis ſuperque experimento nobis compertæ ſiant; Inſtituitur itaque difficultas de ejuſdem pœna poſt hanc vitam, ſeù aliis terminis, qua pœna mulctandi ſint infantes illi, qui vel in utero Matrum interierunt, vel jam nati ante rationis uſum ſine baptiſmate deceſſerunt.

125. Refellit S. Auguſt. lib. 1. de orig. animæ cap. 9. quemdam Vincentium aſſerentem, parvulos conceptos quidem ac natos eſſe in peccato originali, attamen etiam ſine baptiſmate Cœlorum Regnum ipſis non eſſe negandum, quod poſterioribus temporibus tradidit Zuinglius etſi alio fundamento, docuit enim in declarat. de pecc. origin. univerſam naturam humanam ita fuiſſe per Chriſtum reſtitutam, ut omnes parvuli abſque regenerationis lavacro ſalutem conſequerentur.

126. Pelagiani, teſte S. Auguſtin. in lib. de hæreſib. cap. 88. Regnum Cœlorum infantibus iſtis non conceſſerunt, ipſos

ipsos tamen vitam æternam extra Regnum Dei & naturalem beatitudinem consequuturos esse affirmarunt, ideo quemdam locum tertium statuerunt, qui medius esset inter beatorum gloriam, & damnatorum pœnas. Ab hac opinione videntur non recessisse Albert. Pighius in prima controvers. & Ambros. Catharin. in lib. de statu puerorum sine baptismo decedentium, docuerunt enim post judicii diem in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuo esse victuros.

127. Est tertia sententia, quam tradunt S. Th. in quæs. 1. de malo art. 1. Scot. in 2. dis. 33. S. Bonavent. Suarez, Vasquez, Becan. Salas, Aversa, Lezana &c. docet ista, infantes hujusmodi puniendos esse quidem pœna damni consistente in carentia visionis Dei, non autem pœna aliqua sensus, præsertim ab ab igne infligenda. Aliqui vero etsi negent pœnam ignis, attamen asserunt, passuros esse pœnam sensibilem internæ tristitiæ ortæ ex visionis beatæ privatione.

128. Contrarium omnino docuerunt alii, ita ut voluerint, æterna pœna damni & sensus in inferno esse cruciandos, ita Driedo lib. 1. de gratia ac liber. arbit. tract. 3. Pontius disp. 18. quæst. 6. Cardinalis Noris in vindiciis Augustinianis, ubi ex doctrina Sancti Augustini contendit hoc demonstrare. Ut distinctius omnia resolvantur.

Dicendum primo. Parvulos sine baptismate decedentes æterna pœna esse damnandos.

129. Hoc inprimis contra dicta num. 125. 126. probandum est ex Scripturæ Sanctæ testimoniis. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Et infra. *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Ad Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Apocal. 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis*. Atqui parvuli sine baptismate non sunt renati ex aqua & Spiritu Sancto, ergo non possunt introire in Regnum Dei, non crediderunt in filium, ergo non videbunt vitam, & ira Dei manet super eos, Adami delicto infecti sunt, ergo condemnabuntur, non sunt inventi in libro vitæ, ergo mittentur in stagnum ignis.

130. Secundo. Idem demonstrandum est ex Conciliorum definitionibus, & omittendo Carthaginen. in epis. apud August. 90. & Milevit. in ep. apud eumdem 92. affero Florent. quod sess. ult. inquit: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas*, Trident. vero sess. 5. docet, parvulos sine baptismate ad vitam pervenire non posse. Si Conciliis addere vellem Summorum Pontificum decreta, plura non deessent, mihi tamen sufficiat Innoc. III. cap. *Majores* de baptis. §. *Sed adhuc* ubi asserit, *pœnam peccati originalis esse carentiam visionis beatæ*.

131. Tertio occurrit constans & perpetua Sanctorum Patrum traditio. Incipiat Augustinus, qui in hac re quam plurima scripsit, quamvis nos paucis contenti erimus. Lib. de orig. ani. c. 9. ait: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem Regnumque Cælorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum, hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit*. Epistol. 106. ad Paulin. *Aliquando fatebuntur, parvulos non baptizatos vitam habere non posse, ac per hoc quamlibet tolerabilius omnibus, qui etiam propria peccata committunt, tamen æterna pœna mulctari*. S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3. inquit: *Parvulos, quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retinet*. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 16. *Nonnulli prius à præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activæ vitæ per-*

veniant, quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Et paulo post, *perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt*. Tandem S. Anselmus lib. de Concep. Virgin. cap. 7. sic loquitur. *Si peccatum originale est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso, damnari*: Damnandi igitur sunt parvuli sine baptismate decedentes.

132. Quinam vero esse debeat locus eorum damnationis, non est cur à nobis aliqua quæstio promoveatur, nisi velimus contra omnes sapientes viros quidpiam proferre, esse enim carcerem inferni, & semper futurum esse, docent S. Th. Bonavent. Scot. Durand. Richar. Capreol. aliique in 2. sent. dis. 33. In hoc solummodo dividuntur, quod aliqui constituant infantes in parte inferni sublimiore, quam limbum vocant puerorum, aliqui vero in eodem loco collocant damnatorum, atque hoc videtur innuere Florentinum à nobis num. 130. adductum, qua in re nihil certi possumus definire. Hoc unum, si adhærendum est Scripturarum, Sanctorumque Patrum testimoniis, certum nobis est, locum medium pro infantibus non inveniri, aut saltem inveniendum non esse; *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit*, legitur Eccl. 11. atque in ultima judicii die quisque apparebit vel ad dexteram vel ad sinistram, nec alia proferetur sententia, nisi vel maledictione, *ite maledicti* vel bendictione, *venite benedicti* immutabili Christi Domini vivorum ac mortuorum Judicis à Deo constituti, voce firmata. Noverunt hoc Sancti Patres, atque concordi calamo id tradiderunt; Vide S. Auguft. lib. 1. de peccat. meritis & remis. cap. 28. leges. *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo*, & ser. 14. de verb. Apost. *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes: De vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram, non novi aliud*. Vide Hieronym. Comment. in Eccles. cap. 11. Fulgent. in lib. de fide ad Pet. cap. 27. Bedam in cap. 14. Joan. Neque in hac re fas est immorari, aut alia via oppositum errorem refellere. Sic loqui debemus juxta ea, quę ex Scripturis, cœterisque monimentis habemus, quid vero à Deo fieri possit, vel faciendum sit, temerarium esset asserere; Ad rem arbitror illud, quod ait Sanctus Augustinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 23. ubi sic. *Quis novit quid de parvulis, de quorum cruciatibus duritia majorum contenditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur, quis inquam novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus?* Si quis diceret, infantes istos ponendos esse pro aliquo brevi tempore in statu viæ, in quo proprio actu mereri, vel demereri possent, & sic vel gloriam Cœlestem sibi comparare, vel gehennæ ignis se reos efficere, Divinæ providentiæ suavitatem summopere commendaret, quamvis nullum, id asserendi sufficiens argumentum haberet, nisi fortasse illud, quod Catharinus adducit, & pro quo, ut ipse asserit, plures docti viri senserunt, nimirum, *terram hanc mansuram in æternum, & quidem purgatiorem ac venustiorem, sicut scriptum est; Vidi Cœlum novum & Terram novam*. Sed de hac re nolo præter vel contra Sanctorum Patrum testimonia aliquid proferre, etsi multa dici possent, quæ improbabilia sunt, & omnino ficta.

133. Major difficultas est in statuendo, utrum infantes isti, non solum pœnæ damni obnoxii sint, sed etiam pœnæ sensus ab igne provenientis. Qua in re.

Dicendum secundo. Parvulos decedentes sine baptismate non esse puniendos pœna sensus. Sententiam hanc dicit Scotus loco citat. §. *Hic videtur* esse Magistrorum.

Hanc probat Scotus ratione deducta ex Sacris Litteris, legitur enim Apocal. 18.

cal. 18. *Quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Unde sic. Pœnæ quantitas debet correspondere quantitati delectationis, sed parvuli nullam habuerunt sensus delectationem, ergo nec ullam luent pœnam sensus. Præterea; parvuli fuerunt quidem per peccatum Adę aversi à Deo, non fuerunt tamen conversi ad creaturam, ergo debent quidem puniri pœna progrediente à carentia Dei, non autem progrediente ab aliqua creatura.

Respondent, parvulos se glorificasse & in deliciis fuisse non in se, sed in alio, nimirum in Adamo, proinde adhuc servari textum Scripturæ. Sed contra; peccaverunt quidem in Adamo quia eorum voluntates fuerunt in ejusdem voluntate ex pacto inito, non tamen de ligno vetito comederunt cum Adamo, comedere enim est actio spectans ad sensum, sensus autem parvulorum non fuerunt in sensibus Adami, habuerunt in in ipso quod in peccato est moralitatis, non quod est actionis, proinde &c. Præterea. Quod reponunt est verum originaliter, non actualiter, pœna autem sensus correspondere debet actuali peccato & delectationi; Hoc ostendo ex Scripturis. Mat. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi & non dedistis mihi &c.* Ad Rom. 2. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum*. Apocal. 22. *Ecce venio cito reddere unicuique secundum opera sua*. Hæc certe fuit mens Innocentii III. viri doctissimi, qui in cit. cap. *Majores* de baptismo, distinguens pœnam debitam peccato originali à pœna debita actuali, illam statuit in carentia visionis Dei, hanc vero in æternæ gehennæ cruciatu. Risu excipienda est responsio Pontii dicentis, quod si Innocentii textus probaret, plus pœnæ tribueretur originali, quam actuali, debuisset enim animadvertere illam esse posse sine ista, non istam sine illa, ideo in textu præsupponitur.

134. Accedant modo in eamdem rem Sanctorum Patrum testimonia, quę non possunt melius conciliari cum aliis à nobis adductis num. 131. quam si asseramus, parvulis pœnam non sensus, sed solius damni fore infligendam. Clarissimum est dictum Sancti Gregorii Nazianz. clarissimi viri, atque in fidei dogmatibus conservandis accerrimi, distinguit iste oratione in sanctum lavacrum triplicem hominum ordinem qui sine baptismate decedunt; Alios, inquit, ex iis esse, qui baptismum contempserunt, alios ex iis, qui negligentia propria neglexerunt, alios tandem ex iis, qui illo aliorum negligentia caruerunt, ut sunt infantes, deinde concludit; *Existimo futurum, ut primi quidem tum aliorum scelerum, tum etiam baptismi concontempti pœnas luent, alii autem pœnas quidem, sed leviores pendant, postremi denique nec Cœlesti gloria nec suppliciis à justo Judice afficiantur, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque banc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint*, deinde addit; *Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur, quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur*. Vides Sanctum Doctorem fateri, parvulos indignos esse honore, proinde plecti pœna damni, non tamen ex hoc sequi aliam pœnam sensus ipsis infligi, aut debitam esse. Neque dici potest, verba illa, *nec suppliciis à justo Judice afficiantur* intelligenda esse comparative, etenim ipse absolute loquitur, & ubi comparative loquendum erat, ipse explicavit in secundo membro, quod non fecit in tertio. Sanctus Ambros. lib. 2. de Abrahamo, & in Comment. explicans cap. 5. ad Rom. (sive autem author fuerit Ambros. vel quispiam alius, disputationem non instituo, sua tamen auctoritate non carent) asserit, inter duas mortes unam esse, quam sibi quisque propriis malis operibus acquisivit, distinguit ergo pœnam

nam debitam peccatis actualibus ac soli originali; nec servari potest hoc dictum confugiendo ad minorem poenam., siquidem etiam peccatis actualibus major vel minor poena correspondet. Tandem celebre est illud Bernardi; *Sola propria voluntas ardet in inferno*; Dixi tandem, quia potuissem afferre S. Augustinum, sed de hoc infra. Hisce aliisque permotus Anglesf. oppositam nostræ sententiam tenentes parvulorum tortores appellavit.

135. Id autem quod supradiximus juxta mentem S. Gregorii Nazianzeni aliquo potest exemplo declarari. Fiat enim hypothesis, Principem alicui eximio viro Provinciam aliquam concedere ejusdemque posteritati, ea tamen conditione, qua si ipse in Principem deliquerit, statim cum omnibus posteris Provincia privetur, ac à Principis aula exulet, si delinquat, potest quidem ille ultra amissionem Provinciæ ac aulæ exilium alia positiva ac sensibili poena puniri, non tamen ejusdem posteri, quare? quia propria voluntate Principi non fecerunt injuriam, & in illo delinquente redditi quidem sunt indigni aulæ honore ac Provinciæ, non tamen positivæ poenæ reatum contraxerunt, ita in re nostra. Ratio autem esse potest, quia caret virtute & habet habitualem pronitatem ad malum rejici potest ab aliqua dignitate tanquam indignus, non potest tamen positivo, ac sensibili supplicio damnari, nec enim suspenduntur qui habent inclinationem v. g. ad furtum, sed qui actu furati sunt, ergo cum peccatum originis consistat tantum in carentia habitualis justitiæ, & inclinatione ad malum, sequitur &c.

136. Tandem prætereundum non est, quando adultus aliquis baptizatur, nulla ipsi ab Ecclesia satisfactio poenalis injungitur propter originale peccatum, neque tenetur ad illud retractandum, vel ad dolorem de ipso concipiendum, nulla igitur in hoc sæculo sensibilis poena ipsi correspondet, ergo neque in futuro.

137. Superest modo aliquid resolvendum, utrum parvuli esto non patiantur aliquam poenam sensibilem progredientem ab igne, aliquam tamen tristitiam animique dolorem experiantur. Partem negativam cum S. Thom. Bonavent. Scoto defendunt Vasq. Suarez, Lessius, Ariaga. Contrariam Aureolus, Bellarm. Pontius. Fundamenta utriusque sententiæ ego proferam, & quisquis eligat quam voluerit.

Probat S. Thom. quia infantes debent solummodo in eo genere puniri, in quo peccarunt, poena enim debet correspondere culpæ, immo juxta suavissimam Dei providentiam semper minor est culpa, peccarunt autem deficientes à fine supernaturali, ad quem elevati erant, non voluntate propria sed aliena, ergo debent solummodo puniri ejusdem finis privatione, sed si aliquam tristitiam animique dolorem paterentur, hæc poena esset positiva, ergo.

138. Hanc tamen rationem facillime evadere possunt adversantes Theologi dicendo, tristitiam hanc non infligi à Deo adinstar poenæ, sed naturaliter progredi ab ipsa beatitudinis privatione, sicut si aliquis in Republica humana aliqua dignitate privaretur, ex hujusmodi privatione tristaretur, licet tristitia hæc non esset illi pro poena, sed solummodo ex dignitatis privatione sequeretur. Urgere tamen posset Sanctus Thomas negando exemplum, antecedens enim tantum est verum, si dignitatis privatio oriatur ex culpa propria, ex quo, concesso antecedente, in nostro casu ratio dispar affertur.

139. Probat Scotus, quia tristitia in nobis est tantum de illis, quæ inviti patimur & resistentes, ita ut velimus oppositum, atqui infantes non patiuntur beatitudinis privationem inviti & resistentes, nec oppositum volunt, ergo. Prob. mi. Si paterentur &c. haberent inordinatum affectum & de Divina dispositione conquererentur, sed hoc non, ergo. Secunda ratio ipsius est, quia

quia si propter beatitudinis carentiam tristarentur, maximam pœnam sustinerent, contra id quod dicunt omnes cum Augustino, videlicet parvulorum pœnam esse mitissimam; Prob. assumptum, quia cum nulla beatitudinis obtinendæ spes supersit, eorum tristitia oriretur ex desperatione, quæ inter omnes damnatorum pœnas est gravissima pœna. Tandem ex eodem argumentum ita confici potest; Infantes ex dictis nullam pœnam sensus ab extrinseco patiuntur, ergo neque ullam tristitiam. Conf. ostenditur, quia cum voluntas sit magis appetitus hominis in quantum est homo, quam appetitus sensitivus, ita quidquid agit vel patitur secundum voluntatem magis agit vel patitur quam secundum appetitum sensitivum, & ideo tristitia interior major pœna est, quam quilibet dolor ab agente externo illatus, ergo si &c.

140. Alii vero oppositum tenentes id promovent quod superius indicatum est, nimirum ex privatione boni nasci tristitiam, eoque hanc crescere quo majus est bonum cujus est privatio, atque hæc quidem tristitia esset in infantibus absque aliqua inordinata dispositione, siquidem experimur, nos ipsos absque aliquo pravo motu tristari de amissione parentum & amicorum &c.

141. Huic tamen momento variæ Doctores respondent. Inquit S. Thom. privationem boni tristitiam causare quando contingit, aliquem eo privari, qui ad illud consequendum proportionem habuerit, hanc autem parvuli sine baptismate nunquam habuerunt, cum nec præditi fuerint gratia, nec ad liberi arbitrii usum fuerint perducti, ideo &c. Dicit Richardus, fieri ex singulari Dei providentia, ut ab eorum animis tristitia de beatitudine amissa removeatur. Inquiunt alii inixi testimonio S. Thom. qu. 5. de malo art. 3. & in 4. dis. 47. ex privatione boni sequi tristitiam, quando cognoscitur bonum & causa, propter quam est privatio; parvuli autem neque cognoscent beatitudinem quam amiserunt, nec peccatum originale propter quod amiserunt, proinde &c.

142. Absit, à me cujuspiam docti viri responsiones reprobari. Mihi tamen magis arridet Doctrina S. Bonaventuræ dicentis in 1. dis. 33. art. 3. q. 2. parvulos positos esse in quodam æquilibrio inter damnatos & beatos, vident damnatorum acerbissimas pœnas, quas ipsi evaserunt, & lætantur, vident, seù cognoscunt beatorum felicitatem quam non obtinuerunt, & mærent, sic autem fit, ut tristitia sit mixta lætitiæ, lætitia tristitiæ, & ita nec gaudeant nec tristentur; immo cum facilius sit esse in numero reproborum quam electorum, multi enim sunt vocati pauci electi, videtur ex infernalium pœnarum evasione majus lætandi motivum proficisci, quam ex cœlestis gloriæ privatione causam mærendi.

143. Si tamen licet hanc Seraphici Doctoris explicationem aliquantulum perpendere, videtur ex illa sequi, infantes neque pœnæ damni futuros obnoxios; Sic ostendo; Vident inferni pœnas quas evaserunt, hoc est lucrum, vident Paradisi gloriam, quam amiserunt, hoc est damnum, itaque constituti in quodam æquilibrio inter lucrum & damnum nullam sentient pœnam damni, sicuti quia ita constituti &c. nullam sentiunt pœnam tristitiæ.

144. Validius tamen fundamentum existimat afferre Bellarminus ex Sanctorum Patrum sententiis. Prima est illa Augustini à nobis adducta num. 131. *Parvulis non baptizatis nemo promittat quietis aut felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, inter damnationem Regnumque Cælorum, quasi locum medium.* Verum hæc auctoritas in primis intelligenda est de quiete & felicitate positiva, deinde est contra eos, qui dicebant dari vitam æternam & naturalem beatitudinem extra Regnum Cœlorum, proinde excogitabant locum medium inter beatorum gloriam & damnatorum pœnas, qua-

quare non est ad rem. Secunda est illa, quam idem præclarissimus Doctor habet lib. 6. contra Julian. *Si hoc*, idest non intrare in Regnum Dei, *eis non erit malum, non, ergo amabunt Regnum Dei tot innocentes Imagines Dei, si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent Regnum ejus, à quo ad ipsius Imaginem creantur, nihilne mali de hac separatione patientur?* Sed, ut vides, agebatur hic contra Julianum asserentem parvulos etiam sine baptismate innocentes esse, in qua certe hypothesi maxima foret tristitia ab illo Regno separari, quod ipsorum innocentiæ debitum esset, & ad quod proportionem haberent; Quare ex hac auctoritate nihil infertur contra nos juxta Doctrinam S. Thom. supra num. 141. Tertia desumitur ex eodem Augustino in ep. 18. ad Hieronym. & ser. 14. de verbis Apost. ubi asserit, parvulos in Inferno pœnam vel supplicium esse passuros, idem tradit Fulgentius lib. de Fid. ad Pet. cap. 3. dicens, parvulos sine baptismo dedecentes intollerabilia gehennæ ferre supplicia; Idem Gregor. lib. 9. Moral. cap. 16. Verum istos jam nos attulimus ad probandum nostrum primum assertum num. 131. & in illis supplicii, tormenti, gehennæ nomine aliud non intelligitur præter damnationem æternam, perpetuamque Dei visionis carentiam, quæ pœna est, non tamen sensibilis, ut à Bellarmino aliisque contenditur.

145. Ultimum, quod Bellarmini aliorumque videtur favere sententiæ, desumitnr ex teterrimo loco, in quo velut in carcere detinentur, si enim hic maximam pœnam infert damnatis, cur non parvulis, qui facultatem naturalem locomotivam exercere non possunt?

Pluribus responsionibus occurrit Mastrius quæst. 6. de peccato originali art. 2. & 1. fatetur, difficulter evitari posse hanc carceris pœnam non esse ab infantibus sustinendam, quo tamen admisso non sequitur, inquit, aliam per se pœnam originali culpæ debitam esse, quam pœnam damni; Sed quo jure hoc dicit? quia, ut ait Vulpes ab ipso citatus, si talem sustinent pœnam, non evenit ex Divina Justitia punitiva, sed ex Diaboli tirannide procedit, quam, permittente Deo, in universum genus humanum acquisivit, cum Divinum mandatum primi parentes sunt in Paradiso transgressi; Quia vero, subdit, potestatem hanc non justo possidet jure, ideo post judicii diem à Deo privabitur, ipsasque infantium animas vel ab illo carcere liberabit, eas ad terræ superficiem, quam habitent, transferendo, vel eas ita in illo loco detinendo, ut possint tamen moveri, secum alloqui, & ea luce frui, quæ post mundi renovationem est futura, atque hoc postremum tenent Ariaga, Less. Salas. Horum autem ratio est, quia illa tantum pœna infantibus infligi debet, quæ in carentia finis supernaturalis, ad quem elevati erant, consistit, si autem perpetuo detinendi essent in illo carcere illaque cæcitate, privarentur etiam bonis, quæ naturam consequuntur.

146. Verum hæc Doctrina nullo pacto satisfacit, primo quia ea etiam admissa, non probaretur, saltem ante diem judicii parvulos non puniri pœna sensus interioris tristitiæ; deinde, locum tertium pro ipsis æternum duraturum admitti, quod sine aliquo fundamento affirmatur. Tandem, quod oppositum est sine tanto studio & novis adinventis juxta dicta refelli potest. Hic tamen iterum dico, utriusque sententiæ fundamenta à me producta esse, illa unusquisque perpendat.

§. XI.

§. XI.

Refelluntur argumenta, quæ producuntur contra secundum nostrum assertum.

147. OPpones primo ex Scripturis. Parvuli nullum fructum bonum fecerunt, ergo in ignem mittentur, juxta illud Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur*. Parvuli sine baptismo justi non sunt, ergo separabuntur à justis, & mittentur in caminum ignis, juxta illud Matth. 13. *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent illos in caminum ignis*. In Judicio Universali, cui certe parvuli intererunt, duæ tantum sunt classes judicandorum, quorum aliqui à dextris, alii à sinistris, illis dicetur: *Venite benedicti &c.* istis vero: *Ite maledicti in ignem æternum* atqui parvuli non erunt à dextris, ergo à sinistris, ibunt itaque in ignem æternum. Idem innuitur in Apocal. etenim cap.20. legitur. *Beatus & Sanctus qui habet partem in Resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem*; hæc autem secunda mors cap. 21. dicitur stagnum ignis & sulphuris; atqui parvuli non habent partem in Resurrectione prima, ergo ipsis superest mors secunda ignis & sulphuris. Hinc eodem cap. 20. legitur. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*.

148. Resp. Hæc omnia à nobis concedi, immo aliqua ex istis à nobis adducta esse ad probandum nostrum primum assertum; Singula tamen inspiciamus, ut singulis responsum dare possimus, nec quidpiam effugere videamur. Quod ad primum attinet, quod etiam de aliis Textibus intelligendum est, ibi sermo habetur de adultis, qui, cum fructum facere possent ac deberent, non fecerunt; manifestum est hoc, ut sistamus in eodem exemplo, etiam in arboribus naturalibus, quæ licet post paucos dies à plantatione fructum non faciant, attamen igni non committuntur. Quantum ad secundum verum est, parvulos sine baptismate justos non esse, atque ideo separandos à justis, mittendos insuper in caminum ignis, attamen nequaquam lædendos ab igne, quod infra explicabo. Verba autem illa, quæ sunt conclusio parabolæ sagenæ missæ in mare bonos ac malos pisces congregantis, significant, ut explicat S. Augustin. lib. 6. contra Donatis: post collat. cap.4. Ecclesiam, in qua boni cum malis & electi cum reprobis sunt commixti, atque illa die separandi sunt tanquam oves ab hædis, non pertinent igitur ad infantes, qui nunquam in hac sagena, idest Ecclesia fuerunt. Si tertium proponeretur Durando, responderet parvulos judicandos non esse, atque in suæ opinionis confirmationem afferret quod habetur Ap. 20. *Et libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum* quod certe de parvulis dici non potest; attamen admittimus etiam parvulos judicio ad futuros pusilli enim & magni stabunt ante Thronum, ut legitur in eodem capite, & hæc est communis Theologorum, Sanctorumque Patrum sententia, admittimus insuper ipsos à sinistris esse collocandos, non tamen subjiciendos judicio discussivo, sed solum approbativo illius quod jam factnm est, inquiit enim Christus Joan. 3. *qui non credit jam judicatus est*, quid enim judicari potest in parvulis, qui nihil omnino egerunt? eadem etiam Judicis sententia tam ad peccatores adultos, quam ad parvulos pertinebit, sed diverso modo; dum audis, *discedite à me maledicti* utrosque intellige, sic enim explicatur damnatio, dum audis, *ite in ignem æternum*, intellige adultos, & sic explicatur pœna sensus; Quamquam etsi postrema ista verba parvulos afficerent, adhuc non probaretur, nomine enim ignis æterni significari potest etiam locus in quo est ignis æternus, quin ta-

tamen ab illo igne torqueantur, sed solummodo detineantur, tantam enim ignis habebit comburendi virtutem, quantam ipsi tribuet Divina Justitia cujus erit instrumentum, & ideo alios magis, alios minus, alios vero nihil lædet, quod postremum in parvulis evenire à nobis jam fuit demonstratum; juxta hæc explica alios similesque Textus.

149. Op. secundo. Parvuli propter peccatum originale pœnis sensibilibus, ut fame, siti, morbis, puniuntur, ergo etiam pœnis sensibilibus punientur in altera vita, neque enim post judicii diem eorum corpora erunt gloriosa sed passibilia. Præterea; Quale est gaudium parvulorum decedentium post baptisma, debet esse pœna ipsorum decedentium, sine baptismate, sed illi assequuntur beatitudinem non solum essentialem animæ, sed etiam accidentalem & secundariam corporis, ergo & isti debent puniri non solum pœna essentiali, sed etiam accidentali & secundaria, quæ est pœna sensibilis; Hinc sicuti gaudium corporis non correspondet bono operi actuali, ita nec pœna corporis malo operi actuali.

150. Resp. ex S. Bonavent. non sic loquendum de pænis sensibilibus hujus vitæ, sicut de æternis, istæ enim sunt tantummodo punitivæ, illæ vero sunt etiam purgativæ & ad meritum conducentes; Vera tamen responsio est, quia pænæ hujus vitæ sensibiles progrediuntur dumtaxat indirectè ex originalis justitiæ privatione, etenim fuissent etiam in statu naturæ puræ, in qua originale peccatum non fuisset, è contrario pænæ sensibiles æternæ non à natura, sed à Deo vindice directè sunt propter peccata, quę quisque patravit; Fatemur autem parvulorum corpora post judicii diem non futura gloriosa, sed passibilia, attamen nihil patientur nisi juxta dispositionem Divinæ justitiæ dicta num. 148. in fine, atque hoc est quod docet Scotus loco cit. §. *Et si quæratur* ad 2. dicens, quod *sicut corpora damnatorum patientur ab æterno igne, sed non dissolventur &c. ita corpora illa*, idest parvulorum, *ex dispositione Divina erunt impassibilia, licet non ex dote impassibilitatis*. Ad aliud; facilius responsio est, si dicamus, Deum pænas infligere citra condignum, præmia vero largiri ultra condignum; Secundo plus profuisse merita & passionem Christi, quæ per baptismum parvulis applicantur, quam nocuisse Adæ peccatum, ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia; deinde concedo paritatem, & dico, quod sicuti visionem Dei consequuntur bona, quæ ad beatitudinem accidentalem spectant, ita privationem visionis consequuntur mala, quæ ad pęnam accidentalem reducuntur, non tamen ex hoc inferas hanc esse pęnam sensibilem, ratio arbitratu meo est, quia visio Dei est quid positivum, potest igitur esse causa gaudii positivi, sicut est gaudium sensibile, privatio autem est quid negativum, nequit ergo esse causa pænæ positivæ, sicut est pæna sensibilis.

151. Opp. 3. Peccato, cujus punitioni statuitur major pœna, statuenda est etiam minor, sed peccato originali statuitur major pœna, quam sit pœna sensus, ergo. Maj. patet, nam si peccato debet correspondere pœna, si durum non est non negare pœnam majorem, neque durum erit, non negare minorem. Prob. mi. Peccato originali statuitur pœna damni consistens in privatione visionis Dei, sed hujusmodi pœna major est quacumque pœna sensus, ergo. Prob. mi. Visio Dei est bonum majus quocumque bono, ergo privatio visionis Dei est pœna major quacumque pœna, malum enim privationis eo majus est, quo majus est bonum cujus est privatio; Hinc S. Joan. Chrysost. homil. 24. in Mat. dicit: *Tanta mihi videtur pæna ab ea gloria cecidisse, ut gehennam nihil æstimem in comparatione illius*. Quamobrem ex statuto nostro principio sequi deberet, quod sicuti peccato originali non correspondet pœna sen-

ſenſus, ita neque deberet correſpondere poena damni.

152. Reſp. quidquid dixerint alii, qui certe ut huic argumento reſponderent, plura dixerunt; non eſſe ſtatuendam peccato originali majorem vel minorem poenam, aut ex quo ſtatuatur major, ſtatuendam eſſe etiam minorem; aliter ſic contra argumentantes idem argumentum efformarem. Peccato, cujus punitioni ſtatuitur major pęna, ſtatuenda eſt etiam minor, ſed peccato originali ſtatuitur major pęna, quam ſit quævis pęna, quamvis intenſiſſima ſenſus, ergo peccato originali ſtatuenda eſt pęna intenſiſſima ſenſus. Conſequentiam hanc negant adverſarii, minorem autem probo iiſdem terminis, quibus ipſi uſi ſunt, ut compertum eſt; attendenda eſt ergo pęna debita, & indebita, ſi major eſt debita, illa eſt infligenda, ſi minor in diverſo genere eſt indebita, hæc eſt arcenda; Hoc autem contingit in caſu noſtro; peccatum originale conſiſtit in privatione juſtitiæ, igitur etiam ejus pęna conſiſtere debet in privatione, peccatum originale non eſt peccatum actuale, ergo neque ipſi debita eſt pęna poſitiva & ſenſus, quamvis hæc ſit minor illa. Ad hæc; negari poſſet pęnam damni eſſe pęnam majorem, cum ex S. Auguſtino & Theologis dicatur pæna mitiſſima in parvulis, quamvis enim malum privationis in ſe deſumatur à bono, cujus eſt privatio, non ſic tamen comparative, cum conſiderandum ſit etiam ſubjectum in quo eſt, ſi enim ſecum afferat maximam triſtitiam & deſperationem graviſſima pęna cenſenda eſt, ſi autem oppoſitum, ut ſuperius nos oſtendimus, contrarium dicendum eſt. Ex hiſce explica Chryſoſt. loquebatur enim de privatione glorię in adultis, qui peccatis propriis ab illa ceciderunt. Habes pariter quid reſpondeas poſtremo.

153. Opp. 4. Peccato veniali correſpondet pęna ſenſus, ergo à fortiori peccato originali, quod procul dubio majus eſt. Præterea. Chriſtus, ut ſatisfaceret pro peccato originali pęnam ſenſus ſuſtinuit, ergo quia ipſi debita eſt pęna ſenſus. Tandem. Plus debent pati qui culpabiliter amiſit juſtitiam originalem, quam qui juſtitiam originalem nunquam habuit, ſed qui juſtitiam originalem nunquam habuiſſet, paſſus eſſet pęnam damni, ut conſtat, ſi fuiſſet homo in ſtatu puræ naturæ, ergo alius ultra pęnam damni debet etiam pati pęnam ſenſus.

154. Reſp. conc. ant. ne. conſ. non enim peccato veniali correſpondet pęna ſenſus, quia ſit minus peccato originali, nec huic correſpondere debet, quia ſit majus, ſed quia peccatum veniale, quamvis ſit minus, commiſſum eſt voluntate propria & actu perſonali, è contra peccatum originale. Qua in re adnoto. Peccatum originale ſecundum averſionem à Deo majus eſſe peccato veniali; Peccatum autem veniale ſecundum voluntarietatem majus eſſe peccato originali. Hinc originali correſpondet major pęna quam veniali, quia huic non convenit pęna damni niſi temporanea, pecccato vero veniali ex alia parte convenit major pęna, quam originali, quia huic non eſt debita pęna ſenſus. Ad ſecundum; argumentum retorquetur. Chriſtus, ut ſatisfaceret pro peccato originali pęnam damni non ſuſtinuit, ergo peccato originali non eſt debita pęna damni; Rurſus Chriſtus pro peccatis noſtris non ſuſtinuit pęnas damnatorum, ergo peccatis noſtris non ſunt debitæ pęnę damnatorum. Illas ergo pęnas ſuſtinuit Chriſtus, quas voluit, & paucioribus immo nullis potuiſſet ſuperabunde ſatisfacere ſi voluiſſet. Adde; Chriſtum non ſolum ſatisfeciſſe pro peccato originali, ſed etiam quocumque actuali, unde mirum non ſit, ſi pęnas etiam ſenſibiles ſupra dorſum ſuum à peccatoribus dignatus eſt fabricari. Ad tertium negatur, hominem in puris naturalibus pænam damni fuiſſe paſſurum, carentia enim viſionis in ipſo fuiſſet mera negatio, & perducendus fuiſſet ad bea-

beatitudinem naturalem, ad quam fuisset à Deo, ut authore naturæ ordinatus.

§. XII.

Quid de mente Sancti Augustini sentiendum sit.

155. RES magna agenda est, quam dirimere non possumus, nisi Sancti Augustini dicta in medium proferamus. In hoc negocio meliori forte conficiendo nihil addere Augustino possumus, nisi quod Cardinalis Noris ex ejusdem doctrina nobis opponit; tanti enim virum hunc ceteroquin eruditissimum facimus, ut ipsum perlustrasse Augustinum totum fateamur, quod tamen ipse non præstat erga alios viros procul dubio doctissimos, quos vel insipientes, vel in doctrina Augustini, Conciliorumque parum versatos affirmare non trepidat; ut videri potest in ipsius vindiciis Augustinianis §. 5. ubi id ex Conciliis Africanis aliisque probare contendit.

156. Audiamus igitur quid ipse proferat, & quamvis à nobis in antecedentibus rejecta sint, tamen audiamus; Primum argumentum desumit S.Augustinus ex cap. 25. Mat. quod serm. 14. de ver. Apost. ita proposuit. *Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, & sinistram; Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo &c. Dextris dicturus; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum &c. Hanc Regnum nominat: hanc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes; De vivis & mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud; Qui inducis medium recede de medio. Non te offendat, qui dextram quærit, & te ipsum admonet: Recede de medio; Sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit, & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera Regnum Cælorum est: Percipite, inquit, Regnum; Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. In dextera quidem ad Regnum æternum, in sinistra in ignem æternum. Qui non in dextera, procul dubio in sinistra, ergo qui non in Regno, procul dubio in ignem æternum.* Hæc dixit egregius Doctor in concione publica habita Carthagine, & adducit in hac re Cypriani sententiam, unde opinio illa de pœna puerorum sensibili publice tunc temporis fidelibus proponebatur.

157. Secundum argumentum proposito simile habet in lib. de pecc. meritis & remiss. cap.28. ubi sic. *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in Regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait; Qui mecum non est, contra me est.* Adducit deinde Cardinalis de Noris aliud argumentum authoris Hypognosticon lib.5. cap. 5. quod cum alteri simile ipse fateatur, à nobis omittitur, ne rebus omnino similibus paginam, ut eruditi videamur, impleamus, quod enim unica responsione refellitur, unice est proponendum. Verba plurima, ratio eadem.

158. Post hæc à se proposita affert laudatus de Noris varias Scholasticorum responsiones. Illam Catharini in opusc. de statu parvulorum, negantis, parvulos in judicio sisti debere; illam, qua utitur Moraines disp. 40. de gratia num. 11. negans esse dogma fidei indicatum Matt.25. parvulos esse comparituros, atque ibi vel ad dextram, vel sinistram esse collocandos, cum revera citra errorem in fide oppositum doceant Durandus & Albertus, & plurimi celeber-

berrimi Doctores, ut Toſtat. Carthuſian. & S. Thom. in 4. diſ. 47. qu. 1. art. 3. dicunt, parvulos in judicio comparituros, non ut judicentur, ſed ut gloriam Judicis videant; atque hoc probabile ſuſtinent plures alii Theologi. Hiſce relatis, totus eſt probaturus, revera ad judicium etiam parvulos fore venturos, & pro hac re adducit Concilium Africanum, & Gelaſium Papam, nec non S. Auguſtinum in epiſt. 107. ad Vitalem hoc diſertiſſimis verbis oſtendentem.

159. At bone Deus, cur in hiſce probandis, quæ à nobis conceduntur, operam & tempus inſumit? Ultro fatemur, parvulos ad judicium eſſe adducendos, fatemur ad ſiniſtram eſſe collocandos; Fatemur cum Diabolo damnationem eſſe accepturos, fatemur, locum medium inter Regnum Dei & Diaboli abyſſum non eſſe futurum, & tamen negamus, igne tartareo eſſe comburendos, ſed ſolummodo detinendos juxta dicta ſuperius. Quare perpendendum eſt, contra quos tunc ab Auguſtino res agebatur, certe contra Julianum & Pelagianos, ſtatuentes pro parvulis locum medium, qui nec eſſet tartarea mors, nec gloria Cœleſtis Regni, ſed æterna vita; Erunt igitur infantes illi cum Diabolo non cum Chriſto, quia æterna damnatione punientur, propter quod & erunt contra Chriſtum juxta ſententiam adductam; Qui mecum non eſt contra me eſt, quia tamen non ſunt cum Diabolo per peccatum propria voluntate commiſſum, nec ſunt hoc pacto contra Chriſtum, ut igne tartareo torqueantur. Quod ſi toties dicitur, audituros ſententiam, *ite in ignem æternum*, jam in primis diximus, ſententiam iſtam duas partes continere, unam, *diſcedite à me maledicti*. Et hæc etiam ad parvulos pertinet, alteram, *ite in ignem æternum* & hæc ad Dæmones & peccatores adultos. Quod ſi etiam hæc poſtrema parvulis aptanda eſſet, nihil probaretur, nam quis prohibet, per ignem æternum intelligi locum, in quo eſt ignis æternus, etiam pueri in fornace Babylonica fuerunt in fornace ignis, nec tamen ibi læſi fuerunt Divina ſe protegente virtute, ita & pueri ſine baptiſmo erunt in ſtagno & camino ignis, nec tamen flammæ ſentient combuſtionem ita Divina diſponente juſtitia; cui omnino ignis obediet, tanquam ejuſdem inſtrumentum; ſed permitte; Sanctum Auguſtinum non ſolum pro igne intellexiſſe locum ignis, ſed revera ipſum ignem, à quo torqueantur, ut revera videtur innuere in Enchir. cap. 23. ubi ait: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, qui ſine Sacramento baptiſmatis de hoc ſæculo tranſeunt, æterni ignis ſupplicio puniendos*. An contemnendas putabimus explicationes S. Th. Bonaventuræ, Scoti, Richardi, Capreoli, Majoris, aliorumque, quos Theologorum Principes, pluſquam fuerit Cardin. de Noris & antiqua & noſtra tempora ſemper habuerunt? Omnes autem iſti uno ore fatentur, ibi Auguſtinum per exceſſum eſſe loquutum, atque ut verbis utar Bonaventuræ, *plus dixit, minus volens intelligi*. Hoc non infrequenter legimus in Sancti Auguſtini operibus, qui ut magis ſe opponeret adverſariis ſuis, in extremam partem, eſto falſam, declinabat, ut inde medium aſſequeretur, quemadmodum in moribus, ut docet Philoſ. 2. Ethic. via deveniendi ad medium eſt aliqualiter procedere ultra medium verſus extremum. An non Auguſt. contra Arrium videtur quaſi declinare ad Sabellium, & contra Pelagium videtur declinare ad Arrium? Quare cum Pelagiani cum Juliano negarent parvulos plectendos eſſe pęna damni; ipſe aſſerebat plectendos eſſe etiam pęna ignis, quemadmodum aliis in locis ut ageret contra Pelagianos negantes gratiam ut libertatem ſervarent, ipſe viſus eſt libertatem negare, ut gratiam attolleret, ut in tract. de gratia indicavi.

160. Quod ſi vellent Auguſtinum in ſtricto proprioque ſenſu accipiendum eſſe, plane ſibi ipſi, quod nefas eſſet, contradixiſſe fateantur, neceſſum erit. Pau-

Pauca ex eiusdem libris producam; Accipe quod scribit lib.3. de lib.arbit. c.23. ubi postquam dixerit, superfluo quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit, concludit; *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media, quædam inter recte factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium*. Quibus verbis, cum ubique excludat locum medium, attamen non excludit sententiam Judicis mediam, ita ut parvuli plectendi sint supplicio communi tam peccato originali quam actuali, non vero supplicio proprio peccati actualis, & ita medii sint inter eos qui voluntate propria aliquid meruerunt, & inter illos, qui voluntate propria se ipsos condemnaverunt. Aliud testimonium non obscurum habet Sanctus Doctor lib. 5. in Julian. cap. 8. ubi sic. *Quis dubitabit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potius expediret*. Ex hoc duo colligo; Unum, de parvulis istis non posse affirmari illud dictum de Juda, *melius illi esset, si natus non fuisset*. Si autem torquerentur pœna etiam ignis, hoc profecto de ipsis dici posset; Aliud; Augustinum loquutum esse de pœnis parvulorum in genere, nunquam autem in specie, ideo se definire, quæ, qualis, quanta futura sit, non posse confessus est. Ex Augustino igitur nihil evincitur. Quod si etiam quidpiam evinceretur, adhuc à sententia nostra recedere non deberemus, nec ipse Augustinus, si viveret, ad hoc nos impelleret; iterum enim nobis diceret quod scripsit ep. 3. loquens de Hieronymo, aliisque suorum temporum Doctoribus. Hæc sunt verba. *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, tanquam Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, aliquid eorum scriptis improbare, atque respuere; Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum*. Rogo, qui in hoc se Augustinum sequi profitentur, quoties ab Augustino in aliis disputationibus non recesserunt? Ut cœtera omittam, fatentur, ex ejusdem mente circumcisionem fuisse causam gratiæ ex opere operato in vetere lege, & quidem etiam plures alios Patres in eadem fuisse sententia, & tamen absque aliquo scrupulo oppositum docent; Cur ergo & idem nobis prohiberetur? Sed ut distinctius res tota peragatur, alia distincte examinemus, oportet.

§. XIII.

Perpenduntur alia Argumenta in oppositum.

161. Quod postremo loco protulimus in aliis quæstionibus locum fortasse potest habere, at in hac disputatione nequaquam aut Augustinum explicare, aut ab ejus mente recedere permittitur; Alia momenta perpendamus, & alia ejusdem præclarissimi Doctoris testimonia. Hæc igitur proferantur, ut inde, an sit contra assertum nostrum intueri possimus. Est, inquit toties laudatus Cardinalis de Noris, argumentum illud, quo fateri cogimur, parvulos propter peccatum originale esse sub Dæmonis potestate constitutos. Rem ita esse in dubium revocari non potest, sive Evangelium legamus, sive Sanctum Augustinum, qui ex ejusdem Evangelii textibus, quales sunt illi Mar.3. *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget &c.* & Mat. 2. *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Infert, pœna sensibili ignis æterni esse torquendos, postquam enim dixerit ejici Dæmonem ab anima pueri in baptismate per exsufflationem & exorcismum lib. 3. oper. imperf. contra Julian.

lian. cap. 200. inquit de non baptizato. *Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus, quid miraris, in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur?* Amplius idem Doctor idem probat lib. 5. ejusdem operis cap. 6. inquiens. *An forte homines non sunt, qui eruantur de potestate tenebrarum, quarum tenet Diabolus principatum? Aut vero ita desipis, ut affirmes, eos sibi Diabolum non vindicare, quos possidet, & suæ potestati subditos tenet? Sed ut taceam de his, quos potestis dicere per suam malam voluntatem à Diabolo possideri: Quid dicturus es de illo, de quo Pater ipsius, Domino interrogante, respondit, quod ex infantia sua ab immundo spiritu vexaretur; Nonne membra ejus, & sensus, quæ omnia Deo authore instituta sunt, & communia impiorum piorumque sunt munera, Diabolus sibi, ut affligeret vindicabat?* Hoc postremum argumentum, inquit de Noris, nos valde torquere.

162. Pergit Eminentissimus toties & nuper laudatus; & postquam adduxerit verba illa Pauli ad Rom. 9. *Sic autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*, quæ vasa dicuntur etiam ab eodem Apostolo vasa contumeliæ, inquit, cum infantes sint hujusmodi vasa, quo loco illa Deus deputabit? *Deus*, inquit Fulgentius, *æterno semper arsura deputabit incendio*. Et Patres Africani in epis. Synod. cap. 13. *Vasa contumeliæ sunt, quibus dicitur, ite maledicti in ignem æternum*. Quod antea docuerat Africanæ Ecclesiæ Magister lib. 1. oper. imperf. contra Julian. in fine dicens. *Nos vero Deum quidem parvulorum opificem prædicamus, sed ex eadem massa medium locum vasis, ubi nec in honorem fiant, nec in contumeliam, quem non dedit Apostolus, non damus*. Sunt igitur parvuli contumeliæ vasa in domo Dæmonis, nec sunt à Christo erepta, proinde tenentur à forti armato custodiente atrium suum; at hanc captivitatis pœnam esse sensibilem quis inficiabitur? Pone, inquit, Principem alicujus subditi filios non solum exilio mulctare, & paterna etiam hæreditate privare, sed illos quoque tyranno cuipiam in mancipia divendere, haud sane exigua esset ista pœna captivitatis. At quæ pejor, quæ acerbior, quæ atrocior captivitas est, quam esse sub Dæmone? Hic Phalaride, Maxentio, Dionysio crudelior, tyrannorum omnium truculentissimus. Sequitur igitur &c.

163. Verum hæc ipsi non sufficiunt; notandum admonet quod docet S. Augustin. lib. 21. de civit. cap. 11. *octo genera pœnarum ex legibus esse: damnum, vincula, verbera, taliones, ignominiam, exilium, mortem, servitutem*. Hæc omnia parvulis infligi compertum est; Jam de aliquibus nos ipsi non negamus. De vinculis constat, cum sint captivi, de ignominia, cum sint ex dictis vasa contumeliæ, de verberibus, cum non sit putandus adeo mitis iste tyrannus, ut servos suos ne semel quidem flagris affligat, de talione affirmet S. August. qui enim cum suo primo parente noluerunt esse sub Deo, facti sunt servi sub Diabolo. *Justa damnatio subsecuta est*, ait lib. 14. de Civit. cap. 15. *talis quidem damnatio, ut qui custodiendo mandatum fuerat etiam carne Spiritualis, fieret etiam mente carnalis, & quia sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur; nec, sicut affectabat, in sua esset omnimoda potestate, sed à se ipso quoque dissentiens sub illo, cui peccando consensit, pro libertate, quam concupierat, duram, miseramque ageret servitutem; mortuus spiritu volens, & corpore moriturus invitus: desertor æternę vitę, etiam æterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus*.

164. Hæc omnia à nobis rejicienda sunt, & brevi quidem facilique negotio præstabitur; Quantum ad primum spectat, plura inutilia apposita sunt, ut probaretur. Neque enim nos in sententia il-

illius sumus, quem suppresso nomine vocat celeberrimum Theologum, asserentem, pęnam captivitatis peccato originali nequaquam debitam esse; Fatemur enim cum Concilio Trident. sess.5. de peccato originali. *Adamum cum posteris incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli*. Quod jam antea traditum fuerat in cap. *Sacerdotes* de Consecr. dis.4. cap. *Parvuli* cap. *Sicut nostris* & cap. *De hinc*, nec non à S. Cęlestino in epis. ad Epis. Galliæ cap. 12. Rursus nec assentimur Catharino dicenti; *Neque sub Diaboli perpetuo potestate erunt, quia & pro illis ejectus erit Diabolus foras in die novissimo, ut nihil juris habeat ulterius in illos*. Tandem nihil eorum dicimus, quæ ipse ratiociniis suis, pluribusque testimoniis evellere contendit; Sed revera fatemur, pueros sine baptismate esse sub Dæmonis potestate, & in igne æterno futuros, sed modo à nobis superius explicato; Quod vero dicitur de exsufflatione & exorcismo, utique hoc ab Ecclesia fieri ad majorem expressionem concedimus, quamvis tamen nec exsufflatio nec exorcismus fieret, adhuc per materiam & famam debitam id obtineretur nempe puer à Dæmonis potestate liberaretur, ut patet in iis, qui ab obstetricibus baptizantur; Subditos igitur tenebrarum Princeps parvulos tenet, neque nos locum medium affirmamus, quem locum excludere semper & tantum voluit Augustinus. Quod in secundo argumento, quod tanti existimatur, affertur, nullum omnino est, immo ostenditur nostræ favere sententiæ. Audi. Puer ille ab infantia sua à Spiritu immundo vexabatur; Certe hic infans innocens erat, & tamen permittebatnr à Deo Diaboli potestas in illum, ergo ex Diaboli potestate nihil potest inferri pro pęna peccati originalis; diversa tamen est potestas Diaboli in corpora, diversa in animas; corpora torquere sensibiliter potest, animas non potest, nisi propria voluntate se Diaboli potestati tradiderint. Quod corpus torqueat, ad alios fines Divinæ ostendendæ virtutis atque aliorum fidei excitandæ referri potest. Quod vero semper animas infantium sensibili pęna persecuturus sit, ad quem finem dirigi potest? ad Divinam, inquies, justitiam; Sed hoc à te probandum superest, & oppositum à nobis demonstratum est. Dedit Deus Diaboli potestati Jobi corpus, animam tamen servandam præcepit. Quod dederit corpus Jobi patientia, & Divinæ gratiæ virtus apparuit; Si animam dedisset, præter suæ Clementię ac statutę justitię fines actum esset.

165. Eodem pacto etiam concedimus, parvulos sine baptismate esse vasa iræ ac contumeliæ, omnis enim nascimur filii iræ, & perditionis, sed aliud est, esse hujusmodi filium voluntate propria proprioque peccato, aliud voluntate aliena, & peccato non personæ, sed naturę. Ira ac perditio prima utrumque sibi postulat pœnam, non secunda. De illa autem Apostolum loqui, ex ejusdem verbis manifesto apparet; dicit enim, *attulit in multa patientia vasa iræ* quod de infantibus vere dici non potest; Utique vasa hæc non solum originali, sed etiam actuali peccato fædata quo loco deputabit Deus, nisi æterno arsura semper incendio? in quo sensu loquuntur tam Fulgentius, quam Patres Africani; præsertim cum verba illa, *ite in ignem æternum* ad parvulos non pertinere jam diximus; distinguas igitur oportet iram, perditionem, contumeliam, maledictionem proprio reatu contractam ab illa, quæ tantum alieno. Utquid vero postremum Augustini testimonium adducitur? nonne clarum est, ibi tantum excludi locum medium? perpende verba; non est cur plura dicamus. Sint igitur parvuli contumeliæ vasa in domo Dæmonis, teneantur à forti armato custodiente atrium suum; captivitas hæc non est pœna sensibilis propter rationes à nobis adductas, nec

enim

enim Dæmoni, Tyranno illi, concessa est omnis facultas, sed ut justitiæ Dei ministro illa tantum, quam Dei justitia præscripsit ac definivit. Pœna correspondeat culpæ, immo sit mitior, dicit Clementissimus ac justissimus Dominus meus, cui gloria in sæcula, nec quidpiam præter hoc agere potest Tyrannus ille Phalaride, Maxentio, Dionysio truculentior. Quod si argumentum hoc probaret, quomodo sustineri posset pœna illa mitissima, quam parvulis infligendam dicit Augustinus? Mitissimum dicant Dæmonem, necesse erit; non erit ergo Phalaride, Maxentio, Dionysio crudelior.

166. Hinc ad alia progredimur, & omnia à nobis conceduntur in sensu à nobis exposito, præter verbera & talionem, illa quidem propter dicta num. superi. talionem vero, quia si nihil aliud afferatur ad hoc probandum præter dictum illud Augustini, ibi sermonem esse de Adamo, nemo non videt, in quo nil mirum, cum ipse propria voluntate & actu peccaverit; non sunt, ergo tanti facienda illa verba, de quibus dicitur. *Tene aurea Sancti Doctoris verba* nisi velit, aurea esse omnia, quæ ipse dixit, quæ tamen hujusmodi præsertim in hac sua Dissertatione non reperio.

167. Plura in alio capite congerit Idem Eminentissimus ex Conciliis Africanis & literis Innocentii Papæ deprompta, quæ à me tamen consulto prætereunda sunt, cum in illis contra Pelagianos sententias ferri compertissimum sit; Urget vero præsertim, quod in Africana Ecclesia adeo certum fuerit, pueros sine baptismo defunctos pœnis sensibilibus fore puniendos, ut id inter dogmata fidei sit relatum; Hoc autem ostendit ex libro Fulgentii Ruspensis Episcopi de Fide ad Petrum Diaconum, in quo quadraginta Dogmata ad Fidem pertinentia recitantur, & omnia incipiunt; *Firmissime tene & nullatenus dubites &c.* habentur autem in cap. 24. hæc verba. *Firmissime tene & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati sine Sacramento Sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali Conceptione & Nativitate traxerunt.* Et cum inde omnia capitula recitasset hæc habet. *Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende; & si quem contrarium dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, & tanquam Hæreticum abjice &c.* Tandem affertur Gelasius ex Africa ad Romanam Apostolicam Sedem evectus, qui in epist. ad Epis. per Picenum contra Senecam delirum Senem Pelagianum missa hæc scribit. *De parvulis autem quod asserit, sine baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est. Nihil est, ergo quod dicant, quod non renati infantes tantummodo in Regnum Cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur. Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimantur esse damnati. Tollant, ergo; de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt, locum. Et quia non nisi dexteram partem legimus, & sinixtram, non illos faciant in sinixtra Regione sine baptismate permanere, sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.*

168. Optime quidem hæc dicta esse non inficiamur, immo approbamus, sicut Pelagianum errorem proscribendum esse profitemur, aliud autem non probant præfata, & siquæ sint alia testimonia. Fulgentii mentem circa ignis supplicium ita exponimus, sicut Sanctum Augustinum exposuimus, & nota in ejusdem verbis hæc haberi, *originalis tamen peccati damnationem traxerunt*. Probent igi-

igitur, originalis peccati damnationem pœnas ignis sensibiles secum trahere; Hoc nunquam, nisi in sensu Pelagianorum, probabunt. Sed si ex Fulgentio id contendant, profecto invictum argumentum contra ipsos conficiam. Quod Fulgentius tradit tanquam Dogma Fidei recipiendum esse præscribit, hoc ex laudatis testimoniis eruitur, atqui parvulos torqueri pœna ignis sensibili, non est Dogma Fidei, ergo nunquam Fulgentius hoc docuit. Voluit tantummodo docere parvulos damnandos esse, neque tertium locum inveniri inter damnationem & beatitudinem supernaturalem, & hoc quidem esse Dogma Fidei fatemur. At dicit, hoc apud Africanos Patres tanquam Dogma Fidei receptum esse. Verum, est ne diversa fides apud Africanos? hæc una est, & quod Dogma Fidei Ecclesia Romana non declarat, ne dicas Ecclesiam Africanam recipere. Argumentum Norisium nimis probaret, & falsum omnino probaret, unde miror, tantum virum sui ratiocinii errorem non cognovisse. Magis tamen desipit in afferenda Gelasii Papæ auctoritate. Perpendantur omnia verba; *Sine baptismate pro solo originali non posse damnari satis impia, satis profana propositio est*. At nos fatemur damnari. *Nihil est ergo, quod dicant, quod non renati infantes tantummodo in Regnum Cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur*. Hoc à nobis nunquam asseritur. *Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quam decipiendis parvulis, faciunt locum*. Vide totum hoc esse contra Pelagianos tertium statuentes locum; Utique ipsi parvulorum erant deceptores, nequaquam nos, qui eos condemnandos esse apud inferos profitemur. Potius nos cum Scoto dicemus, adversarios nostros esse *puerorum tortores*.

§. XIV.

Nonnulla alia perpenduntur.

169. QUod usque modo arbitratu meo frustra protulerunt qui se Augustini Doctrinam sequi, ac in medium producere glorientur, aliis argumentis ex Patrum ac Scholasticorum sententiis amplius confirmare contendunt. Ducem volunt Hieronymum, qui inter Pelagium sub nomine Critoboli, & virum Catholicum sub nomine Attici Dialogos contra illum instituit; Critobolus ita opponit. *Oro te, quod infantuli peccavere? Nec conscientiæ eis delicti imputari potest, nec ignorantia; qui juxta Jonam Prophetam manum dexteram nesciunt, & sinistram; Peccare non possunt, & possunt perire, balbutiens lingua videtur, & æternæ miseriæ cruciatus miseris præparantur*. Atticus autem respondet, atque ex Apostolo peccatum originale probat, ut pueris tormenta injuste non infligi videantur. Verum huic, sicut superioribus respondemus. Iterum redit ad Fulgentium, qui lib. 1. de verit. prædestinationis & gratiæ cap. 14. ait. *Reddet unicuique secundum opera sua, ut non solum pro originali peccato æternis ignibus ardeant, (quibus arsuri sunt sine baptismate morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt) sed etiam &c.* Verum, non aliter intelligendum, quam Augustinum, sentimus.

170. Adducitur insuper S. Gregor. Magnus cum S. Isidoro Hispalensi; Illius testimonium 9. Moral. cap. 12. jam adduximus probaturi, infantes æterna morte esse plectendos, quare superfluo hic afferretur. Alter vero lib. 2. differ. spirit. num. 26. inquit. *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quę nisi pręcipiant baptismatis Sacramentum, Regni Cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne, & commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem*

ignem æternum; & lib. I. sent. cap. 22. ait. *Pro solo originali reatu luunt in Inferno nuper nati infantuli pœnas*. Verum, hoc ultimo testimonio nihil probari, satis apparet; quomodo vero verba illa priora, *in ignem æternum* accipienda sint, jam explicavimus. Atque eodem pacto omnes alios Patres, ut Avitum Antistitem Viennensem, Prudentium Episcopum Tricassinum, Anselmum &c. benigne interpretandos esse existimamus.

171. Dolet hic notus Cardinalis, quod post annum ducentesimum supra millesimum Christianę epochę novę opiniones à Scholasticis procussæ sint, eosque dicit, si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quanto Aristoteli explicando impenderunt, profecto Sancti Augustini sententiam obducturos non fuisse; Verum tanta, subdit, fuit vis veritatis, ac tantum Augustini auctoritas valuit; ut plerique etiam Scholasticorum pedibus in Augustini sententiam ierint. Hic affert Gregorium Ariminensem in Augustini lectione versatissimum, Augustinum Musęum, Michaelem Paludanum, Alphonsum à Castro, plures alios etiam ex Scotistis &c.

172. Melius & validius pro se dixisset, mente in Augustini sententiam ierint, quam pedibus, quos in disputationibus non timemus; Quod vero Scholasticos alios ita dilaniet, ut eos dixerit studia sua in Aristotelis lectione impendisse, nequaquam in Patrum voluminibus, non mediocrem affert, ut cœteros omittam, Sanctis Thomæ ac Bonaventuræ injuriam, hos in Sanctorum operibus fuisse quam maxime versatos, nemo, qui eos noverit, inficiabitur, & si quis fuit Sancti Augustini Doctrinæ verus Discipulus ac sectator, certe fuisse Sanctum Thomam sapientes omnes profitentur. Quamobrem plura alia prætereundo, quæ ex dictis rejecta sunt, nostram sententiam præferendam censemus.

QUÆSTIO II.

De Peccato Actuali.

§. I.

An recte dividatur peccatum actuale in veniale & mortale.

1. JAm peccati actualis definitionem juxta Augustini doctrinam attulimus sub hujus tractatus initio, videndum modo, utrum præter peccatum mortale admitti etiam debeat peccatum veniale. Hac in re divisionem hanc prorsus à medio sustulit primo Jovinianus, deinde Pelagius. Omnia peccata paria esse asserebat ille, ut colligitur ex S. Hieronym. lib. 2. adversus eundem, & S. Augustino ep. 29. ad Hieronym. quem commendat, tanquam hujusmodi erroris egregium destructorem. Pelagius vero per quodlibet peccatum gratiam Dei amitti docebat, & quia aliquos justos fateri debebat, aliquos sine omni prorsus peccato vivere posse affirmabat, ut pariter ex Hieron. in 1. & 2. dial. & S. August. lib. de hæresib. cap. 88. deducitur.

2. Errore isto proscripto non una fuit posteriorum Hæreticorum mens atque sententia. Aliqui docuerunt, omnia peccata mortalia esse, si per mortale intelligatur illud, quod mortem æternam inducere potest, si vero illud quod de facto æternam mortem inducit, si loqua-

quamur de reprobis omnia mortalia sunt, si de electis, omnia venialia; Ita Wicleffus, ut refert Thom. Waldens. tom.2. de Sacram. cap.155. Aliqui dixerunt, omnia opera hominum peccata esse, si in sui natura considerentur, venialia vero fieri ex sola Dei misericordia, quatenus à Deo non imputantur. Ita generatim loquendo omnes, quos Lutheranos Calvinianos appellamus, & tanquam universi pestem detestamur, & quamvis diversis modis terminisque se explicent, attamen ad idem collimant. Horum fundamenta à nobis evulsa sunt, dum hanc non imputationem peccatorum in tractatu de gratia rejecimus & à nobis demonstratum fuit, non omnia opera hominum esse peccata. Quare ad quæsiti resolutionem deveniendo.

3. Dicendum est; Dari præter peccata mortalia etiam venialia, proinde recte dividi peccatum actuale in mortale ac veniale. Hoc autem ostendimus primo ex Divinis Scripturis, quas quidem plurimas præterire debeo, cum de istis dicturus sim, ubi, si superi dabunt, de purgatorio sermo erit, eas tamen indicare hic possem, sed nolo paginam, ut cœteri solent, bis implere; quare brevioribus verbis sic, 1. Joan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Jacobi 5. *In multis offendimus omnes*: Proverb. 24. *Septies cadet justus, & resurget; impii autem corruent in malum.* Hisce positis, sic argumentor. In multis offendunt omnes, sed omnes mortaliter non peccant, ergo datur aliquod peccatum, quod mortale non est; & adverte, hoc à Jacobo dictum esse etiam de se ipso, qui tamen post acceptum Spiritum Sanctum erat in gratia confirmatus; proinde nunquam mortaliter peccavit. Idem argumentum fit ex textu Sancti Joannis. Ex ultimo vero infertur, justum cadere, sed adhuc justum permanere, alioquin nullum esset discrimen inter justum, & impium, qui peccando lethaliter corruit in malum, quod est ratiocinium Sanctorum Patrum, præsertim Ven. Bedæ in cap.3. Jacobi.

4. Sed quia de Sanctorum Patrum Ratiocinio loquuti sumus, liceat ipsorum mentem, qualis fuerit in hac re proferre, sed etiam istis paucis adducendis contenti erimus. S. Hieronym. in cap. 2. Jerem. inquit: *Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis*. S. August. in Ench. c.22. ait: *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorumdam mentimur, peccatum ergo est, sed veniale*. Testimonio hoc nullum clarius afferri potest; nisi forte afferatur alius ejusdem Sancti Doctoris lib. de nat. & grat. cap.38. ubi dicit; *Quia sæpe in levissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & justi fuerunt, & sine peccato non fuerunt*. Adnota, justitiam cum peccato componi, sed cum peccato mortali non componitur, ergo datur peccatum aliquod præter mortale, hoc aliud non est, nisi veniale, ergo datur peccatum veniale. Omitto Orig. homil. 35. in Luc. Tertul. in lib. de anima cap.17. Chrysost. hom.24. in Mat. &c.

5. Hinc non immerito Concilium Trident. sess. 144. cap. 5. duplicem distinguit pœnitentiæ materiam, unam necessariam, liberam alteram; illam dicit peccata mortalia, quæ in confessione necessario aperienda sunt, hanc vero peccata venialia, quæ utiliter aperiri fatetur. Hoc multo ante traditum fuit etiam in Concil. Milevitano cap.7. & 8. ubi docemur, peccata quædam etiam in hominibus justis sine justitiæ proprio detrimento reperiri, quæ tamen indigeant remissione; & nota, ibi à Concilio afferri illas Scripturas, quas nos attulimus, illam præsertim Joannis. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* Addo tandem in Bulla Pii V. renovata à Greg. XIII. inter alias propositiones hanc reperiri damnatam. *Nulla sunt peccata venialia ex natura sua.* Hoc pro Catholicis dico, non enim me latet ab Hæreticis risu accipi.

6 Ne-

6. Neque vero pro ſententiæ noſtræ veritate rationes deeſſe arbitrentur, quarum plures affert Bellarm. lib. 1. de amiſs. gr. cap. 11. mihi ſatis ſit dicere, quod ſicuti inter homines reperiuntur offenſæ graves amicitiam diſſolventes, & aliæ leves, quæ amicitiæ quidem fervorem minuunt, attamen amicitiam ſervant, ita in hominibus reſpectu Dei reperiuntur peccata gravia, quæ gratiam adimunt & juſtitiam, necnon peccata levia, quæ ſolum gratiæ fervorem impediunt; & quemadmodum non omnes corporis morbi graves ſunt mortem inducentes, ita non omnes animi morbi graves ſunt, & mortem inducunt, atque ideo non omnia ſunt peccata lethalia.

7. Quoniam vero, ut ſupra dictum fuit, hoc inquiunt contingere in electis non ſic in reprobis, ita ut omnia in reprobis ſint mortalia, in electis nonniſi venialia, ideo placet quid amplius ſubdere. Mat.5. nullo habito reſpectu ad prædeſtinationem vel Divinam miſericordiam ab ipſa rei peccatorum menſura declaratur, dicitur enim. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, qui dixerit raca, reus erit Concilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Minus igitur per ſe loquendo, eſt tantummodo interne ita leviter iraſci, ut quis in nullam vocem erumpat; Minus leve eſt in aliquam vocem erumpere, ſeu aliquod ſignum externum, quod tamen convicium non ſit; Grave autem, dum proximi contemptum & injuriam parit. Præterea. Luc.6. *Quid vides feſtucam in oculo fratis tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras*. Sunt igitur peccata, quæ comparantur feſtucæ, & quæ comparantur trabi; quod etiam explicatur aliis verbis Matt.23. *Cæci ſunt, excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Tandem. Adamus, David, & Petrus Apoſtolus erant prædeſtinati, & tamen eorum peccata mortalia fuerunt. *Quacumque die comederis morte morieris* dictum fuit Adamo Gen.2. quod non ſolum de morte corporis, ſed animæ intelligendum eſſe monent Sanct. Ambroſ. lib.2. de Parad. cap.9. & Sanct. Auguſtin. lib.13. de Civit. cap. 12. Davidis quoque peccatum lethale fuiſſe, nemo dubitat, qui ejus pœnitentiam & lacrymas non ignorat; Unde S. Auguſt. in pſ. 50. ſic eum loquentem ac deprecantem inducit: *De meo tam lethali vulnere deſperarem, niſi tantum medicum reperirem*. Suum quoque peccatum Petrus amare flevit, & de eo dixit idem S. Auguſtin. tract.66. in Joan. *Mortuus eſt negando, & revixit plorando*. Itaque &c.

8. Opp. 1. ex Scripturis in quibus peccati venialis ac mortalis nulla habetur diſtinctio, abſolute enim dicitur Deuter.17. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*. Et ad Rom.6. *Stipendium peccati mors*. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum*. Matt. 5. ideſt, ut explicat S. Th. non erit in Regno Cœlorum.

Reſp. in pluribus Scripturæ locis ſermonem tantum fieri de peccato mortali, & ita res ſe habet in adductis, aliiſque ſimilibus, in pluribus vero ſermonem eſſe etiam de veniali, quales ſunt illæ, quas nos adduximus; Quod ſi illa mandata minima vocantur; hoc verum eſt tantum in ſenſu comparativo, ſunt enim mandata pertinentia ad ſecundam tabulam, quæ minima ſunt comparata ad primum mandatum, quo fides, ſpes, & charitas præcipiuntur, ut declarat S. Auguſt. in ep. de ſerm. Dom. in monte. Præterea; nota verbum illud, *& docuerit* verbum autem Dei profanare, ſive detorquere etiam in minimis grave peccatum eſt. Tandem adverte, apud Scribas adulterium & amicorum odium grave peccatum erat, concupiſcere vero uxorem alienam, & inimicos odio habere leve exiſtimabatur, ideo dixit, *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis &c.*

9. Opp. 2. ex eo loco Joan. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum* per pedum autem lotionem pecca-

to-

torum venialium lotionem Sancti Patres intelligunt, præsertim S. August. in ejusdem loci comment. & S. Bernard. in serm. de Cœna Domini, ergo peccata venialia excludent à parte habenda cum Christo, sed ita non distinguuntur à mortalibus, ergo. Præterea. Mat. 10. legitur. *Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Ex quo sic licet ratiocinari. Opera bona quamtumvis minima merentur ęternam mercedem, ergo opera mala, quamtumvis minima supplicium æternum. Ratio autem esse potest, quia peccatum veniale est offensa infinitæ majestatis Dei, ergo ipsi debita est privatio ipsius Dei, per consequens pœna æterna.

Respon. Pedum lotionem considerari posse vel in se, vel ut affectam inobedientia obstinata ac resistente; In hoc secundo sensu est grave peccatum illam renuere, & ita Petrus non habuisset partem cum Christo, quia Christi voluntati obstinate restitisset; Quod si etiam absolute intelligenda essent illa verba, atque per pedum lotionem significari peccatorum venialium purgationem, non inde sequeretur quod Hæretici intendunt, nam non habere partem cum Christo vel potest intelligi ad tempus, vel pro semper; primum tantum est verum, siquidem peccata venialia licet non excludant ab hujusmodi parte, attamen retardant, donec purgentur. Ad 2. dictum illud Christi Domini libenter concedimus, sed dicimus etiam eum, qui venialiter peccat, sua pœna fore puniendum. Præterea non eodem modo loqui debemus de mercede, quo de pœna, mercedem enim tribuere spectat ad Dei liberalitatem, cujus est ultra condignum præmia largiri, pęnam autem infligere ad Divinam justitiam, cujus est punire citra condignum. Tandem. Opus bonum, etsi minimum meretur vitam æternam non ex se, sed propter charitatem à qua proficiscitur, ergo etiam opus malum minimum, & ex objecto leve reatum habet mortis æternæ, nisi fiat ex Dei contemptu, & tum fieret grave; Ex quo respondeas argumento. Ad rationem. Fatemur peccatum veniale esse offensam Dei, sed levem, ideo etiam levi pœna puniri debet.

10. Opp. 3. ex Patribus, vel asserentibus nullum esse peccatum existimandum ut parvum, ita S. Basil. in qu. compendio explicatis, quęst. 4. hujus rei etiam rationem afferens, quia videlicet Sanctus Paulus de omni peccato generatim pronuntiaverit, stimulum mortis peccatum esse, & quæst. 293. asserit, in novo testamento gravia & levia peccata non differre, vel dicentibus, etiam hominibus justis pertinescendum esse, nisi super exaltaret misericordia judicium; Unde lib. 9. Confess. cap. ultimo dicit. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Ex quibus inferri potest, peccata venialia non esse hujusmodi ex natura sua, sed solum ex misericordia Divina.

11. Sed præterea omittenda non sunt plura alia Sancti Augustini testimonia, de quibus sectarii non mediocriter gloriari possent; atque in primis in epist. 108. ad Seleucian. asserit, per plura peccata levia hominem in Infernum detrudi, de istis enim sic ait; *Si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & opprimen, sicut unum grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam, derelicta atque contempta, impleat navim, atque submergat?* Idem fatetur conc. 3. in psal. 118. Idem tract. 12. Joan. Idem tandem tract. 1. in epist. Joan. ubi hæc habet. *Ista levia; quæ diximus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis, expavesce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen. Multa grana faciunt massam.*

12. Re-

12. Respondemus tamen, etiam concessis omnino hisce dictis nihil contra nos probari; nam sequeretur ad summum, plura venialia non distingui ab uno mortali, non tamen non distingui unum mortale ab uno veniali, quo dato adhuc veritas asserti nostri locum haberet. Sed, ut verus Augustini sensus habeatur, dicendum, ibi loqui non in sensu formali, sed dispositivo, qui enim contemnit venialia sensim incidet in lethalia juxta illud Eccles. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet*. Et aliud Gregor. lib. 10. Moral. cap. 14. *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audacter etiam majora perpetramus*. Aptissimum in hac re exhibet exemplum S. Thom. 1. 2. qu. 88. art. 3. Vulnus enim leve si negligatur, paulatim gignit incurabile & letiferum apostema. Tandem ex laudatis verbis satis aperte colligitur, loqui Sanctum Doctorem de illis peccatis venialibus, quæ reducuntur ad unum moraliter, v. g. multa levia furta, facta uni personæ, faciunt unum furtum grande, perpende dicta, nec nostram reprehendes explicationem.

13. Superest, respondeamus argumento proposito in object. 3. num. 10. & quantum attinet ad Basilii testimonium, incertum omnino est; quæstionum illarum ipsum fuisse authorem; Hoc colligimus ex Sozom. lib. 3. hist. cap. 13. & Niceph. lib. 9. cap. 16. Demus tamen, fuisse Basilium, certe in iis aliud non intendebat, quam suadere, non esse contemnenda peccata quamvis levia, omnia enim sunt stimulus mortis vel formaliter vel dispositive, sicut dictum fuit, in quo sensu etiam non differunt à gravibus; Hoc præsertim valet, si attendamus eos, quos ipse instituendos susceperat, erant enim Monachi, in quibus, cum ad perfectionem teneantur, etiam peccata levia gravia existimantur. Ad aliud Augustini; Illud Væ intelligendum esse de pœnis purgatorii clare constat, etenim prius oraverat pro matre sua, quam piam & optimis moribus præditam commendavit, deinde addit. *Væ etiam laudabili &c.* Si autem hæc verba referrentnr ad damnationem æternam, superfluum & illicitum fuisset orare.

§. II.

Per quid peccatum veniale differat à mortali.

14. ETSI omnes Catholici peccatum, quod appellant veniale ab eo, quod dicunt mortale, sejungant, attamen in quo ipsorum differentiam collocent, non una est ipsorum opinio. Veniale hoc multifariam contingere posse, ita notum suppono, ut si dicerem, aliud esse hujusmodi ex suo genere & objecto, ut est ex. c. verbum otiosum, aliud ex parvitate materiæ v. c. furtum unius obuli factum diviti, & aliud ex imperfectione actus, ut subiti, ac indeliberati motus superbiæ, vindictę &c. Superflue omnino me dicturum existimarem. Aliam peccatorum venialium divisionem affert Eminentissimus Bellarmin. lib. 1. de amis. gr. & statu pecc. cap. 3. dicens, alia esse à causa, quod committitur ex ignorantia, vel ex infirmitate; & hoc non est veniale, ut prorsus à mortale distinctum, sed tantum opponitur mortali, quod committitur ex malitia, atque de illo loquitur Apost. 1. ad Timot. 1. cum dicit. *Fui blasphemus, contumeliosus, & persequutor, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*: Alia esse ab eventu, illa nimirum, quæ per pœnitentiam expiantur, & hoc etiam pacto non opponuntur absolute mortalibus, sed illis tantum, quæ reipsa non remittuntur, & ideo pœnitentiæ defectu ad mortem perducunt æternam. Alia esse ex natura & ratione peccati, quæ non sunt contraria charitati Dei & proximi, atque hæc propria ea sunt, de quibus nostra fit controversia, & de quibus sub initio paragraphi loquuti sumus.

Porro non quæritur de utriusque differentia accidentaria, & à posteriori, qualis esset, si diceremus, veniale illud esse quod punitur temporaria pœna, mortale vero illud, quod æterna, sed de primaria, ac veluti, ut inquiunt, essentiali.

15. Patres Thomistæ cum suo Doctore hic qu. 88. art. 1. & alibi docent, peccatum mortale illud esse, per quod creatura à fine recedit contra finem agendo, veniale vero illud, per quod recedit tantum à mediis, quæ sunt ad ultimum finem. Recentiores communiter dicunt, mortale à veniali distingui, quia illud ex natura sua sit grave malum, veniale sit leve. Ita Curiel, Hurtadus, Ovied. Aversa. Alii dicunt, mortale esse offensam Dei, minime autem veniale, in illo contineri contemptum Dei, quia ipsi creatura præfertur, nequaquam in isto. Ita Montesin. & Amic. Alii asserunt; Mortale esse contra legem Dei, veniale tantum præter. Pro hac sententia citantur S. Th. quæst. 88. art. 1. ad 1. Alens. Ricchar. Cajet. Medina, & plures antiquiores.

16. Fateor tamen nullum ex hisce Theologorum placitis satis quod intendimus explicare. Non primum; quod, ut breviter refellam, satis sit dicere, mortale peccatum dari posse etiam circa media conducentia ad finem, aliter violare castitatem, & justitiam non servare non esset hujusmodi; & certe aversio à Deo & conversio ad creaturam haberi potest non solum immediate, sed etiam mediate, aliter solummodo odium & blasphemia in Deum essent mortale peccatum, ergo. Præter quam quod, adhuc inquirendum superest, quare peccatum mortale sit hujusmodi aversio &c. proinde non explicatur prima ratio distinctiva ejusdem à peccato veniali. Non secundum, propter eandem rationem, quæro enim, quare unum sit grave malum, aliud leve. Respondet Aversa quæst.88. sess. 6. quia per unum aufertur gratia Dei, nequaquam per aliud, sed iterum inquiro, quare hoc contingat; & quidquid respondeant alii, semper idem redit, nisi alia prior ratio afferatur. Hoc idem probat contra tertium, & falsum omnino est, peccatum veniale non esse in genere suo offensam Dei, aliter injuste Deus illud puniret; & quamvis etiam hoc concederetur, adhuc peto, quare mortale sit offensa; & contemptus Dei, non sic veniale. Contra quartum est; etiam peccatum veniale esse contra legem, alioquin non esset actus malus, sed solum indifferens; omne enim quod à nobis geritur, vel præcipitur vel prohibetur, vel permittitur; Si præcipitur, vel prohibetur, illud servare, vel relinquere necesse est; Si vero permittitur, sive servetur, sive relinquitur, nec bonum, nec malum est; Sed hic advertendum cum Scoto in 2. dis. 41. legem Divinam bifariam accipi posse, primo ut præcipit aliquid necessarium omnino ad assequendam vitam æternam, juxta illud Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* & ut minus proprie obligat ad servandum aliquid non necessarium, sed utile ad eundem obtinendum. Esto peccatum veniale non sit contra primam Legem, est tamen contra secundam, etenim etiam non furari in parva quantitate, nec otiose mentiri, vel jurare, præceptum Dei est, & dissonum rectæ rationi.

17. Hac de re dixerunt aliqui, hanc arbitrantes esse Scoti sententiam in 2. dis. 21. quæst. 1. peccatum mortale esse contra præceptum, veniale contra consilium, atque, ut hoc rejiciant, afferunt, aliquid esse contra consilium, nec tamen esse peccatum etiam leve, dicit enim Apost. 1. ad Corint. 7. *De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do, &c.* nec tamen nubere peccatum etiam leve est, ut idem, ait in eodem capite. Sed ita Scotum non respuerent, si ejus mentem in ejusdem scriptis perlegendis assequuti fuissent. Quemadmodum enim Scotus duplicem legem distinguit, unam præcipientem ne-

necessaria ad obtinendum finem, aliam præscribentem utilia, ita dupplex distinguit consilium; Unum pro monitione libera à debito ad aliquod necessarium, aliud pro monitione libera à debito ad aliquid utile; Dum in re nostra inquit veniale esse contra consilium, loquitur de consilio primo modo sumpto, non secundo, & ideo consilium, contra quod est peccatum veniale, est præceptum de re utili. Hoc manifestum est, si Doctor subtilis legatur in prælaudato loco, ubi docet, peccatum lethale esse deordinationem oppositam ordinationi, sine qua finis nullo modo haberi potest, veniale vero esse deordinationem oppositam ordinationi, quæ necessaria non est, sed utilis ad assequendum finem idcirco non dicit absolute veniale esse contra consilium, sed quasi consilium, idest non esse contra præceptum stricte obligans, sed obligans aliquo modo.

18. Quamobrem est alia sententia docens, peccatum mortale differre à veniali, quia illud est contra præceptum alicujus necessarii ad consequendum Deum, hoc vero contra præceptum alicujus utilis ad eundem finem. Hæc est vera Scoti sententia, ut interpretantur celebriores ejusdem Discipuli, & cui adhærent etiam præter plures recentiores, Salmant. quorum mentem exponit Paulus à Conceptione.

Rem ita esse sic probo. Primo ex aliarum sententiarum confutatione. Secundo; Illam propriam, ac primariam differentiam inter peccatum mortale ac veniale recte statuimus, quæ advenit alicui communi utrique peccato, & per quod utrumque discriminatur, sed juxta sententiam nostram hoc præstamus, ergo. Major constat in omnium rerum speciebus, & hoc pacto defendimus cum Scoto in 4. dis. 21. quæst. unica, generice enim loquendo mortale & veniale univoce conveniunt. Prob. mi. per id unum ab altero discriminatur, à quo profluunt cœtera utriusque peccati discrimina ut patet in rationalitate, à qua dimanant alia, per quæ distinguitur homo à quocumque alio, sed ab eo, quod à nobis asseritur, dimanant omnia utriusque peccati discrimina, ergo. Prob. mi. Quod peccatum mortale avertat ab ultimo fine, auferat gratiam & amicitiam Dei, sit malum grave inducens æternæ pœnæ reatum ex alio non oritur, nisi quia est contra præceptum alicujus necessarii ad beatitudinem consequendam, contrarium vero dici de peccato veniali, oritur quia est contra præceptum alicujus tantum utilis ad eandem, ergo. Hinc nequaquam peccatum mortale desumendum est ex gravitate materiæ, veniale vero ex parvitate, sed à præcepti obligatione, & ideo etiamsi ex parte materiæ levia præciperet Deus tanquam necessaria ad vitam æternam, adhuc transgressio peccatum mortale diceretur. Manifestum est hoc in primo præcepto primis parentibus imposito, erat enim de non comedendo de illo ligno. Non inficior tamen, etiam à gravitate materiæ desumi, sed nisi urgeat præceptum, hæc peccatum mortale non constituit, proinde de secundario se habet, non de primario. Ut igitur agnoscere possis, quodnam sit mortale, & quodnam veniale peccatum, attende, quomodo aliquid præceptum sit, non ex tua voluntate corrupta, non ex tua cupiditate, & consuetudine, quæ prævertunt regulam veritatis, sed ex Scriptura, ex traditione, & ex legibus sive civilibus, sive canonicis, nec non tandem ex pœna alicui actui determinata.

19. Ex hisce plura resolvenda sunt; & primo; finem actualem peccantis venialiter esse proprium bonum, qui enim venialiter peccat, refert suum actum ad se ipsum, vel propter aliquam utilitatem, vel voluptatem, quam concipit & aprehendit in objecto. Secundo finem habitualem esse Deum, proprium namque bonum, propter quod operatur venialiter peccans, non est causa, ob quam contemnatur Deus, & destruatur charitas,

tas, ergo adhuc retinetur finis habitualis charitatis, qui est Deus. Tertio ipsum finem actualem subjectum esse fini ultimo habituali, ut ostendit S. Th. hic qu.88. art.1. ad 3. ratio est, quia qui ob bonum proprium venialiter peccat, ab actione illa, in qua peccatum veniale consistit, abstineret, si charitati Divinæ opponeretur, ergo bonum proprium subjicitur Deo, quod in peccante mortaliter non contingit.

§. III.

An peccatum veniale conjunctum mortali puniatur pœna æterna.

20. NUllam quæstionem promoveo de pœna debita peccato veniali, si repariatur in subjecto, in quo non sit mortale, etenim hoc puniri solum temporanea pœna constans est omnium Theologorum & Catholicornm assertio, quare etiamsi homo decederet, quin in hac vita remissum esset quo ad culpam, adhuc in purgatorio remitteretur propter actus dilectionis & patientiæ, ut docet S. Thom. in 4. dis.21. q. 1. art.2. quamvis enim per actus istos non habeatur augmentum vel gratiæ, vel gloriæ, culpæ tamen venialis obtinendæ veniæ sufficiunt; & ratio esse potest, quia actus, qui in purgatorio exercentur, nec sunt omnino in via, ideo augmentum gratiæ mereri non possunt, nec sunt omnino in termino, ideo aliquid mereri possunt. Non defuerunt tamen, qui dicerent, peccata venialia, remitti in ipsa morte per gratiam finalem, quod utrum verum sit, nec ne, nolo ad disputationem deducere.

21. Suppono præterea, peccatum mortale æterna pœna esse puniendum, quod infra declarabo, quapropter, cum peccatum veniale conjunctum cum mortali puniendum sit in Inferno, in quo nulla esse potest peccati remissio, quæritur utrum illud etiam æternam pœnam sit subiturum. Est Thomistarum opinio cum S. Thom. quæst. 87. art. 3. per accidens & propter conjunctionis circumstantiam ęterna pęna esse puniendum, & idem dicendum etiam de peccato mortali, quod prius quoad culpam remissum fuerit. Hanc sequuntur plures ex recentioribus Vasq. Suarez, Salas, Montesin. Lezana. Est alia opinio media distinguens peccatum veniale in remissum quoad culpam & in non remissum; Si de primo fiat sermo, inquit, ipsius pœnam non futuram æternam, secus vero si de secundo. Hanc exponit Durand. in 4. dis.21. quæst.2. & defendunt Lorca, Aversa, Amicus &c. Scotistæ tandem cum suo Doct. in 4. dis. 21. quæst.1. sustinent, peccatum veniale sive dimissum quoad culpam, sive non dimissum etiam cum mortali conjunctum solum temporanea pœna mulctari, & idem dicunt de peccato lethali quoad culpam remisso. Hanc amplectuntur Nominales, & inter recentiores Vega, Navarrus, Arriaga.

22. Hæc & mihi probabilior videtur, atque eam sic probo. Peccato veniali, sive dimisso quo ad culpam, sive non dimisso, neque per se, neque per accidens debita est pœna æterna, ergo. Primam antecedentis partem concedunt adversantes Doctores; Prob. secunda, si per accidens ipsi debita est pęna æterna, est propter conjunctionem cum peccato lethali, sed hoc non, ergo. Prob. mi. Primo. Hæc conjunctio non extrahit peccatum à linea peccati venialis, ergo neque illud extrahit à linea pœnæ debitæ peccato veniali, sed hæc non est æterna, ergo. Unde sic brevius; peccatum veniale neque per accidens, sive per conjunctionem cum peccato lethali, fit lethale, ergo ipsi neque per accidens debita est pęna statuta pro peccato lethali. Secundo. Peccatum veniale per conjunctionem cum peccato lethali, non punitur pœna intensive majore, ergo neque pœna majore extensive; Rursus. Peccatum veniale per conjun-

junctionem cum lethali non recipit malitiam majorem, aut fit major offensa Dei, ergo neque debet magis puniri; proinde &c.

23. Inter plura, quæ contra hæc dici possunt, unum afferam, & fortasse in uno omnia pertingam. Itaque dicunt, culpam conjunctam cum peccato lethali fieri irremissibilem, cum enim in hac vita retractata & deleta non fuerit, & ex alia parte retractari & deleri non possit in Inferno, semper habitualiter perseverat, atqui perseverante culpa debet perseverare & pœna, ergo. Neque dicas, per hoc probari, etiam in purgatorio culpam venialem non posse remitti; quia post hujus vitæ cursum non datur amplius locus merendi, vel demerendi; etenim valde dispar est ratio, siquidem in purgatorio datur, ut inquiunt, satispassio, quæ per habitum gratiæ & charitatis voluntarie suscipitur in præteritę culpæ conpensationem; at in Inferno patiuntur quidem damnati, nunquam tamen culpam retractantes ac de ipsa dolentes, immo in eo miseriæ & tenebrarum loco peccata commissa per odium contra Deum non solum habitu sed actu perseverant, debet igitur & perseverare supplicium, sicut, si quis ob verba turpia puniretur, si inter ipsa verbera turpia loqui non desineret, merito verbera nunquam cessarent.

24. Sed contra. In primis valeret hoc argumentum de peccato veniali non remisso in hac vita quo ad culpam; Sed quia revera idem dico etiam de eo nullo pacto remisso, ideo nego, culpam venialem etiam conjunctam cum lethali fieri apud inferos irremissibilem, quamvis enim ibi nequeat dari satisfactio, ad quam spectat patientia ac voluntarietas in tolerando, & quæ valet pro peccatis adinstar meriti moralis, pro quo Deus pœnam dimittit, est tamen satispassio, per quam solui potest quantum justitia exigit, etiamsi involuntaria sit & invita. Ostendit hoc Doctor subtilis exemplo ab humanis desumpto; Si crimen committatur, cui ex vi legis debita sit manus abscissio, abscissa manu quamvis involuntarie & invite, post hanc satispassionem nihil ulterius legislator potest exigere titulo illius criminis. Et profecto nihil proficit animabus in purgatorio existentibus patientia & tolerantia, & nihil nocet damnatis odium & impatientia; quamvis enim illæ patienter suas pęnas sustineant, adhuc luere debent pro culpæ demerito, & quamvis isti invitè & rabide patiantur, adhuc non patiuntur nisi juxta prioris culpæ reatum. Non est igitur post hanc vitam attendenda satisfactio, sed satispassio, hæc culpæ consentanea esse debet; Quod si peccato veniali secundum se æterna pœna non est debita, neque conjuncto cum mortali esse debet, uti probatum fuit.

25. Superest modo refellamus id, quod de retractatione dictum fuit, ita ut apud inferos non solum habitu, sed etiam actu perseveret culpa venialis; Si hoc postremum perpendo, nullo pacto concedere possum, etenim post hanc vitam nullus actus, qui vel peccato vel merito adscribi possit, affirmari debet, nec ulla pœna vel præmium ipsi correspondet; Itaque ad perseverantiam peccati habitualem sermonem convertamus; Fateor, in purgatorio culpam retractari, fateor in Inferno non retractari; sed nihil ad rem. Probo. Nihil ad rem, si quantitas pœnę non debet correspondere non retractationi culpę, res ita se habet, ergo. Prob. mi. Demus peccatum veniale in duobus æquale, vnus statim retractet, ac confiteatur, alius post annum tantum, vel etiam plures, ex vi retractationis nihil plus meretur ille, ex vi non retractionis per plures annos nihil plus demeretur alius, ergo quantitas pœnæ non debet correspondere non retractationi; Cui ergo correspondebit? gravitati culpæ, vel ejus physicæ durationi, quando peccatum commissum est; Idcirco, quamvis peccatum veniale habitualiter æternum perseveret, illi tamen alia pœna non

sta-

statuatur, nisi illa, quæ est ipsi statuta, dum commissum fuit in hac vita; Quod si admitteretur opposita sententia, recte infert Arriaga, gravius punienda esse plura venialia, quam unum tantum lethale; supponamus enim propter mille peccata venialia debitam esse per unicum diem pœnam intensam ut sex, & uni peccato lethali pœnam ut duo, qui peccasset venialiter, & decessisset cum lethali, æternum puniretur propter venialia pœna ut sex, propter lethale ut duo, ergo. Hoc autem inauditum est, nam sicut venialia ad quemcumque numerum protracta nunquam in gravitate æquari possunt mortali secundum culpam, ita neque secundum pœnam.

26. Tandem supponamus, aliquem decessisse cum culpa veniali non retractata sine aliquo lethali actu patrato, sed solum cum originali, hic propter originale jam damnabitur, & propter veniale pœna sensus mulctandus erit, & quidem æterna, quia nunquam retractabitur, sed hoc non, ergo. Prob. mi. Pęna debita peccato originali est solum pœna damni, uti nos probavimus, & concedunt Thomistæ aliique Doctores præter illos, quos adduximus ubi hęc res ad examen vocata est; peccato veniali indebita est pœna æterna sensus, nec illi potest hæc convenire propter peccatum originale, ergo. Quod huic argumento respondeant Thomistę, hic omitto; Quod vero dicunt alii cum Salas, nimirum, decedentes cum originali, cui tantum conjunctum sit veniale, habituros esse amorem naturalem erga Deum, & æquo animo toleraturos esse illam pœnam, proinde pro peccato veniali satisfacere posse, hoc sine aliquo fundamento affirmatur, nec aliquid certi afferri potest; & licet de amore naturali concederetur, hic tamen in hoc statu naturæ elevatæ insufficiens est. Tandem de illa tolerantia satis dictum est. Hisce omnibus adde, eam esse Divinæ Clementiæ magnitudinem, ut pœnas infligat citra condignum, præmia vero ultra condignum, quod axioma, alioquin Theologicum, licet à pluribus negetur, nec expresse in Patribus habeatur, attamen à nostris in hac re adversariis admittitur, nec enim contra aliquos contentionis studiosos rem volo instituere peculiarem.

27. Opp. 1. Si veniale conjunctum mortali æterna pæna non plecteretur, esset in Inferno aliquis locus consolationi, immo contra Scripturas & Patres daretur aliqua redemptio, sed hoc non est dicendum, ergo. Præterea; Satispassio pro culpa & pro pœna est aliquo modo satisfactoria, sed sine statu gratię nulla potest esse satisfactio, ergo. Rursus, possemus licite orare pro damnatis, ut nimirum eis dimitterentur pœnæ, quæ debitæ sunt peccatis venialibus, vel lethalibus quo ad culpam remissis; sed hoc prorsus inauditum est, ergo.

28. Resp. revera in Inferno nullam esse redemptionem, quia inde nunquam evadent damnati, neque pro remissione pœnæ venialibus debitæ applicabitur aut aliqua fidelium deprecatio vel indulgentia, sicut applicatur pro animabus existentibus in purgatorio, sed totam pœnam luere ac subire debebunt; neque ex termino hujusmodi pœnæ erit aliqua positiva consolatio aut quies in ipsis, cum pœna correspondens peccato lethali nunquam remisso, aut remittendo omnes animæ facultates maximo in tormento detineat, & quemadmodum si nullum haberetur veniale aut mortale semel remissum, pro quo pati deberent, nullum solatium sentirent, ita etiam expleta satispassione pro illis, nihil sentiunt refrigerii. Ad secundum jam dictum fuit, hanc satispassionem nullo pacto ad satisfactionem meritoriam, ad quam requiritur status gratię pertinere. Ad tertium constat, orationes & suffragia nihil ipsis prodesse, cum ipsorum pęna solummodo per satispassionem debeat finem accipere. Cœtera, quæ opponi possunt, rejecta sunt in superioribus, si rectè perpendantur.

29. Quia

29. Quia vero dictum fuit num. 26. si aliquis decederet cum solo originali conjuncto cum veniali &c. & Thomistæ negant absolute, hoc fieri posse, ideo operæ pretium est, indagemus, utrum hoc dici possit necne. Duo pro sententia sua momenta proponit S. Th. qu. 89. art. 6. Primum est, quia si quis moreretur cum originali conjuncto soli veniali, nulli loco deputandus esset, non in Inferno, quia hic tantum statutus est pro peccato mortali actuali, non in Limbo, quia hic statutus est soli peccato originali, non in Purgatorio, quia hoc statutum est illis, qui in gratia & charitate decedunt cum debito subeundi aliquam pœnam temporaneam, proinde &c. Huic sufragari videtur Concilium Florentinum, quod in litteris unionis supponit, omnes decedere vel in peccato mortali, vel cum solo originali, inquit enim. *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*. Idem præterea supponitur ab Innoc. III. cap. *majores* de baptis. ubi docet, adultis aut amentibus non posse dimitti peccatum originale, sicut parvulis, per baptismum sine proprio actu, quia non potest deleri originale sine mortali, ergo adultus habens originale habet etiam mortale. Horum autem ratio est, quia, & est fundamentum Sancti Thomæ secundum. Vel homo statim ac pervenit ad usum rationis se convertit ad Deum, vel se non convertit, si primum, jam remittitur peccatum originale, si secundum, jam lethaliter peccat; supponit autem hoc argumentum, hominem pro primo rationis usus instanti teneri ad hujusmodi conversionem; Ut vero præceptum hoc esse probetur, hæc afferri possunt. Si quis alterius curam gerit, statim ac hic potest male agere, debet hunc ad bonum promovere, ergo multo magis debet quis promovere se ipsum statim ac habet rationis usum, quia tunc potest bene, vel male operari. Secundo. Homo ad rationis usum perductus debet de se ipso cogitare, judicare, ac statuere ad quem finem conditus sit, & per quæ media possit ad hujusmodi finem pervenire, ergo in primo rationis usus instanti debet se ipsum ad ultimum finem dirigere, ac convertere. Hisce tamen aliisque similibus non obstantibus.

30. Oppositum est sentiendum, quę opinio communis est apud Doctores cum Scoto in 2. dis. 21. quæst. 1. in 4. dis. 17. quæst. unica art. 2. Idem docuit S. Bonavent. in 4. dis. 21. art. 1. qu. 1. Sequuntur Suarez, Vasqu. Valent. Avertor. &c. immo aliqui ex Thomistis fatentes hanc Sancti Thomæ opinionem esse nimis duram & creditu difficilem, eum deseruerunt, ut testatur Alvarez qu. 89. art. 6. disp. 191.

Porro multifariam assertum hoc probari potest, sed, si ostendatur fundamentum contrariæ assertionis infirmum esse, satis, quantum nostra interest, actum erit. Plura autem pro hac re observo. Primo usum rationis indivisibiliter non haberi, unde usus rationis imperfectus, qui sufficit ad peccandum venialiter, antecedit perfectum, qui requiritur ad peccandum lethaliter; Secundo. Pro primo illo instanti potest quis invincibiliter hujusmodi præceptum ignorare, præsertim si puer ethnicus sit, ergo illud, etiamsi revera daretur, non observando, non peccaret, ex alia parte ab ipso proferri verbum otiosum aut quid simile, nihil est, quod prohibeat. Tertio præceptum diligendi Deum saltem pro primo instanti rationis non potest obligare sub lethali, ut patet in aliis gravibus præceptis, quæ in sui observatione aliquam dilationem patiuntur & permittunt, pro hac autem aliqua dilatione poterit quis peccare venialiter. Quarto. Ad delendum originale non sufficit quęcumque dilectio & conversio ad Deum, sed esse debet ad ipsum, ut authorem supernaturalem, esto autem puer pro primo rationis instanti diligeret Deum ut authorem naturalem, quod quidem postu-

postulat rationalis creaturæ conditio, non tamen diligere &c. proinde non justificaretur, & ex alia parte cum illa dilectione posset componi aliquod veniale, ergo. Tandem. Data sententia opposita, deberet quis statim ac potest se mundare à peccato originali, sed hoc est falsum, ergo. Prob. mi. non debet quis, statim ac potest, mundare se à peccato actuali, ergo neque à peccato originali, ant. est omnium doctorum.

31. Hinc apparet, quam falsum sit quod num.29. dicebatur, & quomodo refelli debeat id, quod ad probandum illud præceptum allatum est; rejiciamus oportet quod priori loco oppositum est; & ad primum non placet communis responsio dicentium, ad Divinam providentiam pertinere, ut non permittat hominem in tali statu è vita migrare, sed juxta principia à me statuta dico, propter originale pœnam damni futuram æternam, propter veniale vero conjunctum pœnam sensus futuram esse temporaneam, donec per satispassionem fuerit soluta, quare sic decedentis anima perpetuo in limbo futura erit, & parum refert, scire locum, dummodo pœnam sciamus. Ad decretum Florentini; In eo neque statuitur locus pro illis, qui decedunt cum mortali & originali simul, quod tamen de pluribus infidelibus negari non potest; loquitur igitur Concilium juxta ordinarium modum, quo solent ex hac vita animæ migrare, quamvis enim originale pro aliquo brevi tempore, possit esse cum solo veniali attamen status iste diu haberi non potest, ad quam quæstionem, Scholasticam utique, mentem non habuit. Idem dicendum pro textu Innocentii; nisi velis dicere, adultis non esse baptismum conferendum, si dormiant, quia per proprium consensum habere non possunt propriam dispositionem ad gratiam per baptisma conferendam.

§. IV.

Quænam sit causa peccati effectrix physica.

32. Iterum contra Hæreticos agenda res est; sed prius plura explorata esse volo. Primo causam propriam & effectricem peccati non esse Dæmonem, vel hominem alium, etenim isti proponere possunt malum ac suadere servata tamen libertate in hominis voluntate ad sui determinationem. Unde Augustinus, vel quisquis sit author, hom.12. inter 50. ait: *Non Diabolus cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit, dat quidem ille consilium, sed Deo auxiliante nostrum est eligere, vel repudiare quod sugerit.* Secundo causam hujusmodi non esse con- concupiscentiam, hæc enim quamvis rationis usum aliquantulum perturbet, ac impediat, rationem tamen ac libertatem penitus non adimit; aut vis concupiscentiam esse inordinationem radicalem etiam in parvulis baptizatis remanentem, aut motum inordinatum appetitus sentientis, quam S. Thom. sensualitatem appellat; at neutro modo considerata physice movet voluntatem, non primo, quia sic est merus habitus sine aliquo actu, qui etiam in parvulis & dormientibus reperitur, non secundo, nam vel illi motus ita rationem præveniunt, ut voluntas illos præcavere non potuerit, & tunc formaliter peccatum non committitur, vel rationis usum subsequuntur, & tunc potest voluntas ipsis obsistere, juxta illud Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

33. Neque contra hoc est quod scribit Jacobus in sua epis. cap. 1. *Unusquisque vero tentatur à concupiscentia abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, pacit peccatum*; ad quod etiam revocari potest, quod tradit S.Th. qu.74. ad 3. *Motus*, inquit, *sensualitatis rationem prævenientes esse peccata venialia*, & p. qu.41. art.1. a t.

Ten-

Tentatio, quæ est ab hoste, potest esse sine peccato, quia fit per solam sugestionem, tentatio autem, quæ est à carne, non potest esse sine peccato, quia hujusmodi tentatio fit per delectationem & concupiscentiam. Ideo etiam S. Augustinus dicit, *non nullum peccatum esse, quando caro concupiscit adversus spiritum, & propterea Christus tentari voluit ab hoste, sed non à carne*.

34. Non inquam contra hoc est, nam à concupiscentia oriri tentationem & ab ipsa progredi peccatum, sunt duo valde diversa, hoc secundum non fit, nisi quando ipsa conceperit, concipit autem accedente voluntatis consensu, quod præclare indicavit S. August. lib.6. contra Julian. cap.15. hisce verbis. *Profecto partus à pariente discernitur, pariens enim est concupiscentia, partus est peccatum, sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum, quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum*. Quod spectat ad S. Thom., in priori loco intelligendus est de motibus sensualitatis prævenientibus plenam & perfectam non omnem prorsus rationis advertentiam, subdit enim, motus illos esse imperfecte humanos actus, non est autem aliquis actus humanus etiam imperfectus sine aliqua rationis advertentia, in posteriori vero distinguit tentationes illas, quæ sunt à Dæmone vel Mundo, ab illis, quæ sunt à carne, easque dicit nec materiale nec improprium peccatum esse, nullamque inordinationem in anima ponere, & ideo illas Christum etiam pati potuisse, ac voluisse; tentationem vero carnis esse peccatum improprium & materiale, ut dictum fuit in proprio loco, quia est vitium naturæ corruptæ per peccatum originale, quod esse in Christo non poterat. Cœterum dici potest, motus istos concupiscentiæ non omni culpa persæpe carere, cum crebro ratio non satis invigilet, ne insurgant, nec omnino conatur ad illos compescendos.

35. Difficultatem majorem nobis excitant Hæretici impie volentes non solam pravam hominis voluntatem esse causam physicam effectricem peccati, sed Deum ipsum, contra quos.

Dicendum. Nullo modo Deum esse causam physicam vel moralem effectricem peccati.

Hoc in primis tradunt Sacræ Scripturæ. Deuter. 32. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate*. Ecclesiast. 15. *Nemini mandavit impie agere; Non dicas, per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris, ille me implanavit*. Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Præter alia plura veteris testamenti. Ex novo autem ecce alia, Joan. 3. *Qui facit peccatum ex Diabolo est*. Et prima Jo. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*. Ad Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit; alioquin quomodo Deus judicabit hunc Mundum*. Ad Roman. 9. *Nunquid inquitas apud Deum? absit*. Jacobi 1. *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat*. Tandem si Deus prohibet & punit peccatum, quo pacto esse potest causa peccati? *Nihil odisti eorum quæ fecisti*. Dictum fuit de Deo.

36. Suadent secundo plurima Sanctorum Patrum testimonia. Sanctus Justinus in Dial. cum Triph. ait: *Illud quoque ante docui, Deum non esse causam, cur ji, quorum peccata ante cognita sunt, sive Angeli, sive Homines improbi efficiantur, sed sua quippe culpa talis est*. Clemens Alexan. lib. 1. Pedagogi c. 8. inquit, *Culpa est ejus, qui eligit, in Deum autem culpa conferri nequit*. Sanctus Athanſ. in orat. contra idola dicit: *Non ex bono malum neque in eo est, neque per eum; Alioquin pro bono haberi non posset, cum aut miscellaneam contrariamque naturam haberet, aut causa, authorque malorum existeret*; Prætereo Basilium hom. 2. de op. sex dierum,

Gregor. Nyſſ. lib. 7. Philoſ. cap. 1. Nazianz. orat. 1. in Julian. Chryſ. hom. 23. in act. Apoſt. & afferendo ſolum Epiph. Hær. 66. ſic habentem. *Abſurdum eſt, malitiam Deo tribuere, & Divinæ, ac Eccleſiaſticæ Scripturæ, character hoc confitetur, Deum penitus alienum à malo eſſe, Deus enim nihil mali fecit, ſed omnia valde bona &c. Neque igitur malum ſemper erat, neque ex Deo factum eſt malum.* Et infra hoc magis explicat, declaraturus cauſam peccati; *Juxta permiſſionem liberi arbitrii omnibus propria voluntate uti concedit, ut quiſque quod voluerit, faciat, quod ipſe quidem malorum cauſa non ſit &c.* afferendo inquam ſolum Epiphanium, me ad Sanctum Ambroſium; Hieronymum, & Auguſtinum reduco.

37. Sanctus Ambroſius præter ea, quæ ſcribit lib. de Parad. cap. 15. lib. 1. Exameron. cap. 8. hæc ibidem habet. *Eradicari hanc* (intellige malitiam) *Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo ipſe eam generaret, cum clamet Propheta, deſinite à malitiis veſtris? & præcipue S. David; Deſine à malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Eccleſiam putaverunt.* Vide, etiam tempore hujuſce S. Doctoris eum fuiſſe errorem, quem noſtri novatores excitarunt.

38. S. Hieronym. præter ea, quæ habet in Com. 1. cap. ad Eph. & lib. 12. in Iſa. & in 1. lib. contra Pelagian. ita ſcribit in Com. cap. 7. Eccleſ. in illa verba, Deus creavit hominem rectum. *Ne videretur, Deum auctorem mali facere, argute præcavit, & ait, nos à Deo bonos creatos, ſed quia libero ſumus arbitrio derelicti, vitio noſtro ad pejora delabi.*

39. Si tandem, ad Sanctum Auguſtinum mentem calamumque revocamus, pene in omnibus ejuſdem libris veritatem hanc reperimus, præſertim vero in tribus, quos præcipue hac de cauſa ſcripſiſſe, quiſquis, qui leget, intelliget; aliqua tamen nos adducamus, per quæ etiam facilius rejicientur, qui perperam nobis opponentur, in ep. 105. ad Sixtum. *Iniquitatem, quam rectiſſima veritas improbat, damnare novit ipſe, non facere.* Lib. 13. de Trinitat. cap. 12. *Modus, quo traditus eſt homo in Diaboli poteſtatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri juſſerit, ſed quod tantùm permiſerit.* Lib. 5. de Civit. cap. 9. *Sicut omnium creator eſt, ita omnium poteſtatum dator non voluntatum; Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* In lib. de ſpir. & lit. cap. 31. *Nuſquam legimus, non eſt voluntas niſi à Deo, & recte non ſcriptum eſt, quia verum non eſt; Alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo, quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus, ideſt, ſi non habet poteſtatem.* Denique, ne infinitus ſim, tract. 12. in Joan. *Quaſi duæ res ſunt, homo & peccator, quod audis hominem, Deus fecit, quod audis peccator, ipſe homo fecit.* Hanc Auguſtini Doctrinam tenuerunt perpetuo S. Proſper & Fulgentius. Primus in reſp. ad capit. Gall. cap. 12. ſic loquitur. *Voluntas Dei nunquam vult niſi bona. Præſcientia & bona noſcit & mala, ſed bona, quæ aut ipſe faciat, aut etiam ut nos faciamus imperat, mala autem, quæ omnino ipſe non facit, nec fieri ſuaſit, aut impulit.* Et cap. 14. differens de non credentium infidelitate, ait. *Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur, bonorum enim author eſt Deus, non malorum.* Secundus vero lib. 1. ad Monim. cap. 13. hæc habet. *Quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam, quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam, poſſet enim peccatum aliquod ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum juſte peccare: Nullus autem hominum juſte peccat, quamvis eum Deus juſte peccare permittat.* Et infra,

ſtra, poſtquam dixerit, Deum in juſtis coronare juſtitiam, quam Deus ipſe fecit, & gratis tribuit, ſubdit; *Iniquos condemnabit pro impietate vel injuſtitia, quam in eis ipſe non fecit, in illis opera ſua glorificat, in iſtis opera non ſua condemnat.*

40. Verum quod Hæretici pernegant, teſtati ſunt ipſi idolorum cultores. Accipe Triſmegiſtum in Pimandro capit. ult. dicentem. *A' Deo factore nihil turpe, nihil malum.* Accipe Platonem in ſecundo Dial. de Republ. dicentem. *Bonorum quidem Deus cauſa eſt dicendus, malorum autem quamlibet aliam, præter Deum, cauſam quærere decet.* Accipe demum Maximum Tyrum, qui ſerm. 25. differens de malo morali, ait. *Ejus nomen eſt improbitas, cauſamque ab eligentis arbitrio nanciſcitur, Deo ſemper extra omnem cauſam conſtituto.* Sed quod olim Diis falſis tribuerunt gentiles, Deo vero non tribuunt Novatores, in hoc etiam Manichæis facti deteriores, quod cum Manichæi non auderent in Deum bonum referre cauſam mali, duos Deos ſibi finxerunt, Calviniſtæ vero eundem Deum omnium ſcelerum faciunt authorem.

§. V.

Refelluntur argumenta in oppoſitum.

41. PLura quidem ſunt, quæ nobis opponunt Hæretici tam ex Sacris Litteris, quam ex Patribus & ratione. Igitur à primis exordium ducemus. Primo duos juſtos venditos nobis exhibent. Primus fuit Joſeph à fratribus, ſecundus Chriſtus Jeſus à Juda, & à Judęis cruci affixus. De illo dicit Scriptura Gen. 45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*, & cap. 50. *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* ubi excuſantur fratres, quia eum ab ipſis vendi madianitis Dei voluntas fuerat, de Chriſto autem legitur act. 2. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemerunt.* Proverb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Sed facere vas in honorem eſt facere juſtum, facere vas in contumeliam eſt facere peccatorem, ergo Deus facit hominem peccatorem. Præterea. 1. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Et 2. Reg. 24. *Addidit iraſci furor Domini contra Iſrael, commovitque David in eis dicentem. Vade, numera Iſrael.* Item 3. Reg. 11. dictum fuit à Deo ſpiritui malo, *decipies & prævalebis, vade, & fac ita.* Ex quibus omnibus aperte liquet, Deum eſſe cauſam ſaltem moralem peccati.

42. Reſp. nihil omnino ex textibus ad Joſephum pertinentibus evinci poſſe. Certum enim eſt non fratrum conſilio, ſed Dei voluntate ac providentia ingreſſum fuiſſe in Ægyptum, atque ibi ad tam excelſum honoris, & poteſtatis gradum evectum fuiſſe; Permiſit igitur Deus, ipſum à fratribus vendi, ſed quid de ipſo vendito faciendum eſſet, non cogitaverant fratres, ſed Deus, ad cujus conſilium pertinet ex malis facere bona, potius quam mala nulla eſſe permittere; In ſecundo non eſt ſenſus, ut non potuerint fratres reſiſtere voluntati Dei, ſed verba illa referenda ſunt ad ipſum Joſephum, qui intelligebat Dei voluntatem eſſe, ut fratribus ignoſceret. Hęc eſt explicatio S. Joan. Chriſoſt. Hom. ultim. in Gen. & Sancti Ambroſii lib. de Joſeph. cap. 12. ubi ait, Sanctum Joſeph non tam attendiſſe, quod à fratribus miſſus eſſet ad mortem, quam quod à Deo miſſus fuiſſet ad vitam, & ideo fraterna charitate illorum peccatum excuſavit, dicens. *Nolite timere &c.*

43. Quantum attinet ad Chriſtum à Judæis occiſum, optime reſpondet Sanctus Auguſtini tract. 43. in Jo. *Fecerunt peccatum Judæi, quod eos non compulit*

facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prævidit, quem nihil latet. Et S. Leo sect. 17. de Passione ait. *Multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris; non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret*; Prævidit ergo Deus Judæorum peccatum futurum, non tamen fecit, ut esset futurum, ut etiam diximus in quæst. de præscientia Dei, voluit tantummodo ex Judæorum peccato permisso ex morte Christi mundi redemptionem, propriæque justitiæ per peccatum læsæ satisfactionem.

44. Textus sumptus ex Proverb. 16. intelligendus est de impio materialiter sumpto, nimirum Deum eos creare, quos prævidet impios futuros, & eorum impietatem à se prævisam non factam vertit in sui gloriam, idest ad ostensionem suæ justitiæ. Hæc est responsio Sancti Augustini epist. 106. ad Paulin. & in Enchir. cap. 27. & alibi. Quod dicitur juxta exemplum allatum ab Apostolo, à nobis fuit explicatum in qu. de præscientia Dei, explicatur enim ibi maximum Dei dominium, non quo possit facere hominem peccatorem, sed quo posset etiam cruciatibus adigere hominem non peccatorem, nisi suæ providentiæ suavitas aliter postularet. Facit igitur aliquos in vas honoris ex eadem massa, quia aliquos eligit ad gloriam, eisque confert auxilia, quibus prævidet procul dubio consensuros, alios vero facit in vas contumeliæ, quatenus reliquit eos in eadem massa, quin tribuat illa auxilia, quibus liberantur certissimè quicumque liberantur.

45. Ut vero salventur cœtera, & quævis alia, quæ opponi possent, adnotandum est, in Scripturis Sanctis Deum dici aliquos movere & excitare ad malum, quatenus utitur illis tanquam instrumentis suis, quia illos male agere permittit, quamvis enim permittere non sit proprie movere & excitare, attamen tropice hoc dici potest, dum agitur de Deo, qui si aliquem à male non cohibeat, procul dubio malum sequatur, explicari hoc potest ex iis, quæ in Jobi historia leguntur; dicitur enim Sathanæ; *Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt*, nec tamen Deus diabolum in eum movit & excitavit, sed tantum hoc ipsi permisit. Hac de re S. Augustin. de grat. & lib. arbit. cap. 23. inquit: *Cum audis, ego Dominus seduxi Prophetam illum, vel quem vult indurat, ejus merita cogita, quem sic obdurari, vel seduci permisit* aliquando etiam idem de Deo dicitur, quia non solum utitur malis hominum voluntatibus tanquam instrumentis ad finem aliquem obtinendum, sed etiam eos deserit, qui per malos affliguntur; hoc pacto præcepit spiritui, ut deciperet Achabum, quia non solum permisit, ut spiritus mendacia loqueretur, sed etiam lumen ipsi Achabo non contulit, quo mendacia cognosceret; Unde ait S. August. in epist. 89. quæst. 2. in illa verba, *& ne nos inducas in tentationem. Ne nos induci deserendo permittas*.

46. Amplius etiam dicerent Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 5. cap. 29. & S. Th. in Comment. cap. 9. ad Rom. Primus asserit, Deum malis etiam hominum voluntatibus ita præsidere, ut occulta quadam virtute ad suum arbitrium inclinet, non quidem ipsas corrumpendo, sed ipsis ordinem dando, ut potius illis permittat in hoc vitium præcipites ire, quam in aliud. Secundus vero non solum Victoris dictum admittit, sed ulterius asserit, Deum non quidem per se, sed occasionaliter inclinare voluntatem ad unum malum non ad aliud, per hoc quod immittat aliquam cogitationem bonam, ex qua malus homo occasionem

sumat

sumat judicandi, minus malum esse huic peccato servire quam alteri; & tandem dici potest Deum malas hominum voluntates excitare aliis positive bona conferendo; ita excitavit in Joseph ejus fratres, qui invidebant ei propter somnia sua, & quia plus cœteris à Patre diligeretur, sic excitavit Ægyptios ad persequendum Hebræos, quia istis beneficia plura conferebat, in quo sensu explicat Sanct. Augustinus illud psal. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.*

47. Ita arbitratu meo rejectis, quæ ex Scripturis Sanctis similia leguntur, superesset, & ut etiam aliqua loca Sancti Augustini, quæ videntur Hæreticis favere perpenderemus ac explicaremus, nisi eodem modo forent explicandæ; ut vero validius hoc demonstrem, aliqua ex Sancto Augustino hic proferre, non erit prorsus abs re; Convicium fecerat famula Matris suæ Monicæ in Monicam, per quod deinceps abstinuit à vino, cui incæperat esse dedita. Sic autem inquit Augustinus. *Quid egisti Deus meus? unde curasti? unde sanasti? nonne protulisti durum, & acutum ex altera anima convicium &c.* Ita lib. 9. Confess. cap. 8. argumentatur Calvinus, ergo convicium hoc fuit à Deo, sed hoc peccatum fuit, ergo peccatum fuit à Deo. Hoc admisso negari posset minor argumentationis Calvinianæ, quo animo enim, & quo fine factum fuerit convicium illud, quod materiale dici posset, novit nemo, nisi Deus; attamen dicere possumus, convicium illud jam in famulę animo conceptum, & voce expressum à Deo conversum fuisse in Monicæ medicinam; De hac re jam dictum fuit, ex malis enim Deus bona efficit, sicut ex viperis fit etiam ab hominibus; Hoc innuit idem Doctor postremo loco, ubi ait: *etiam de alterius animæ insania sanasti alteram, ne quisquam cum hoc advertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo ejus alter corrigatur, quem vult corrigi.* Id igitur permisit Deus, sed in tali circumstantia, in qua utile esset ad Monicæ correptionem.

48. Ita semper soluit clementissimus Deus. Ideo audi quid dicat Augustinus idem in Enchirid. cap. 100. *Hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, & tamen sapienter exquisita, ut cum Angelica, & humana natura peccassent, idest, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creata noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens & malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pænam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam; Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus voluit* (intellige voluntatem signi) *fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt; Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas Dei.* Addit deinde. *Propterea namque omnia opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod contra ejus fit voluntatem, quia non fieret si non sineret.*

49. Ex his duo inferas. Unum; Deum nec positive velle peccatum, nec positive nolle peccatum; non primum, aliter Deus esset causa peccati, non secundum aliter Deus non esset omnipotens, quia homo peccando voluntatem Dei superaret, nec posset Deus impedire peccatum, sed tantum non velle peccatum. Alterum; Deum non habere nolle peccatum positive voluntate beneplaciti quæ est absoluta, sed voluntate signi, quæ est conditionata, si fiat, & ideo dum prohibet, non vult absolutè illud non fieri, sed vult aut non fieri, aut punire si fiat, & ideo semper invicta voluntas Divina servatur, quapropter quomodocumque agit homo semper in Divinam incidit voluntatem, & sic servatur, quod ipso contra Dei voluntatem faciente, de ipso facta sit voluntas Dei; Alia plura tradidi in quæst. de præscien-

ſcientia Dei. Argumenta etiam, quæ à ratione fieri poſſent, omitto, cum de iſtis agant Philoſophi, ubi de concurſu Dei ſimultaneo pertractant.

§. VI.

Traduntur nonnulla de diſtinctione ſpecifica, & numerali peccatorum.

50. FUit aliquorum ſententia præſertim Durandi & Navarri; ſpecificam peccatorum diverſitatem à ſpecifica diverſitate præceptorum eſſe deſumendam. Hoc tamen admitti non poſſe ex ſequenti argumento videtur evinci. Si diverſitas ſpecifica peccatorum deſumenda eſſet ex diverſitate ſpecifica præceptorum, tot eſſent peccata quot ſunt ſpecie diverſa præcepta, quibus opponuntur (idem dic de diverſitate numerali) ſed hoc eſt falſum, ergo. Prob. mi. Unum numero, vel ſpecie peccatum aliquando opponitur pluribus numero & ſpecie præceptis, ut patet in uno eodemque furto, quod opponitur legi naturali, Divinæ, Eccleſiaſticæ, ac civili, ergo.

51. Hac de re magis placet ſententia Sancti Thomæ qu.72. art.1. quam ſaniores Theologi ſequuntur, diverſitatem ſpecificam peccatorum repetendam eſſe ab objectis ſpecie diverſis, circa quæ peccata verſantur, & hoc pacto qui mentitur committit peccatum ſpecie diverſum ab eo, quod committit qui furatur, quia objectum mendacii eſt ſpecie diverſum ab objecto furti. Clarius hoc demonſtratur. Cum peccatum ſit privatio rectitudinis debitæ, peccata ab eo debent habere ſpecificam diverſitatem, à quo habent vel privationem rectitudinis ſpecie diverſæ, ſi diverſis virtutibus opponantur, vel privationem modi ſpecie diverſi, quo attingitur rectitudo alicujus virtutis, ſi eidem virtuti opponantur, ſed à diverſis objectis habentur hujuſmodi privationes, ergo. Præſſius tamen loquendo dici poteſt. Diverſitatem peccatorum ſpecificam deſumendam eſſe vel à diverſis objectis, vel à diverſo modo tendendi in idem etiam objectum, in quo caſu idem re objectum formaliter ſit multiplex. Quod ſi prima opinio Durandi & Navarri admittit hujuſmodi diverſitatem per reſpectum ad diverſa præcepta ratione objecti, ſeù finis intimi, nullo pacto à noſtra recedit, qui enim non ſervat jejunium indictum v.g. ab Eccleſia & à Confeſſario, duo peccata ſpecie diſtincta committit, nam per præceptum Eccleſiæ reſpicitur virtus temperantiæ, per præceptum Confeſſarii reſpicitur ſatisfactio Sacramentalis pœnitentiæ.

52. De numerali diſtinctione ita ſenſerunt aliqui, inter quos Felix à Poteſt. & Leandr., ut arbitrati ſint, per ſolam unitatem vel multitudinem objectorum non haberi unitatem vel multitudinem numeralem peccatorum, quamvis enim numeralis objectorum diſtinctio tribueret actui diverſas numero difformitates, quod à pluribus, ut Suario & Filliucio negatur, attamen inde non ſequitur, numero peccata diſtingui; cujus ratio eſt, quia malitia ſe habet tanquam forma, actus vero ſe habent tanquam ſubjectum peccati, quare, ſicuti in rebus phyſicis compoſitum accidentarium ſit numero multiplex non per multitudinem formalem, ſed ſubjectivam, ita peccatum ſit unum vel multiplex non propter unitatem vel multitudinem difformitatum, ſed actuum,

53. Eſt alia ſententia, quam propugnant Silvius, Juvenin, Azorius, aſſerens, quod ſicuti ex unitate vel multiplicitate objectorum in ſpecie ſumitur unitas vel diverſitas ſpecifica peccatorum, ita ex unitate vel diſtinctione eorumdem numerali ſumitur unitas vel diverſitas numeralis; neque ratio ſuperius oppoſita quidpiam probat, nam ſicut in materia morum cum unitate actus habetur multiplicitas in ſpecie, ita etiam habetur multiplicitas in nume-

mero, quare à phisicis argumentum ad moralia non tenet. Hinc juxta hanc sententiam, qui unico ictu tres homines occidit, tria peccata committit, & qui unico actu plures concupiscit mulieres, tot peccatorum est reus, quot sunt mulieres, & sic loquendo de singulis, idcirco non satis est, si exprimat in confessione se plures occidisse &c. Sed numerum occisorum debet explicare, quidquid dicat Felix à potest. contra quem Silvius & Bonacina opinantur.

54. Hoc tamen non est ita intelligendum, ut solum ex unitate vel multiplicitate objectorum unitas, vel multiplicitas peccatorum proficiscatur, cum etiam ex unitate vel multitudine actus voluntatis habeatur, certum enim est, quod ad peccatum constituendum requiritur actus voluntatis liber à debita rectitudine recedentis; Quamvis igitur objectum esset unum, adhuc tamen, si plures fuerint actus, plura erunt peccata; Tunc autem censentur plures actus voluntatis, quando moraliter sunt interrupti, & tunc intelligitur interruptio, quando vel prior voluntas fuit revocata, vel quando inter unum & alium actum tantum temporis intercedit etiam per involuntariam cessationem, ut prudentum judicio unus cum alio non conjungatur, ut contingeret in eo, qui ante somnum vellet inimicum occidere, & postquam expergefactus fuerit, eundem renovat actum. Ab hac tamen regula excipiendus est ille, qui in actu pravo perseverat virtualiter, quia perseverat prava voluntas, v. g. qui mane iter aripit, ut absentem inimicum serotinis horis interimat, quamvis in itinere de pluribus cogitet, quæ ad inimici occisionem non referuntur, perseveret tamen virtualiter in iniqua intentione occidendi, cum iterum ad occisionem inimici mentem revolvit, unicum tantum peccatum committit.

55. Sed in hac re in duas Classes actus sunt distinguendi; aliqui enim directi sunt ad unum objectum primum, & à Theologis vocantur ordinati, alii vero sunt hujusmodi, ut unus ad alium non referatur, & dicuntur disparati. Si de primis loquamur, isti desumunt suam unitatem vel multitudinem numeralem ab unitate, vel multitudine objecti primarii, ideo tactus, oscula, quæ fornicationem præcedunt, vel concomitantur & subsequuntur ad unicum peccatum cum ipsa fornicatione reducuntur, dummodo moralis interruptio non intersit. Si vero de actibus disparatis fiat sermo, advertendum est, aliquas actiones reperiri, in quibus datur definitus terminus, quo compleantur, aliquas vero, in quibus terminus iste non reperitur. In priori classe sunt v. g. fornicatio, Missæ Sacrificium &c. & in istis tot peccata committuntur, quot fiunt actiones. In posteriori sunt v. g. percussio, blasphemia &c. Ideo qui eodem morali tempore pluribus ictibus inimicum percutit, aut &c. unicum peccatum ex pluribus percussionibus, aut blasphemiis compositum committit.

§. VII.

An peccatum mortale sit infinitum sub consideratione offensæ.

56. Esset inquirendum prius, utrum peccatum lethale consistat in aliquo positivo, vel negativo, sed cum de hac re tot afferantur opiniones, ut videri potest præsertim apud Ovied. tract.4. cont.4. punct.2. & parum nostra intersit quidquid dicatur, quamvis revera in negativo consistere ex eo unice dicendum videretur, quod si aliter esset, Deus esset causa peccati, sicut est cujuscumque entis, ideo ad propositam difficultatem, quæ satis celebris est inter Scholasticos, quorum aliqui sequuntur S.Th. alii Subtilissimum Scotum, statim devenire existimavimus. Qua in re.

57. In quolibet peccato lethali tria à Theologis considerantur. 1. Malitia moralis, quæ consistit in privatione recti-

ctitudinis debitæ, quodve conceditur à saniori Thomistarum Schola. 2. Aversio à Deo & conversio ad creaturam. 3. Offensa; quatenus Deus, qui finis ultimi sibi vindicat dignitatem, bono commutabili creatoque postponitur. Certum est apud omnes Doctores, peccatum in prima consideratione dici non posse simpliciter infinitum etiam in determinata linea, etenim, sicut rectitudo debita est aliquid finitum, ita & aliquod finitum est ejusdem privatio. Insuper neque in secunda consideratione; quia, si de conversione ad creaturam sit sermo, necesse est hanc certis terminis coerceri, si vero de aversione à Deo, hic utique objectum omnino illimitatum est, attamen in actu non potest esse causa infinitatis, quia sicuti in actu bono non reperitur infinita bonitas, quamvis per ipsum habeatur conversio ad Deum, ita in actu malo non est infinita malitia, quamvis per ipsum habeatur aversio à Deo. Difficultas est igitur de peccato mortali, prout in ipso perpenditur ratio offensæ, quæ Deo infertur. In qua quidem resolvenda est pro parte negativa Scotistarum Schola cum suo Doctore in 3. dis. 20. qu. unica in 2. dis. 37. qu. 1. & ubique. Pro affirmativa vero sunt plures Thomis. Cajet. Nazar. Gonet. Coninch. Salmantic. afferentes S.Thom. hic art.2. ad 2. & in qu.28. de verit. art.2. & alibi. Scotistarum sententiæ subscribunt Suarez disp.2. de pecc. sect.3. Card. de Lugo de Incarn. sect.4. Vasq. p.2. disp. 99. cap. 8. quos sequuntur reliqui PP. Societatis communiter. Dixi superius, pro affirmativa esse plures Thomis. nam oppositum docuerunt Palud. in 3. dis.20. qu.2. art.2. Sot. in 4. dis. 19. qu. 1. art.2. ad 1. Corrad. 1. 2. qu. 83. art. 4. Cabrera, aliique. Qua de re quid de mente S. Th. sentiendum sit, quis extra ipsius Scholam dijudicabit, si proprii ipsius Sectatores ipsum in contrarias sententias deduxerunt? In hac igitur re, in qua ipsa Scoti sententia tot etiam Thomistas præfefert Sectatores,

Dicendum. Peccatum, ut est offensa Dei, non esse absolute infinitum.

58. Prob. primo. Quod absolute infinitum est, incrementum aliquod non potest suscipere, id enim est infinitum, quo nec majus est, nec esse potest, ut tradidi in physicis, & hac ratione repugnat per me & per Thomistas creatura perfectissima, quia quacumque data perfectione semper ulterior dari potest, & quando agimus de qualitate, debet infinitum excludere terminum tam intrinsecum, quam extrinsecum, atqui nullum est peccatum, quo non possit majus & gravius excogitari, nec ullum est, quod omnium peccatorum gravitatem contineat, ergo. Argumentum hoc sumitur etiam à S.Thom. 1. contra Gent. cap.43. num.2. dicente. *Vt albedo sit infinita debet excludi omnis excessus*. Et 1.2. qu.87. art.4. *Non enim est infinitum infinito majus*. Hoc confirmo paritate meriti Christi, quod, cum juxta Thomistarum sententiam in linea meriti sit infinitum, tale est, ut majus meritum esse non possit, immo quodcumque opus Christi in linea meriti sit æquale; Ex quo amplius sic. Si peccatum esset absolute infinitum in ratione offensæ, omnia peccata essent æqualia, quia saltem in ratione formali non potest esse unum infinitum majus alio, sed hoc non est dicendum, cum fuerit error Joviniani & Stoicorum, dicentium; omnibus peccatis eandem inesse gravitatem, paremque pœnæ reatum, contra quos agunt duo præcipui Ecclesiæ Doctores, nimirum S. Hierony. lib.2. contra Jovin. & August. epis.29. ad Hieronym. ergo. Minor præterea patet, & videtur declarata verbis Christi Jo: 19. *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*. Et certe, si datur una virtus major alia, ut constat in charitate, cur non etiam unum alio majus erit peccatum?

59. Duplici modo respondent Thomistæ. Primo peccatum non esse quidem infinitum in ratione malitiæ moralis, aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam, seu in ratione offensæ activæ, in

in quo sensu peccata suscipiunt incrementum, & sunt inter se inæqualia, esse tamen infinitum in ratione offensæ passivæ, quæ consistit in ablatione passiva juris Divini, & supremi Dominii, finisque ultimi, in quo sensu non datur unum peccatum majus alio. Hoc confirmari potest exemplo meritorum Christi, quæ si perpendantur juxta ordinem ad objecta, à quibus accipiunt bonitatem moralem, sunt simpliciter finita & inter se inæqualia, si vero juxta respectum ad personam Verbi, à qua procedunt, sunt simpliciter infinita, & inter se æqualia, ita ut quodlibet opus sub hac consideratione mereatur quidquid à merito respici potest. Porro error Joviniani & Stoicorum erat, omnia peccata esse æqualia sub quacumque ratione. Ita Asturicens. Alvarez, Godoi &c.

60. Secunda responsio est. Infinitum in linea entis non posse incrementum accipere, quia hujusmodi infinitum est in omni linea, & ideo debet esse unum, ut probat Arist. 1. de Cœlo, infinitum tamen in determinata linea posse esse inæquale, & hac ratione probat S. Thom. 3. par. qu. 10. art. 3. quod licet in scientia Dei, absolute loquendo, contineantur plura, quàm in scientia animæ Christi, nihilominus anima Christi cognoscit infinita. Hinc cum peccatum in ratione offensæ non sit infinitum nisi in linea determinata, poterunt esse peccata inæqualia, & unum majus alio, proinde argumentum à nobis expositum nihil concludit. Ita Araujo & Joan. à S. Th. quod approbant Salmantic. tanquam minus durum.

61. Neutra tamen responsio argumenti nostri adimit robur. Non prima; & sic ostendo. Per adversarios peccatum non est infinitum in ratione malitiæ moralis, aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam, ergo neque in ratione offensæ. Prob. cons. Peccatum in ratione offensæ sequitur tanquam sui radicem malitiam moralem, aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, ergo si &c. & quemadmodum peccatum veniale non est majus in ratione offensæ, quàm sit in ratione malitiæ moralis, ita peccatum lethale; nam si esse præter legem Divinam (quod ipsi dicunt de veniali) infert offensam juxta malitiam præter legem Divinam, cur non esse contra legem Divinam inferet offensam juxta malitiam contra legem Divinam? an quia offensa desumitur à dignitate personæ offensæ? sed in primis quomodo desumat, ostendetur in solutione argumenti præcipui; deinde insto eodem argumento; Esse præter legem Divinam non desumit rationem offensæ à dignitate personæ, nisi juxta mensuram malitiæ moralis, ergo à pari esse contra legem Divinam non desumet rationem offensæ nisi juxta mensuram malitiæ moralis. Neque obstat, peccatum lethale lædere jus Divinum, & supremum Dominium, tum auferre à Deo rationem ultimi finis, siquidem hujusmodi ablatio non consistit in indivisibili, ut ostendi potest exemplo Regiæ potestatis, quæ quidem violatur tum per transgressionem legis, tum per injuriam immediate factam ipsi Regi, & tamen, majorem esse offensam in secundo casu, quam in primo, quis ibit inficias? Præterea. Non minus est jus & dominium in Deo ad præcipiendum in materia levi, quam in gravi, nam in utraque linea est infinitum, & tamen offensa in materia levi non est infinita, quia ab ipsa materia limitatur, ergo à pari offensa in materia gravi non erit infinita, quia limitatur per eandem materiam, quæ cum æqualis non sit, esse potest capax majoris, vel minoris offensæ, proinde non infinitæ.

62. Exemplum desumptum à meritis Christi non tenet, nam admisso, merita Christi esse simpliciter infinita (quod quidem à me in sequenti opere falsum esse demonstrabitur) etenim horum infinitas non infertur ex bonitate morali habita ab objectis, sed tota progreditur à persona Verbi tanquam principio physico, & moraliter dignum reddente quod cum-

cumque, etiam minimum opus; Quare, si admitti deberet argumentum, sic adversarios cogerem. Meritum Christi, proficiscens à persona infinita, est infinitum in quacumque materia versetur, etiam minima, ergo peccatum, cujus offensa desumitur à persona infinita, erit infinitum etiam in materia minima, quod nemo concedet.

63. Secunda etiam Thomistarum evasio non suffragatur; transmitto enim unum infinitum excedere posse aliud in linea determinata, cum de hac re pertineat ad Philosophos disputationem resolvere, hoc tamen concedi nullo modo potest, quando infinitatis ratio ab eodem principio, seù forma colligitur, & ideo merita Christi semper æqualia sunt, quia quæcumque sint, semper vim suam habent à persona Divina, atqui omnia peccata lethalia in ratione offensæ desumunt eandem infinitatem ab eodem principio, nimirum à Divina dignitate, quæ denominatur contempta, ergo æquali modo erunt infinita; & hinc admitto exemplum adductum à S. Thom. de infinitis, quæ cognoscit Deus, majoribus illis, quæ cognoscit anima Christi, quia horum cognitio à diverso principio progreditur; Attamen exemplum est falsum, cum neque Deus, neque Christus infinitum cognoscat, nisi tanquam chimeram, cum per me, & per Thomistas hujusmodi infinitum repugnet; pro qua re videantur ea, quæ in physicorum libris exposui.

64. Præterea. Infinitum in omni linea, seù, ut terminis Thomistarum utar, in linea entis, non potest in ulla linea incrementum recipere, ergo infinitum in determinata linea non poterit incrementum recipere in hac determinata linea, sed hoc, loquendo de peccato, falsum est, nam etiamsi peccata considerentur intra eandem speciem, magis Deus offenditur per unum, quam per aliud, puta, si unum fiat cum majori conatu & cognitione, atque hoc juxta prudentum hominum existimationem, ergo. Tandem redit quod superius dictum fuit. Merita Christi sunt infinita in determinata linea, & tamen inter se non sunt inæqualia, ergo licet peccata admitterentur infinita in determinata linea, non esset inæqualia; quod magis promovetur, si ita dicamus. Quia merita Christi sunt infinita in ratione meriti (semper loquor in opposita sententia) quodcumque meretur quodvis excogitabile meritum, ergo si peccata essent infinita in ratione offensæ, cuicumque esset debita quævis excogitabilis pœna, sed hoc est falsum, cum pœnæ etiam in inferno inæquales sint, sicut inæqualis est gloria, ad quod probandum non est, cur aliquid dicam, ergo. Dixi superius, *si fiat cum majori cognitione*. Qua de re.

65. Prob. secundo sententia nostra. Peccatum non est infinitum in ratione offensæ, si habeat à quo limitetur, sed ita est, ergo. Prob. mi. peccatum habet à quo limitetur in ratione offensæ, si habeat à quo limitetur in ratione liberi, ac voluntarii, nam ideo est offensa Dei, quia est Dei contemptus liber ac voluntarius, sed peccatum habet à quo limitetur in ratione liberi ac voluntarii, ergo. Prob. mi. Ut peccatum habeat à quo limitetur in ratione liberi ac voluntarii, nihil requiritur, nisi ut limitetur per minorem cognitionem, hæc enim, si minor sit, minuit liberum ac voluntarium, auget, si major, sed ita peccatum habet à quo limitetur, nulla enim cognitio esse potest infinita, ergo.

Hoc totum confirmo, ac brevius declaro. Si nulla esset cognitio, nulla esset offensa Dei, ergo si finita est cognitio, finita est offensa Dei, sed in quolibet peccato cognitio est finita, ergo. Patet hoc experientia, nam si eadem injuria fiat eidem personæ à viro & à puero, minor in ratione offensæ censetur ista, quam illa, nec alia ratione, nisi, quia à viro fit cum majori, à puero cum minori cognitione.

66. Argumentum hoc evertere co-

nan-

nantur. Primo dicunt, ad constituendam offensam requiri quidem cognitionem personæ offensæ, quanta sufficit, ut personæ dignitas cognoscatur, majorem vero, vel minorem cognitionem de materiali omnino se habere, sicuti ad producendum effectum necessaria est existentia, tanquam conditio, majorem vero, vel minorem existentiam ad rem non facere ad magis vel minus producendum effectum. Secundo; dato argumento nostro, sequeretur v.g. perjurium, quod modo committitur, habiturum eandem gravitatem, etiamsi per impossibile Deus non esset infinitus, dummodo committatur cum eadem cognitione, sed hoc non, quia si Deus tanta dignitate non polleret, procul dubio neque tantæ foret gravitatis & offensæ perjurium, ergo quia offensa non desumitur à cognitione, sed à persona offensa. Constat hoc exemplo; Si percutias Plebejum, quem existimas esse Regem, non habet percussus jus eam satisfactionem exigendi, quod haberet, si revera fuisset Rex, ergo non à cognitione, sed à persona gravitas offensæ est repetenda.

67. Sed contra; ad primum falsum est, ad malitiam peccati cognitionem majorem vel minorem de formali se non habere, etenim, quod formaliter minuit, vel auget voluntarium, formaliter etiam minuit, vel auget malitiam; cum actus ideo sit malus quia est voluntarius, ut à nobis demonstratum fuit. Hinc negamus, ad malitiam cognitionem se habere adinstar conditionis, sicut ad producendum effectum se habet existentia. Sed si etiam id concederemus, parum evinceretur, nam etiam ad combustionem approximatio se habet ut conditio, & tamen ex majori approximatione habetur major combustio. Quare data hac responsione, negandum est suppositum exempli adducti, non enim datur una existentia major alia, cum hæc indivisim habeatur per hoc, quod res sit posita, ut inquiunt, extra suas causas, & tam existit v. g. musca, quam homo, quamvis sit major perfectio in homine, quam in musca, sed hæc major perfectio non est in homine, quia existit, sed in homine qui existit, ut homo est, non ut existens est.

68. Ad secundum male ponitur instantia, non enim dicimus, gravitatem offensæ sumi dumtaxat à cognitione, sed à cognitione & simul à persona, & inde fit, quod ubi decrescat vel cognitio, vel dignitas personæ offensæ, decrescat etiam offensa. Verum dici potest, quod in eo casu perjurium haberet eamdem gravitatem affective, si non effective, sicut si quis percuteret servum existimans esse Regem, eandem contraheret malitiam, ejusdemque pœnæ reus esset, cujus, si percuteret Regem. Quod si humana Respublica non punit eadem pœna occidentem revera hominem, quem putat feram, qua punit occidentem feram, quam putat hominem, hoc evenit, quia lex humana versatur solum circa actus exteriores, nec perpendit intentionem malam, dummodq actus exterior malus non sit. Cœterum absolute loquendo etiam in humanis cognitio & existimatio locum habet, si possit probari.

Pluribus aliis momentis nostræ sententiæ propugnatores eam stabiliunt, verum ea placet omittere tanquam leviora, & ne cogamur defendere, quæ parum urgent adversarios.

§. VIII.

Refelluntur argumenta contraria.

69. PRimo se exhibet argumentum illud tritum, quod vocant calculatorium, & est adversariorum præcipuum. Offensa eo est gravior, quo dignior est persona, cui fit injuria, etenim, ut inquiunt, offensa est in offenso, tanquam in subjecto, & non solum tanquam in termino, seù objecto, sicut se habet actus charitatis erga Deum, atqui per peccatum lethale fit injuria personæ infinitæ, nempe Deo, erga est in ratio-

ne offensæ infinitum. Hoc magis roboratur primo. Peccatum contra Deum debet tot gradibus excedere offensam contra hominem, quot Deus excedit hominem, atqui Deus excedit hominem gradibus infinitis, ergo peccatum contra Deum debet excedere offensam contra hominem gradibus infinitis; ideo &c. Secundo. Supponamus, injuriam cum eadem consideratione fieri personæ dignæ, ut quatuor, & alteri dignæ, ut octo, facta huic erit gravis, ut octo, facta alteri erit gravis, ut quatuor, ergo gravitas offensæ tota repetitur à dignitate personę, ergo si persona est infinitè digna, infinita erit offensa. Hoc est argumentum S.Th. hic art.2.ad 2.& qu.28. de verit. ubi habet hæc verba. *Qui rem aliquam digniorem indigniori postponit injuriam ei facit, & tanto amplius quanto persona est dignior; Quicumque autem in re temporanea finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso, quantum ad affectum suum pręponit creaturam creatori; Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit mortaliter peccantis contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus.*

70. Resp. non recedendo à probationibus nostris; dis. maj. nisi fundetur in aliquo finito, & limitetur ab aliquo principio trans. maj. si fundetur in aliquo finito &c. ne. maj. conc. mi. ne. cons. ad quod explicandum omnia in antec. dicta aptanda sunt; Neque obstat, offensam per peccatum respicere Deum, tanquam subjectum, nam in primis hoc verum est tantum extrinsece, nihil enim in Deo recipi potest, deinde, quamvis etiam intime concederetur, attamen Deus licet in se infinitus, non potest tamen peccato communicare infinitatem in ratione offensæ, cum non aliter peccatum sit offensa, nisi quia est malum, est autem solum finite, uti probatum fuit, & ne hujusmodi infinitas à subjecto infinito transfundatur, habetur limitatio tum à finito conatu peccantis, tum à cognitione, tum à deliberatione, tum ab ipsorum peccatorum inæqualitate. Cœterum, si infinitas personæ infinitam redderet offensam, etiamsi nulla esset cognitio & deliberatio, offensa esset infinita, si infinita esset persona, quod non; & præterea sequeretur, quod sicuti persona offensa talis est, ut contineat omnium rerum perfectiones, ita unum peccatum contineret omnium rerum imperfectiones, & sic omnes etiam offensas, quod non.

71. Optime propterea respondent adducto argumento sententiæ nostræ propugnatores, injuriam crescere juxta dignitatem personæ geometrice, non aritmetice, ita ut quo dignior est persona, gravior sit offensa, non tamen, ut quantum excedit persona, excedat etiam offensa, quemadmodum eo nobilior est actus, quo nobilius est objectum, nec tamen tanta nobilitas est in actu, quanta in objecto, uti compertum est. Hinc facilis responsio alteri argumento; nimirum, fortasse esse verum, nisi aliunde habeatur limitatio; clara tamen est retorsio, quæ sic conficitur. Obsequium & amor erga Deum debet tot gradibus excedere obsequium & amorem erga creaturam, quot gradibus Deus excedit creaturam, atqui Deus infinitis gradibus excedit creaturam, ergo erit quid simpliciter infinitum; Conseq. hanc non admitterent, neque ego illam; & quidem argumentum satis urget Thomistas, docentes, actum speciem desumere ab objecto.

72. Argumentum aliud nullum robur habet, si perpendantur termini, non enim nos negamus, gravitatem offensæ etiam derivare à persona offensa, unde si eadem sit cognitio tam personæ dignæ, quam personæ dignioris, major erit offensa, si fiat in istam; sed ut cœtera sint paria, debet cognitio personæ dignæ commensurari dignæ, & cognitio dignioris commensurari digniori; Si autem fieret suppositio, quod persona digna cognosceretur & offenderetur, profecto esset offensa, si tamen persona dignior non cognosceretur,

retur, & offenderetur, non esset offensa, semper ergo subsistit, offensam habere suam gravitatem juxta mensuram cognitionis, aliorumque, de quibus usque modo diximus, præsertim quia debemus in offensis fateri inæqualitatem, proinde majorem & minorem, nunquam ergo infinitam.

73. De mente S. Th. cogitent Thomistæ; non prohibemur tamen illum in contrarium afferre, atque ut plurima præteream, habet hic art.2. ad 2. Peccatum habere quandam infinitatem ex infinitate Dei, quod etiam repetit in 3. dist.20. qu.1. art.2. particula autem illa excludit infinitatem simpliciter, sicuti cum 1. p. qu.25. art.6. ad 4. dixit, humanitatem Christi ex quo sit unita Verbo, & Beatam Virginem, ex quo sit Mater Dei, habere quandam infinitatem, negavit infinitatem simpliciter. Itaque &c.

74. Infremunt Salmant. eorumque compilatores, inter quos Paulus à Concept. qui tali pacto nos urgere contendit. Quamvis in re nostra finita sit voluntas peccans, finita cognitio ac deliberatio, attamen per peccatum moraliter aufertur prædicatum Divinum, idest ratio ultimi finis, ergo adhuc offensa erit infinita simpliciter, nam privatio alicujus formæ aritmetice crescit juxta incrementum ejusdem formę, quia, ut docet Arist. 2. Ethic. cap. 1. *Mensura privationis est habitus*. Atque hoc magis demonstratur exemplo. Si quis enim eadem cognitione, deliberatione, & conatu destrueret tres imagines, quarum una esset valoris, ut quinque, altera ut decem, altera ut quindecim, quantitas damni cresceret aritmetice juxta valorem imaginum, ergo à pari in re nostra. Neque dicas, omnia hæc esse vera, si loquamur in linea physica, non sic in morali; Contra enim; Si peccans mortaliter causaret physice in Deo privationem alicujus prædicati Divini, & si offensa physice reciperetur in Deo, offensa physice esset infinita, ergo si peccans mortaliter causat moraliter privationem prædicati Divini, & offensa moraliter recipitur in Deo, offensa moraliter erit infinita.

75. Sed neque hujusmodi argumentatio sententiam concutit nostram, etenim privatio prædicati Divini per peccatum non consistit in indivisibili, & est inæqualis, sicuti probatum fuit, unde in forma dis, ant. per peccatum moraliter inæqualiter aufertur prædicatum Divinum conc. æqualiter ne. ant. & cons. ad cujus prob. dis. ant. privatio physica alicujus formæ crescit &c. conc. privatio moralis inæqualis ne. ant. & Cons. Quid enim mirum, si privatio physica tanta sit, quanta est forma? consistit in destructione entitativa formæ, ergo quanta est formæ entitas, tanta est privationis non entitas; non ita loquendum de privatione morali, siquidem ista colligenda est à principiis moralitatem constituentibus, quæ cum possint esse majora, vel minora, & nunquam infinita, sequitur privationem moralem nunquam esse posse infinitam. Ex hoc habes, quid exemplo respondeas; damnum enim illatum in earum imaginum destructione physicum est, crescet ergo juxta illarum valorem, præsertim quia agitur hic de foro externo, non interno, sicut in disceptatione nostra; & de facto si probari posset, hoc non esse factum cum sufficiente cognitione, neque in foro externo ad reparandum damnum obligaretur. Accepto propterea responsionem datam in argumento, & instantiæ dictum est satis pro dispari ratione afferenda.

76. Totum hoc valet, etiam admisso, offensam moraliter recipi in Deo, tanquam in subjecto, quod tamen negari posset, quia hæc denominatio, *Deus offensus* est pure denominatio extrinseca, & sicuti Deus intrinsece neque moraliter mutari potest, ita neque moraliter intrinsece potest offendi.

77. Secundo proponunt argumentum desumptum ex pœna debita peccato mortali, sic. Peccato mortali debita est

est pœna simpliciter infinita in linea morali, id est in prudenti hominum existimatione, ergo quia est malum simpliciter infinitum moraliter; Consequentia patet, quia effectus continetur in virtute suæ causæ, ergo pœna infinita in culpa infinita, & aliter Deus esset injustus, quia puniret ultra condignum. Prob. ant. multifariam; Primo quia peccato mortali debita est carentia unionis hipostaticæ, hæc autem infinita simpliciter est, sicut unio moraliter est infinita; Secundo, quia peccato mortali debita est carentia cujuscumque boni, complexum autem omnium bonorum censendum est quid infinitum. Tertio, quia ipsi debita est æterna pœna, hæc vero est infinita saltem in duratione, at offensa finita non exigit vindictam infinitam, ideo &c.

78. Resp. per argumentum primum probari, etiam peccatum veniale esse infinitum, etenim etiam huic debita est carentia unionis hipostaticæ, ne. igitur ant. ad primam prob. sicuti gratiæ habituali non est debita unio hipostatica, ita peccato lethali non est debita carentia unionis; est itaque hujusmodi carentia extra lineam pœnæ debitæ peccato, sicuti unio est extra lineam præmii debiti gratiæ, quare licet unio sit quid moraliter infinitum, non sic carentia unionis, nisi in abstracto, & sine aliquo ordine ad aliquod subjectum, atque tenendum est, quantitatem pœnæ non esse attendendam præcise ex quantitate boni, quo quis privatur, sed ex majore exigentia, quam quis habet non carendi illo bono; Sic, si Principem redigas ad mediocrem statum, plus adimis, quam si à mediocri redigas ad statum mendici, & tamen plus pœnæ infertur in hoc, quàm in illo casu. Privat ergo peccatum lethale gratia, beatitudine, & Deo tanquam æternæ felicitatis objecto, quod non sufficit constituendæ pœnæ simpliciter infinitæ, sicuti ex quo gratia conferat beatitudinem & Deum, non sufficit inferendo præmio simpliciter infinito, nec gratia dici potest simpliciter infinita. Ad 2. eodem modo dis. ant. debita est carentia cujuscumque boni debiti conc. cujuscumque alterius boni, quod sit extra lineam pœnę debitæ, ne. ant. & cons. & quamvis peccator indignus sit omni bono, ipsi tamen non est debitum omne malum, sicut nec justo debitum est omne bonum. Ad 3. argumentum nimis probat, cum eadem ratione dicendum foret, etiam gratiam hominis justi esse infinitam, quia ipsi debita est gloria æterna. Hoc itaque contingit, quia tandiu perseverare debet pœna, quandiu perseverat culpa, quare cum culpa in duratione æterna sit, quia nunquam retractabitur, fit etiam, pœnam infinitam futuram esse in duratione, ait enim August. de fide ad Petrum. *Permanente in eis injustæ affectionis malo permanet in eis debitæ retributionis damnatio*. Et hoc ex Divina dispositione, quæ statuit, ibi futurum lignum ubi ceciderit, non quia non potuisset aliter puniri peccatum.

79. Tertio proponitur argumentum sumptum ex natura peccati mortalis, quod nimirum est destructivum Dei, & peccans vellet, Deum non esse legislatorem, potentem ac vindicem justum, saltem affectu & conditionate. Neque dicas, ut supra, hoc esse verum moraliter, inæqualiter, modo finito, & solum extrinsece, juxta illud Job. 35. *Si peccaveris, quid nocebis ei? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* vel hujusmodi affectum & conditionem destruendi Deum nunquam in actum exire & motum deliberatum; etenim demus hypothesim, in qua peccator directe & formaliter vellet Deum destruere, saltem in hoc casu peccatum erit infinitum simpliciter.

80. Argumentum hoc jam superius expositum fuit; accepto itaque responsionem datam, & semper retorsio est in actu charitatis, quo quis vellet Deo dare esse quod habet, sicut peccator vellet destruere esse quod habet, nec tamen

actus

actus charitatis est infinitus. Ad hypothesim dico, adhuc peccatum illud simpliciter finitum esse propter eandem rationem, & alias adductas in probationibus nostris. Sed quid dicendum de peccato commisso in occisione Christi? saltem hoc fuit infinitum, quia fuit physice in personam infinitam. Respondent Amicus, Lezana, aliique hoc concedendo de hoc speciali peccato, cum tamen hæc ratio de aliis non militet, ideo non est generatim concedendum; Assero tamen, neque hoc peccatum fuisse simpliciter infinitum, nam quod fuit destructum in occisione Christi non fuit Divinitas, sed Humanitas, & unio animæ cum corpore, quæ sunt aliquid finitum.

§. IX.

De Pœna debita peccato lethali.

81. PÆnam debitam peccato lethali duplicem esse, damni videlicet & sensus, constans est omnium Theologorum assertio. Illa consistit in amissione felicitatis ac beatitudinis æternę, hæc vero in doloribus affixis, ut cum v. g. manus abscinditur. Certe utraque pœna huic debet correspondere peccato, quemadmodum enim est aversio à Deo, & conversio ad creaturam, ita debet carere Deo, & ecce pœnam damni, & debet torqueri à creatura, ecce pœnam sensus, atque hoc expressit Mat. cap. 25. Christus Dominus illis verbis, *discedite à me maledicti in ignem æternum*. Per prima verba indicatur pęna damni, per posteriora pęna sensus.

82. Quamvis Vasquez, Granadus, Azorius in omnibus damnatis esse velint æqualem, quia privatio æternæ beatitudinis nec minui nec augeri potest, attamen juxta peccatorum inæqualitatem futuram esse inæqualem docent Salmant. Gonetus, Scotistæ cum suo Doctore dicente, ex hac privatione, quæ non augeri nec minui potest, prout omnino excludit à quovis damnato visionem Dei intuitivam, Deum efficere, ut magis torqueatur, qui magis peccaverit & ratio in promptu est; quia sicut qui majus meritum habet, visione Dei magis perfruitur, ita qui majoribus peccatis premitur privatione visionis debet magis cruciari.

83. Etiam pęnam sensus futuram esse inæqualem, acerbiorem scilicet vel leviorem pro criminum numero & gravitate communis profert sententia, & satis colligitur ex illo Apocal. 18. *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum & luctum*; idcirco S. Greg. 4. dial. cap. 43. inquit. *Unus quidem gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores, uniuscujusque etenim quantum exigit culpa tantum illic sentitur & pœna*. Et ratio hujus est eadem quæ supra, nam si gaudium in Cœlo est pro meritorum inæqualitate inæquale, etiam dolor in inferis debet pro peccatorum inæqualitate esse inæquale.

84. Ex multis quidem corporibus, quibus utitur Deus tanquam instrumentis justitiæ suę; hęc sensus pęna consurgit, unde legitur ps. 10. *Ignis sulphur & Spiritus procellarum pars Calicis eorum*, attamen ignis fit mentio frequentior in Sacris Scripturis. Mat. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. 25. *ite in ignem æternum*. Marci 9. *inextinguibilis ignis gehennæ* nuncupatur. Apocal. 20. *missus est Diabolus in stagnum ignis*.

85. Difficultas fieri potest, an ignis iste revera sit corporeus; Qua in re nonnulla dixi, dum de potentia obedientiali in libris phisicorum pertractavi. Hic solummodo proferam varias Theologorum opiniones. Docent Recentiores, ut Suarez lib. 8. de Angelis cap. 14. Pesant. quæst. 64. art. 4. disp. 5. Arriaga &c. Spiritus torqueri per ignem obedientialiter producentem in eis qualitatem spiritualem fędantem eorum substantias, ex qua maximam concipiunt tristitiam,

appre-

apprehendentes illam tanquam propriæ naturæ valde disconvenientem. Docet Coninch. num.83. Deum animam separatam alicui corpori alligare, à quo nullo pacto dividi possit,& propter hoc percipiat qualitates huic corpori impressas, à quibus crucietur,eo pacto quo dum est unita corpori, quod informat, non sine dolore percipit eas qualitates, quæ corpus afficiunt. Docent Dominicus Soto in 4. dis. 50. qu.1. art. 2. Valentia, Albertin. Tanerus, ignem in anima separata eum dolorem efficere per Divinam virtutem, quem efficeret, si esset corpori unita, quamvis corporis dolorem non sentiat, sed solam afflictionem ac tristitiam voluntatis, tanquam si revera ab igne cruciaretur, quæ sententia videtur eadem cum illa quam modo subdam. Docent alii, torqueri animas damnatorum non per veram actionem ignis, sed solummodo per ignis aprehensionem, qua coguntur ipsum concipere tanquam ipsis noxium, quam sententiam plures, inter quos Aversa qu. 54. sec. 7. Alberto, Egidio, Scoto, Sanctoque tribuunt Bonaventuræ, qui in 4. dis. 44. p.2. q. 2. art.3. inquit, per Divinam Omnipotentiam fieri, ut Demones calorem ignis horreant, ac si eum paterentur, quamvis revera illud pati non possint, & ita in illis adimpleri dictum Prophetæ, *trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Utrum hoc senserint Doctores isti nullo pacto in examen vocare contendam; non me latet tamen hunc postremum dicendi modum nequaquam omnino incongruum dici posse, cui videtur adhæsisse Gregor. 4. dial. cap. laudato dicens; *eo pati, quo videt, & quia cruciari se respicit, cruciatur*. Pro qua re vide quæ tradidi in physicis loco superius indicato. Alii tandem, tam ex antiquis, quam ex recentioribus, docent, Dęmones, quod de damnatis dicendum, igni alligatos esse, ut ab ipso nequeant evadere, quique illos detineat vel ad instar carceris, vel adinstar objecti determinantis illos ad sui considerationem, vel adinstar vinculi potentiis animæ affixi, quo in suorum actuum exercitio cohibeantur, quam fuisse sententiam S. Th. 1. p. q.64. art.4. & 4. contra Gent. cap. 90. & Scoti in 4.dis.44.qu.2. fatetur Suarez, Joan. à S.Thom. Nazar. Amic. Aversa; atque hoc videtur evinci ex Scripturis Sanctis, cum in canonica Judæ legatur. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Et Apocal.20. *Aprehendit Angelus Draconem, & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum*.

86. Damnatorum autem pęnas juxta communem legem æternum duraturas esse tanquam Dogma Fidei tenendum est, cum hoc ex pluribus tam veteris, quam novi testamenti paginis manifestissime indicetur. Isa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Judit. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant in sempiternum*. Job. 10. *Vbi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Quæ in novo leguntur, tanquam omnibus nota præterire possem; Hujusmodi sunt. Mat. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, justi autem in vitam æternam*. Apoc. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Ideo prius cap. 9. dictum fuerat; *quærent mortem, & non invenient eam, desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*. In quibus textibus æternum non potest sumi pro diuturno tempore tandem finem accepturo, sicut in aliis locis interdum usurpatur, ut patet verba considerantibus.

87. Hoc idem perpetuo docuerunt Sancti Patres. Vide Tertul. in Apolog. cap.48. August. in ps. 48. in illa verba; *laborabit in ęternum, & vivet adhuc in finem*. Et lib.1. de Civit. Dei per plura. S. Thom. lib. 3. con. gen. cap. 11. interim afferam Cypr. ser. de Ascen. Dom. ubi hæc habet: *Non miserebitur ultra Deus ..... Carentes oleo frustra acclamabunt exclusi, nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit*

dit ad inferos, ulterius non descendet... Irregressibilis erit illa sententia, & immutabile judicium, & stabit damnationis hujus immutabile constitutum. Optime propterea dixit Bernard. ser.2. de ver. Ap. in illa verba ps.48. *Mors depascet eos. Dure presseque detonsi sempiternis nudis deputabuntur incendiis. Mors depascet eo, quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem.*

88. Plures pro hac re à Doctoribus Theologis afferuntur rationes, quæ videri possunt apud S. Thom. in 2. dis.41. qu.1. art.5. in 4. dis.46. quæst.1. art.3. 3. contra Gent. cap.144. atque istæ omnes ad hoc revocantur, vel quod peccatum lethale per subtractionem gratiæ & charitatis sit suapte natura irreparabile ac perpetuum, & ideo nunquam haberi possit hominis ordo ad Deum, vel per hoc, quod qui mortaliter peccat, licet unico momento peccatum absolvat, attamen graviter peccat contra finem ultimum bonum æternum, & charitatem, quæ est societas beatorum perfecta, ergo bonis istis privari perpetuo meretur, sicut qui peccat contra humanam Rempublicam reus fit, ut privetur societate & bonis ipsius, nec non morte suppliciisque afficiatur. Huc tamen revocari potest sententia illa Augustini, quam adduximus in antec. num.78. in fine.

89. In hac re fuit unus ex erroribus Pelagii, qui teste S. Hieron. dial.1. contra ipsum, & Alphon. de Castro lib.3. adversus hæres. sentiebat, tam Dæmones quàm damnatos fore aliquando à pœnis eruendos, & ad beatitudinem evocandos, quod etiam dixisse videtur Origen. quamvis hoc tantum de iis, qui fidem habuerunt, intelligendum esse affirmaverit; de hujus tamen mente inter Doctores Ecclesiasticos est discors sententia. Quod magis mirum censeri posset, esset, si idem docuisset etiam S. Hieronymus, ut apparet ex iis, quæ habet loco laudato num. 33. ubi ait: *Si Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam: quid ad nos, qui & Diabolum & satellites ejus, omnesque prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Christianos, si in peccato præventi fuerit, salvandos esse post pœnas.* Similia habet cap.66. in Isaiam, ubi dicit: *Solius scientiæ Dei nos derelinquere debere, num pœnæ peccatorum christianorum futuræ sint temporariæ, vel æternæ,* & sic concludit. *Diaboli & omnium impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sicut peccatorum atque impiorum etiam Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam judicis.*

90. Ut à tanto errore immunem ostendant maximum istum Doctorem, dixerunt aliqui, ibi non ex mente propria asseveranter, sed ex aliorum historice fuisse loquutum, ut alias etiam fecisse compertum habetur ex epist.ad Augustinum 11. alii dixerunt, intelligendum esse de fidelibus, qui in gratia decedunt, & peccato præventi dicuntur, quia moriuntur, antequam peccata sint dimissa quo ad pœnam temporalem, quæ in purgatorio remanet luenda, & sic quantum ad pœnam dicuntur impii & peccatores.

91. Sed quicumque fuerit, qui contrarium tenere ausus est, alium præter Diabolum Magistrum non habuit, qui æternæ pœnæ timorem ab hominibus amovens, effrenius pertrahit ad peccandum. Novit hoc S. Gregor. lib.34. Moral. cap.16. & ita scripsit. *Leviathan æstimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de venturo judicio, quod quasi finiatur, infundat. Itaque antiquus iste persuasor in mentibus iniquorum futuras pœnas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino corruptionis extendat, & eo magis peccata non finiant, quo existimant peccatorum supplicia finienda.*

92. In rem nostram placet denique afferre definitionem Concilii Lateran. quod

quod cap. *Firmiter* de summa Trinit. statuit, quod *mali recipient cum Diabolo pœnam perpetuam.* Et Concil. Trident. quod cum sess. 6. cap. 14. doceat, lapsos in peccatum mortale post susceptam fidem & justificationem una cum remissione culpæ æternæ pœnæ veniam obtinere per Sacramentum pœnitentiæ vel contritionem perfectam, plane supponit, peccato mortali debitam esse pœnam æternam.

93. Quia vero non defuerunt quidam ex Græcis dicentes, animas eorum, qui in mortali decedunt non statim ad infernum esse perducendas, sed expectandum esse diem finalis judicii, ideo contra hos sint duo Scripturæ textus, Job. 21. de malis dicitur. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Luc. 16. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno.* Tandem Benedict. XII. in Extravag. quæ incip. *Benedictus Deus*, ita decernit. *Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi &c.*

94. Dixi supra juxta legem communem, quod etiam innuitur à Benedicto, quia si da absoluta Dei providentia sermonem instituere velimus, oppositum fieri posse nemo est qui dubitet vel neget; cum Deus vel definitivam sententiam suspendere possit, vel animam illam in quodam loco medio statuere, vel iterum suo corpori unire, atque ita illi conversionis locum relinquere. Utrum vero hoc aliquando factum fuerit, affirmare videtur S. Th. in 1. dis. 43. quæst. 2. & cum eo Salmantic. loco laudato, etenim ex tot, quos ad vitam Christus, & Apostoli excitarunt videtur fieri non potuisse, quin aliqui in mortali peccato decesserint, præsertim cum plures fuerint infideles, hos autem postea pœnitentiam egisse, rationalius est affirmandum. Hoc immo inter cœteros affirmat Alphonsus Chaconius de anima Trajani, quam post 400. circiter annos post mortem, precibus Sancti Gregorii Magni pœnitentiæ gratiam existimat obtinuisse, atque ita justificationis gratiam consequutam à quodam pœnarum loco ad æthereas sedes fuisse transvectam; Hoc tanquam fabulam politiores Scriptores rejiciunt; & Baron. ad ann. Christi 600. pluribus argumentis reprobandam esse demonstrat. Nihilo tamen minus S. Joan. Damasc. in orat. de fidelibus defunctis id clarissime affirmat dicens de S. Gregorio. *Hic intensissimas pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem, & misericordem Dominum fudit, statimque vocem divinitus emissam audivit. Preces tuas audivi, ac Trojano ignosco; tu vero post hac caveto ne mihi pro impiis supplex sis. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus ac Occidens testatur.* In eandem sententiam devenerunt Abul. in 4. Reg. cap. 4. qu. 57. Vincent. in specul. histor. lib. 22. cap. 22. Six. Senen. lib. 6. Bibliot. annot. 47. Nacur. in in Enchir. cap. 22. Medin. 3. par. qu. 52. art. 6. pluresque alii, inter quos etiam S. Th. in 4. dis. 45. art. 2. quæstiunc. 1. ubi dicit. *Dicendum, quod de facto Trajani, hoc modo potest probabiliter existimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consequutus sit.* Quod prius etiam docuerat in 1. dis. 43. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 1. & alibi. Hinc Salmant. Baronium temeritatis reprehendunt, quod hanc narrationem fabulosam censuerit, ut videri potest apud ipsos de vitiis & peccatis tract. 13. disp. 27. dub. 3. num. 61.

95. Ex iis, quæ dicta sunt superius constat, hanc pœnam æternam debitam esse peccato mortali ex natura rei, proprioque demerito, aliter contra Scripturas Sacras magis Deus pronus esset ad puniendum, quam ad miserendum, & pœnas infligeret ultra condignum. Neque obstat quod legitur in Glos. ordin. in illud ps. 71. *Ex usuris & iniquitate &c.* ubi inquit, *usuras esse peccata, quæ nobis cum magno fœnore*

pœnas

pœnas pariunt: Deus enim plus exigit in pœnis, quam commiſſum ſit in culpis. Etenim illic uſuræ, quod dicendum de aliis peccatis, ſumuntur materialiter & quantum ad delectationem, vel utilitatem, quam peperit culpa, non vero quantum ad culpam ipſam. Certum autem eſt, majorem futuram pœnam peccatorum, quam fuerit delectatio ex peccatis percepta. Ita refello id, quod erui poſſet ex alio pluries dicto; *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ex quo videtur confici hoc argumentum, fuit in deliciis tantum temporanee, ergo etiam debet eſſe in tormento & luctu tantum temporanee; quod ſi probaret, vix momentanee pati deberent qui in lethali peccato mortui ſunt; attendenda eſt ergo culpa peccati, non delectatio, aut ſi iſta, attendenda eſt iſtius non retractatio nunquam habenda.

§. X.

De pœna debita peccato mortali dimiſſo quoad culpam.

96. PUnctum hoc, ubi de peccato veniali à nobis actum eſt, reſolvi potuiſſet, quia tamen à Catholicis Doctoribus idem dicendum eſt, quantum attinet ad ſubſtantiam pœnæ, de pœna debita peccato veniali, quod de pœna infligenda peccato lethali in reatu culpæ per pœnitentiæ Sacramentum, vel per contritionis actum remiſſo, ideo, ut complecteremur utrumque, ad hunc locum protracta eſt difficultas.

97. Quo res noſtra deducatur, jam quiſquis intelligit, nec enim de pœnis in hoc mundo perſolvendis agendum ſuſcipimus, ſed de aliis, quæ poſt animæ tranſmigrationem ſuperſunt, quapropter de purgatorio, loco quodam ab orthodoxis aſſerto, ubi ab omni reatu pœnæ purgantur & abſolvuntur animæ, quæ tantum venialiter peccarunt, nec conjunctæ corpori pœnam juſtam perſolverunt, vel ſi mortali culpa fuerunt coinquinatæ, attamen contrito corde & humiliato, quod Deus non deſpicit, culpæ veniam obtinuerunt; atque æterna pœna fuit in temporaneam commutata. Ad illud igitur propoſitum à nobis dubium extenditur, quo ſtatuamus, utrum revera detur iſte locus, qui purgatorium vocatur, in quo hujuſmodi temporaneæ pœnæ etiam poſt deceſſum ab hac vita perſolvantur, & ſolutione facta ad æternum præmium beatæ vitæ aſſequendum animæ perducuntur.

98. Dicendum dari hujuſmodi locum; Hunc negarunt Hæretici Apoſtolici appellati, ſed revera pſeudo Apoſtolici, Waldenſes, Albigen. Wicleſiſtæ, Huſſitæ, & tandem Lutherani, & Calviniani. Quod tamen negarunt Hæretici agnoverunt Gentiles, præ cæteris Virgil. 6. Eneid. qui de illis, *quos & ſupremo cum lumine vita reliquit*, concludit. *Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum.*

Supplicia expendunt &c.

& Plato in Phædone & Gorgia hæc ſummatim habet. Sunt homines nudi, ideſt ſine nobilitatis inſignibus, ſine divitiarum præſidio, ſine Regni majeſtate, poſt obitum judicandi, & Judex animum ſolum à ſuis omnibus relictum, & omnem ornatum exteriorem deponentem reſpiciet, Si inſpexerit omnia mendaciis obtorta & vanitate, ſi laſcivias, ſi fraudes, ſi injuſtitias, ſtatim ignominioſe illuc tranſmittit, ubi meritas ſubire pœnas oportet, atque omnes ſors conveniens mergit in tartarum, unde nunquam egrediuntur (ecce Infernus) ſi vero inſpexerit ſanabiles animos, ideſt illos, qui commiſerunt peccata per retractationem doloremque ſanata, aliiſque bonis operibus ſecundum culpam comparata ad Acherontem profecti in paludem perveniunt Acheruſiam, ibique habitant, & purgantur pœnas dantes pro culpa, & cum purificati fuerint, abſolvuntur. (ecce Purgatorium) Quos vero inſpexerit, qui præ cœteris pie ſapienter-

terque vixerunt, ex his terrenis locis, tanquam è carcere solutos in altiora evocat, puramque supra terram regionem velut habitaculum ipsis concedit, ibique per totum tempus vivere permittuntur in tot talibusque deliciis, ut ipse ad narrandum se imparem fateatur (ecce gloria beatorum).

99. Sed jam rem nostram peragamus, quam si ostenderimus ex Scripturis, Patribus, Conciliis, ratione, nihil à nobis exoptandum supererit. Hæc autem omnia exhibemus, atque primo non levia ex testamento veteri momenta producimus, si tamen ea Heretici perpendere velint & acceptare, sicut à Patribus fuerunt intellecta & explicata, quod si nolint, quam perperam id faciant, videat unusquisque Arbitror ad rem esse quod legitur 1. Reg. cap. ultimo, ubi describuntur habitatores Jabes Galaad audita morte Saul septem diebus jejunasse, quod & factum fuisse pro eodem & Jonatha 2. Reg. c. 1. & pro Abner 2. Reg. cap. 3. à Davide Scriptura testatur. Utiquid autem hoc egisse, nisi ut ipsorum animis adjumentum præberent, existimandum est? nunquid tantummodo in doloris mæstitiæque testimonium? Hoc vix credi potest præsertim si attendamus; Regium vatem jejuniis se exercere non assuevisse, nisi vel ad sibi peccatorum veniam impetrandam, vel ad aliquid sibi aut aliis impetrandum; Vis rem videre? Attende 2. Reg. 12. ipsum jejunasse precesque fudisse pro filio suo puerulo, dum ægrotabat, ut, si fieri posset ipsius sanitatem obtineret, & dum eum mortuum esse, sibi nuntiatum est, statim jejunium precesque dimisit; cur igitur post mortem aliorum has sibi pęnas infligit, post obitum pueri à pęnis abstinet? noverat profecto jejuniis precibusque suis illos adjuvari potuisse, hunc nequaquam quia nullius culpæ ac pęnæ noverat reum, sed ita purgatorium admitti debet, cum existentibus in Inferno nulla sit Redemptio aut levamen, ergo. Nec minus probat quod habetur Micheæ 7. *Si cecidi, resurgam, cum sedero in tenebris, iram Dei portabo, donec causam meam judicet; adducet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Locum hunc de Purgatorio intelligendum esse verba ipsa suadent, sedere siquidem in tenebris est ab hoc sæculo jam emigrasse, iram autem Dei ita portare, ut inde adducatur in lucem, est tales luere pœnas, ut non sint sempiternæ, ergo non infernales, igitur purgatorii. Omnium autem, quæ quidem plurima afferri possent, clarissimum est illud 2. Machab. cap. 12. ubi postquam descripta est oblatio facta à viro fortissimo Juda pro interfectis, concluditur. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

100. Contra locum istum Hæreticos plura reponere, me non latet. 1. libros istos non esse canonicos. 2. ex hoc ipso rejici purgatorium, siquidem pro exorandi motivo affertur resurrectio; & si Purgatorium esset, quamvis resurrectio futura non esset, adhuc pro ipsis exorare superfluum non foret ac vanum; aut dici deberet, animas simul cum corporibus mori, & aliquando cum corporibus resurrecturas, quod est manifestissimus error. 3. Judam pro mortuis orasse, non ut ipsis aliquid adjumenti conferret, sed ad ostendendum amorem & memoriam erga ipsos, ac se suosque hoc pacto consolaretur.

101. Quod primo reponitur rejecturus nihil dicam, satis in 1. Tomo dictum, ubi de Canonicis Libris pertractatum est. Ut vero secundo respondeamus; advertendum est; Quod etsi quæstio de animarum immortalitate distincta sit ab alia de corporum resurrectione, attamen apud Hebræos eandem fuisse, ita ut, qui unum negabat etiam aliud inficiaretur, ut erant saducæi, qui unum concedebat, etiam aliud concederet, ut erant Pharisæi; Constat hoc ex dicto Christi Domini, qui Mat. 22. probaturus saducæis mortuorum resurrectio-

ctionem, inquiit. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob*. Et addit; *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Quod argumentum nihil probaret, niſi eadem eſſet quæſtio de animæ immortalitate & de corporum reſurrectione, potuiſſent enim reſpondere, eſto reſurrectio futura non ſit, adhuc Deus non eſt mortuorum, ſed viventium, quia eſt Deus animarum, quæ ſunt immortales; Simili etiam argumento utitur Paulus 1. ad Corint. 15. dicens. *Quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? comedamus & bibamus, cras enim moriemur*; ubi plane ſupponit, ſi corpora non reſurgunt, animas immortales non eſſe, alioquin adhuc prodeſſet jejunare & bene vivere. In hoc igitur ſenſu etiam in libris Machabeorum ſumitur reſurrectio pro motivo exorandi pro mortuis, & ita Purgatorium non excluditur, ſed rectiſſime & neceſſario infertur. 3. omnino corruit, ſi perpendantur illa verba, *ut à peccatis ſolvantur*. Et alia, *miſit* 12000. *drachmas offerri pro peccatis mortuorum*.

102. Jam vero ad idem oſtendendum teſtamentum novum non prætereamus, ex quo quidem plura pro veritate Catholica colligunt noſtri Doctores. Hujuſmodi eſt illud Mat. 12. ubi dicit Chriſtus eſſe quodam peccatum, quod *non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Unde ſic argumentor, dum dicitur eſſe aliquod peccatum, quod in hoc ſæculo non remittitur, ſupponitur eſſe aliud, quod in hoc ſæculo remittetur, ergo, dum dicitur eſſe aliquod peccatum, quod in futuro ſæculo non remittitur, ſupponitur, eſſe peccatum aliquod, quod in futuro ſæculo remittetur. Hęc fortaſſe fuit mens eorum, quos Catholica Romana Religio ſuos profitetur, quamvis in nullo hęc argumentatio reperiatur.

103. Attamen multa ſunt, quę contra laudatum Textum Hęretici excogitarunt; Singula afferrem, niſi jam ab aliis, præſertim Eminentiſs. Bellarmin. lib. 1. cap. 4. allata eſſent, atque rejecta; Mihi vero ſatis eſt, ſi oſtendero, à præclariſſimis antiquæ, quæ tamen ſemper eadem eſt, Eccleſiæ ſanctiſſimiſque Doctoribus in ſenſu noſtro fuiſſe intellectum. Habentur autem pro hac re clariſſima teſtimonia S. Auguſtini lib. 21. de Civit. capit. 24. quem poſtea ſequuti ſunt Gregor. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 39. Beda in eundem locum, & S. Bern. hom. 66. in Cant. illis tantum verbis oppoſitam hæreſim evelli judicavit.

104. Ea tamen nobis non ſufficiunt, ſed ad alia progredimur. 1. ad Corint. 3. inquit Paulus: *Uniùs cujuſque opus quale ſit, ignis probabit; Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Etiam Textum hunc in diverſa poſſe ſignificatione explicari, non inficiamur, attamen de Purgatorio in ſano rectoque ſenſu uſurpari, negari non poteſt, niſi negemus Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, cęteroſque Patres. Horum verba præterire omnino non debemus. Auguſtin. in pſ. 37. explicans illa verba. *Domine ne in furore tuo arguas me*, ſeù, ut ipſe legit, *In indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me* inquit, hæc emendatio in ira, per quam emendati ſalvabuntur, futura eſt poſt mortem, ſic tamen quaſi per ignem, & addit. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non ſit*. Serm. 1. de Sanctis loquens de peccatis venialibus ait: *Quidquid de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dixit Apoſtolus, quia in igne revelabitur, & ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, aut enim, dum in hoc mundo vivimus, ipſi nos per pęnitentiam fatigamus, aut certè, volente aut permittente Deo multis tribulationibus pro iſtis peccatis affligimur, & ſi Deo gratias agimus liberamur*. Subdit deinde: *Ita peccata ipſa in hoc ſæculo purgantur, ut in futuro illa ignis Purgatorius, aut non inveniat, aut certe parum inveniat quod exurat; Si autem*

autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tandiu in illo Purgatorio igne moras habebimus, quandiu supradicta peccata minuta, tanquam lignum, fœnum, stipula consumantur. Tandem, ut alia quam plura hujus Sancti Doctoris omittamus, in lib.50. humiliar. hom.16. hæc habet. *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic quasi per ignem, per fluvium igneum (de quo Propheticus sermo commemorat) & vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora, quantum exegerit culpa tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina*.

105. Si vero ad Sanctum Hieronym. & Ambrosium convertamur; Primus aliquam pœnam ignis temporalem post hanc vitam futuram esse diserte fatetur in cap. ultimum Isaiæ & in lib. contra Jovinian. expendens verba Apostoli adducta num. 104 sic ait. *Si is, cujus opus arsit, & periit, & damnum sustinuit laboris sui, perdet quidem laboris præmium, sed ipse servabitur, non tamen sine probatione ignis, ergo is, cujus manserit quod superædificavit, sine ignis probatione salvabitur, & inter salvationem & salvationem erit utique diversitas aliqua*. Secundus vero clarissime nostram veritatem probat in cap. 14. Apocal. in illa verba. *Sine macula enim sunt*. Dicens. *Animæ Sanctorum sine macula sunt, quia si quas sordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam, & lacrymas, charitatisque opera, aut per flagella, aut certe post mortem igne Purgatorio deleta sunt*. Quod si quis negaret, aut ambigeret opus hoc Ambrosium habuisse Authorem, aliquem tamen ex antiquis gravibusque Patribus habuisse, inficiari non potest; Alium tamen ejusdem Ambrosii indubium locum afferre non prohibemur, est autem precatio secunda præparans ad Missam, in qua sic Christum exorat. *Recordare, quia advocatus meus es ipse, qui judicas. Quod si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me vindicandum reservas, peto, ne me potestati Dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis*. Et denique exponens Textum Pauli laudatum, inquit: *Cum Paulus dicit, sic tamen quasi per ignem, ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur*.

106. Aliud fundamentum nobis exhibet parabola, quæ legitur Mat. 5. & Luc. 12. & quæ sic concluditur. *Ne mittaris in carcerem; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Mirum est quam varie à Sacris Doctoribus exponatur. Inter reliquos S. Augustinus existimat hic agi de pœnis æternis gehennæ, & dicit per illud: *Donec reddas* nequaquam certum tempus significari, sed æternam durationem, ita ut ultimus quadrans nunquam reddendus sit. Ut autem hoc demonstret, alia similia in medium adducit. Sic Mat. 1. *Non cognovit eam donec pareret filium suum* nec tamen sequitur eam cognovisse postquam pepererit, ps.109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* nec tamen infertur non esse à dextris sessurum, postquam posuerit inimicos suos scabellum &c. Ita in re nostra, dum dicitur. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* sequitur inde exiturum.

107. Sed revera hujus Augustini explicatio potius Subtilis, quam propria censenda est, nec recte illa verba dici posse videntur, nisi aliquando futurus sit finis solutionis, & à carcere, qui missus fuerat, liberandus; atque id primo evincitur ex eadem parabola, in qua ille, cui dicitur, *ne mittaris in carcerem &c.* non comparatur aut homicidæ, aut proditori; aut raptori &c. qui perpetuo carceri, aut supplicio deputantur, sed

ſed debitori, qui in carcerem conjicitur, donec ſolvat, & poſt aliquod tempus ſolet à carcere dimitti; ſecundo quia in hoc ſenſu noſtro illam explicarunt alii Sancti Patres, ita ut ſi debitum ſit inſolubile, nunquam concedetur egreſſus, ſi vero ſolubile, qui detinetur, liber evadet. Accipe inter plures S. Cyprian. lib.4. ep.2. dicentem. *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire, aliud miſſum in carcerem inde non exire, donec ſolvat noviſſimum quadrantem, aliud ſtatim accipere fidei & virtutis mercedem, aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe*. Accipe Origen. in epiſt. ad Rom. *Quamvis promittatur exeundum eſſe quandoque de carcere, tamen deſignatur, non inde exire poſſe, niſi reddat quiſque noviſſimum quadrantem.* Idem omnino tradunt Euſebius Emiſs. hom.3. de Epiphan. Ambroſ. in cap.12. Lucæ. Idem Hieronym. in cap. 5. Mat. & tandem Bernard. ſerm. de obitu Auberti dicit. *Illud ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur, uſque ad noviſſimum quadrantem*. Ex quibus manifeſte compertum fit, textum Scripturæ à nobis adductum, intellectum juxta communem Sanctorum Patrum explicationem, purgatorium eſſe, probare; atque ex hoc collige, quod, vel ex uno, vel alio Scripturæ loco omnes Sancti Patres purgatorium dari profeſſi ſunt, quod amplius demonſtrabo, ubi defunctis fidelium orationes prodeſſe, declarandum probandumque ſuſcipiam. Hæc interim ex Patribus ſufficiant.

108. Neque exemplis illis Sancti Auguſtini aliquod contra nos apte probatur. Particula enim *donec* aliquando utrumque propoſitionis extremum vere affirmat, ut cum dicitur: Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt, aliquando vero ad unum tantum extremum refertur, ut in adductis, ex quibus ſic argumentum confici debet. *Non cognovit eam donec pareret*, ergo aliquando paritura erat. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, ergo aliquando inimici ponendi ſunt ſub pedibus ejus; & ita in re noſtra; *non exies inde, donec ſolvas ultimum quadrantem*. Ergo aliquando ſolvendus eſt, ergo aliquando exeundum.

109. Sed nunquid rei noſtræ amplius ſtatuendæ Concilia deſunt? Hoc docuit in Affrica Concil. Carthagin. 3. cap. 29. Hoc in Hiſpania Concil. Bracarenſe 1. cap. 34. Hoc in Gallia Concil. Cabilonen. & Aurelian. 2. cap. 14. Hoc in Germania Concilium Wormatienſe cap. 10. Hoc in Italia Concil. VI. ſub Symmaco, Lateranenſ. ſub Innoc. III. Florent. ſeſs. ultima in Decreto de Purgatorio, Trident. ſeſs.25. ſub initio.

110. Ratio pro aſſertione noſtra deſumi poteſt & debet ex eo, quod, vel plures lethaliter peccaverint, nec plenarie ſatisfacere potuerint, aut noluerint poſt remiſſam culpam, vel ſolum peccaverint venialiter, & pariter ſatisfactionem Deo non exhibuerint, at ex una parte his non eſt debita æterna pœna; ex alia Regnum Cœleſte adire non poſſunt, quia ut legitur Apocal.21. *Non intrabit in illam Civitatem aliquid coinquinatum*; & Paulus ad Epheſ.5. dixit. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam non habentem maculam, neque rugam*. Ergo eſſe debet aliquis locus, quo omnino ab omni pœna, & culpa purgentur, & ideo &c. Quantum attinet ad peccata venialia, jam dictum eſt in proprio loco. Argumentum hoc tanti faciendum eſt, ut, etſi nihil ex Scriptura, nihil ex Patribus pro ſtatuendo purgatorio deduci poſſet, adhuc illud admittendi ſufficiens fuiſſet in Eccleſia fundamentum.

§. XI.

§. XI.

Afferuntur argumenta Hæreticorum, & refelluntur.

111. FUndamentum præcipuum, unde error Hæreticorum proficiscitur, ex alio errore desumitur, nimirum ex impii justificatione, quam volunt in alio non consistere, nisi in eo, quod propter Christum hominibus peccata non imputentur, quando firma fide sibi credunt non imputari. Verum hoc totum jam à nobis rejectum fuit in priori parte hujus libri, ubi de hoc puncto singillatim actum est. Operæ igitur pretium tantummodo existimamus, alia afferre, quæ ex Scripturis, Patribus, & rationibus pro se militare contendunt & stultissime arbitrantur.

112. Primo ex Scripturis sic argumentantur. Inter justorum mortem & Cœlestis gloriæ hæreditatem perperam excogitatur quodcumque medium, legitur enim ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Statim debent illi, qui in Domino moriuntur à quocumque labore, ac ærumna requiescere, habetur enim Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. In ipsis nihil repræhendi, damnandi nihil invenitur, ait enim Apost. ad Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. Ergo utquid locum istum ad torquendos & purgandos justos excogitamus & fingimus?

Resp. adductos textus multifariam præter Hæreticorum intentum explicari posse. Primum siquidem exponit S. August. in dictum psal. de omnium electorum dormitione, idest cum omnes electi corporali morte dormierint, tunc erit generalis resurrectio, & statim apparebit hæreditas Domini, quia omnes resurgent ad gloriam, atque in hoc sensu nullum medium reperitur, quia jam tunc purgatorium finem accipiet. Secundum exponit Sanct. Anselmus in Comment. ejusdem loci, verbum illud *amodo* non esse intelligendum à morte uniuscujusque, sed ab extremo judicio, de quo in toto illo capite sermonem habet Joannes. In tertio agit Apostolus de concupiscentia, & docere vult, eos, qui sunt in Christo Jesu, idest hujus gratia concupiscentiæ motibus non adhærent, nullum peccatum ex iisdem contrahere, in quo Hæreticos reprobat, volentes omnes concupiscentiæ motus etiam in justis non consentientibus esse peccatum. Prætermissis tamen omnibus explicationibus facillime respondemus dicentes, omnia ea esse vera, sed de iis, qui sunt perfecte dilecti, perfecte moriuntur in Christo; nec aliquid damnationis habent non solum æternæ, sed neque temporaneæ, si perfecte sint in Christo Jesu, ita ut nec culpa gravis, nec culpa levis, neque debitum alicujus pœnæ subeundæ in ipsis remanserit. Hæc nostra explicatio desumitur à Ricardo de S. Victore in laudatum locum Apocal. immo ex S. August. lib. 3. contra duas epis. Pelag. cap. 3. ubi docet, homines etiam justos partim esse filios Dei, partim filios hujus sæculi, filios Dei quantum ad mandatorum observationem substantialem, filios vero sæculi propter quædam minuta & levia peccata, propter quæ dictum est, etiam religiosa corda de mundano pulvere sordescere.

113. Secundo opponunt alia Scripturæ testimonia. Hujusmodi est illud Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Non igitur datur locus, à quo egrediendum sit. Aliud Ezechiel. 18. *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Sed si eas adhuc in purgatorio puniret, earum recordaretur, ergo. Additur S. Paulus dicens 2. ad Corin. 5. *Si domus terrenæ nostræ habitationis dissolvitur, habemus domum non manufactam, æternam in Cœlis* justis igitur convenit Paradisi gaudium, non purgatorii

torii dolor; & ibidem. *Omnes astabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* At si purgatorium daretur, & post hanc vitam peccata remitterentur, unusquisque referret non solum prout gessit in corpore, sed etiam prout passus est extra corpus.

114. Verum horum nihil adversariis suffragatur. Si primum juxta ipsorum mentem admittatur, pro Sanctis Patribus, qui ante Christum decesserunt, nullum locum tertium fuisse fateantur necesse erit, & tamen concedi debet locus aliquis, sive dicatur sinus Abrahæ, sive Limbus, sive etiam Infernus, in quo perpetuo non fuerunt detenti; Dici igitur in primis potest, ibi sermonem esse de corporis morte, certum autem est, homines, postquam mortui fuerint, per se non esse resurrecturos, sicut lignum, postquam ceciderit, ibi manet & putrescit, ubi cecidit; Quod si etiam ad animæ statum hęc transferre velimus, quis dicere prohibet, animas ad Purgatorium pertinentes ad Austrum, idest ad statum æternæ salutis suo tempore habendæ, & nunquam amittendæ (quod probatur per illa verba, *in quocumque loco ceciderit, ibi erit*) cecidisse? Præterea; ex illo textu probatur quidem cadentes ad Austrum, aut ad Aquilonem ibi perpetuo futuros, sed non probatur, omnes cadere vel ad Austrum, vel ad Aquilonem. Secundus Textus, si intelligatur de aversione perfecta, & pœnitentia includente integram satisfactionem, certe probat, Deum amplius nullo pacto iniquitatum recordari, & ita neque illos in Purgatorio punire; at si sermo sit de conversione tantum quantum ad remissionem culpæ, non pœnæ, adhuc Deus illas temporaliter punit, quamvis dici possit illarum non recordari. Deum enim iniquitatum recordari est illas æternis suppliciis mulctare, ostenditur hoc ex contextu; nam, quemadmodum dicitur. *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, ita legitur. *Si justus averterit se à justitia, omnes justitiæ ejus non recordabuntur*; nec tamen negari potest, Deum justitias istas aliquo temporali præmio remunerari, nisi negetur, quod docent omnes Sancti Patres; Chrysost. homil. 67. ad populum Antioch. Hieronym. in cap. 19. Ezech. August. 5. de Civit. cap. 15. &c.

115. Quantum attinet ad Sanctum Paulum, jam nos ex ejusdem Doctrina Purgatorium probavimus; dissoluta igitur domo terrenæ nostræ habitationis, nos manet domus non manufacta æterna in Cœlis, statim quidem post mortem, si omnia, quæ Deo debemus, persolverimus, non vero statim, si adhuc quid remaneat persolvendum, aliqui enim salvi fiunt, sic tamen quasi per ignem, ut dictum fuit n. 104. Ultima Apostoli propositio verissima est. Reddet enim Deus unicuique secundum opera sua, & quæ seminaverit homo hæc & metet, at hoc ipsum, quod remissionis & purgationis invenerint in futuro sæculo locum probat, nihil amplius recipere, nisi quod gesserunt in corpore, existentes siquidem in gratia & charitate, sed non omnino perfectè, meruerunt post mortem posse purgari.

116. Post Sripturas Sanctorum Patrum momenta nobis audent opponere; Nihil autem ex Sanctis Patribus probari, nisi post hanc vitam haberi non posse peccatorum lethalium remissionem pro certo tenendum est; non sic vero si loquamur vel de remissionæ pęnæ pro peccatis lethalibus quo ad culpam jam dimissis, vel de remissione tum culpę, tum pœnæ pro venialibus. De istorum remissione quantum ad culpam duæ sunt celebriores sententiæ; una Doctoris subtilis, altera S. Th. Primus in 4. dis. 21. qu. 1. docet; peccata venialia remitti in primo instanti, quo anima à corpore separatur, istamque remissionem fieri per opera meritoria præcedentia, cum enim opera meritoria plus Deo placeant, quam peccata venialia displiceant, hæc

remittendi virtutem obtinent, & ideo in hac vita per opera bona venialia non remittuntur, quia impedit ipsius peccati complacentia si non actualis saltem habitualis, quod impedimentum primo mortis instanti prorsus aufertur. Secundus vero in 4. dis. 21. qu. 1. art. 2. asserit, in Purgatorio veniales culpas dimitti per actum dilectionis & patientiæ, sic enim acceptare pœnam à Deo inflictam, cum à charitate proficiscatur, potest appellari quædam virtualis & æquivalens pœnitentia, quæ licet non sit meritoria, attamen est remissiva peccati si non per actionem, saltem per passionem. Sive prior, sive secunda sententia teneatur. His breviter præmissis; Quid Hæretici reponant, intueamur, & quod à nobis superius dictum est, perspiciemus.

117. Afferunt S. Cypr. qui tract. 1. contra Demetrianum inquit. *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullius satisfactionis effectus*. S. Chrysost. hom. 2. de Lazaro dicentem. *Cum hic discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. Qui in præsenti vita peccata non abluerunt, non postea consolationem aliquam inventuri sunt*. S. Ambros. lib. de bono mortis cap. 2. scribentem. *Qui hic non accepit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria beatorum*. Tandem Sanctum Augus. lib. 5. Hypognost. ubi sic effatur. *Primum locum Fides Catholicorum Divina auctoritate credit. Regnum esse Cælorum, secundum, Gehennam, ubi omnis apostata, vel à Fide Christi alienus ęterna supplicia experietur, tertium penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis Sanctis invenimus*.

118. Verum, quo pacto intelligenda sint tria priora testimonia, nimirum de peccatis lethalibus, quæ nunquam in hac vita dimissa fuerunt, constantissime affirmamus, & ex ipsis laudatis Patribus evinci potest, si ibidem legantur. Sanctum Augustinum alibi exposuimus; agebat enim contra Pelagium, qui inter Regnum Cęlorum & Gehennam, tertium locum æterno duraturum pro parvulis non baptizatis adstruebat; Hunc excludendum esse tenet Ecclesia, admittendum vero tertium locum, qui sit aliquando finem accepturus, idest Purgatorium & Ecclesia docet, & Augustinus tradit, aliter debuisset etiam negare fuisse ante Christi Ascensionem sinum Abrahæ, seù Limbum Patrum. Plura alia ex Patribus affert Petrus Martyr, sed frustra, cum ex illis probetur vel non dari extra hanc vitam spatium & locum conversionis, vel merita & demerita non amplius minui vel augeri, vel sermo sit de animabus aut decedentibus cum peccato lethali, aut cum perfecta justitia, & ideo illas statim detrudendas esse in Inferno, istas ad cęlestia sublevandas.

119. Nunc vero ad ea perpendenda, quæ ex ratione depromunt, progrediamur. Primo inquiunt, assertum nostrum falsum esse in supposito, supponimus namque remissa culpa non esse simul remissam, & totam pęnam, quod omnino rejiciendum esse, constat ex eo, quod remissio culpæ non aliter fit quam per meritum Passionis Christi, quod superabundans est ad tollendam omnem culpam & pęnam; quod si hoc fit per Sacramentum Baptismatis, quare non fiet per Sacramentum Pęnitentiæ? an non in utroque operatur una & eadem virtus Christi? Certe Christus solus est noster Redemptor & liberator, at si opera nostra ad nos redimendos liberandosque necessaria sunt, nos ipsi sumus nostri Redemptores ac liberatores, quo dato, vel una est satisfactio, vel duplex, si una, vel illa Christi, vel nostra, si ista, excluditur Christus, si alia, ergo Christus satisfecit tam pro culpa, quam pro pęna; Si vero duplex, ergo uni culpæ duplex pęna correspondet, illa nimirum Christi & nostra, quod dici non debet.

120. Resp. suppositum nostrum esse verum, nec nisi stulte ac impie negari pos-

posse. Dimissum erat peccatum David dicente Nathan, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, nec tamen fuit absolutus à temporanea pœna, quia enim blasphemare fecit inimicos nomen Domini, filius, qui natus est ei, mortuus est; Orante Moyse dimissa fuit culpa Mariæ, quæ contra Dominum murmur effecerat, & tamen per unam hebdomadam lepræ pœna punita fuit; centum alia exempla ex Scriptura Sacra afferri possent, sed hoc punctum accuratius pertractandum est, ubi in tractatu de pœnitentia de satisfactione sermo contingit. Nunc satis erit afferre in hac re verba Augustini, quę habentur tract. 124. in Joan. sunt ista. *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam primum fuerit causa peccatum, productior enim est pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna etiam quem ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa*. Supponamus itaque, quod nonnunquam contingit, aliquem plura peccata commisisse, & tantum in mortis articulo se ad Deum convertere, huic certe dimissa culpa est, at quam satisfactionem exhibuit pro pœna, cum statim mortuus sit? Supererit ergo pœna temporaria persolvenda, ast hæc ubi, nisi purgatorium concedatur, ut dictum fuit num. 110.? Dices fortasse per mortem omnia puniri; sed perperam hoc dicis, nisi velis asserere pœnam debitam peccatis actualibus non esse distinctam à pœna peccato originali statuta, aut eandem pœnam stabilias peccatis magnis ac parvis, plurimis ac paucissimis, in quo Divinam providentiam, ac justitiam non mediocriter reprehenderes ac condemnares.

121. Haudquaquam ignoro, Calvinum lib. 3. instit. cap. 4. §. 31. duplex genus pœnarum, quas Deus hominibus infligit, distinguere. Unum earum est, quæ à Deo infliguntur ut Judice in præteritarum culparum vindictam; Alterum vero earum, quæ à Deo infliguntur ut Patre, non ad punienda peccata præterita, sed ad hominem admonendum, ne peccet. Primo modo punit Deus tantùm inimicos suos, proinde nihil pœnæ hujusmodi servari potest in purgatorio. Secundo vero modo non est opus quis puniatur post mortem, cum peccandi periculum amplius non supersit; sed quo pacto frustranei sint hujusmodi Calvini conatus, constat ex dictis num. superiori. Certe David & Maria post culpam dimissam erant amici Dei, & tamen pœnam luerunt propter peccatum præteritum; Fatemur igitur pœnas, quas justi subeunt, esse etiam paternas admonitiones, ne ulterius peccent, attamen sunt etiam pœnæ & satisfactiones culpis præteritis debitæ ex justitia, non enim dictum fuit, *Filius, qui natus est tibi morte morietur* ne iterum pecces, sed quia *blasphemare fecisti nomen Domini* quod refertur ad peccatum præteritum esto dimissum. Quo pacto porro cohæreat hæc Calvini doctrina ejusdem principiis non intelligo; etenim mors per ipsum est vera pœna peccati, & flagellum paternum, at quomodo potest esse instituta ad peccatum præcavendum, cum ille, qui moritur, non possit amplius peccare?

122. Ad reliqua num. 119. exposita diluenda progrediamur. Fatemur remissionem culpæ haberi per meritum passionis Christi, quod superabundans est ad tollendam & culpam & pœnam, attamen meritum & satisfactio Christi applicari debet per opera nostra, sicut & per Sacramenta, quæ nobis volentibus, & nos ad ea disponentibus passionis fructum in nobis causant, alioquin omnibus æquali modo prodessent, quod est contra Paulum 1. ad Corint. 15. dicentem: *Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Et Christus Joan. 14. inquit; *In Domo Pa-*

tris mei mansiones multæ sunt. In quæ verba August, tract.67. in Joan. *Multæ*, ait, *mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant Dignitates*. Sed de hac re pluries & effusius alibi dicendum continget. Quantum ad argumentum desumptum à Sacramento pœnitentiæ comparato Sacramento baptismatis, primo dico, si sumatur Sacramentum pœnitentiæ adæquatè tam juxta essentialia, quam integralia pari modo discurrendum esse, quare nihil contra nos concluditur, secundo dico, multum inter hæc duo Sacramenta reperiri discriminis; In baptismate siquidem omnino liberaliter agit Deus, ita ut per ablutionem illam auferatur culpa & omnis pœna futuri sæculi; at in pœnitentia contrahit aliquantulum manum suam, ita ut applicet quidem Christi merita ad tollendam culpam & pœnam æternam, non tamen omnem temporaneam nisi per nostra opera satisfactoria. Hinc est, quod à Patribus & Conciliis baptismus comparatur rati, qua facile trajiciunt flumina & maria, pœnitentia vero comparatur secundæ tabulæ post naufragium, cui qui innituntur salvantur quidem, sed proprio labore ac sudore; ratio etiam id suadere videtur, nam qui post acceptam baptismatis gratiam peccat, gravius peccat, & magis ingratum se exhibet Deo, debet igitur etiam magis puniri. Quod additur de Christo redemptore ac liberatore alibi solutum est in Quæstione de Justificatione, & Merito. Certe in Scripturis Sanctis homo dicitur sui ipsius redemptor ac salvator. Sic Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime* ad Philip.2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Hoc autem nihil Christo Redemptori ac servatori affert injuriæ, etenim tota virtus operum & satisfactionum nostrarum à Christi meritis pendet. Hinc unicam satisfactionem illam dicimus, quæ à nobis est, & quæ à Christo, sicut unica est actio illa, qua Deus, & creatura aliquem effectum producunt; sed, ut præmonui, de hac re alibi satis.

123. Instabis contra superius dicta; crescente culpa crescit & pœna, ergo remissa culpa remittitur & pœna; Quod si hoc non dicatur, non est cur confugiamus ad remissionem pœnæ obtinendam in purgatorio, in quo sicut nullum meritum esse potest, ita esse nequit aliqua satisfactio, omnis namque satisfactio meritoria est.

Sed contra. Verum est, crescente culpa crescere & pœnam, non tamen verum esse remissa culpa remitti & pœnam, nam licet pœna dependeat à culpa quantum ad fieri, non tamen quantum ad esse, est enim debita etiam post præteritam culpam, mutatur utique, & in hoc sensu remittitur, omnino tamen non remittitur, ut à nobis declaratum fuit. Ad secundum falsa est consequentia paritatis, nam & esse potest meritum sine satisfactione, & esse potest satisfactio sine merito; Aliqua sunt communia tam satisfactioni, quam merito, v.g. habere gratiam sanctificantem, aliqua vero sunt peculiaria. Ad satisfactionem necessarium est, opus esse pœnale, quod ad meritum non requiritur; Ad meritum necessarium est status libertatis & viæ, quod non requiritur ad satisfactionem, si quis enim cogatur à Judice ad solvendum debitum, revera satisfacit, quamvis coacte solvat. Res igitur ita se habet, ut animæ in purgatorio mediæ existentes inter nos, & damnatos ac beatos, aliquid possint quod medium sit; nos possumus mereri & satisfacere, damnati ac beati nec mereri nec satisfacere, illæ igitur satisfacere, non mereri.

124. Oppones ultimo argumento, quod inter Catholicos promoveri potest. Animæ decedentes vel statim damnari debent, vel statim ad patriam Paradisi perduci, ergo omnino fingitur Purgatorium; Prob. ant. Animæ decedentes vel sunt peccato lethali coinquinatæ, vel gratia & charitate præditæ, si primum, statim damnari debent, si secundum

dum statim &c. ergo. Prima pars mi. conceditur; Secunda prob. ab opposito; Animæ decedentes in peccato lethali statim damnantur, ergo animæ decedentes cum gratia & charitate statim &c. quod quidem potiori ratione dicendum videtur, cum Deus pronior sit ad largienda præmia, quam ad pœnas infligendas; & si Deus præcepit reddendam statim esse mercedem operariis, non enim morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane, quanto magis id dicendum de Deo? Ad summum igitur dici poterit, animas decedentes cum aliqua veniali culpa minus fruituras esse Deo, non autem absolute & statim non esse fruituras, eo pacto quo animæ decedentes cum peccato lethali, quamvis cum aliquo levi bono opere, minus punientur in Inferno, absolute tamen & statim puniuntur.

125. Resp. ne. ant. ad prob. conc. animas decedentes in peccato lethali statim esse damnandas, sed nego, animas decedentes in gratia & charitate, si aliqua veniali culpa teneantur, statim ad Paradisum perduci; ratio hujus est, præter Scripturas adductas num. 110., quia, si anima peccato lethali sit infecta, absolute est mala, statim igitur puniri debet, & anima charitate prædita, si culpæ venialis, aut alicujus debiti rea sit, absolutè non est bona, cum malum desumatur ex quocumque defectu, & prohibetur, ne ad castissimos sponsi sui amplexus perveniat, donec etiam illas, etsi minutæ sint, sordes deposuerit. Est nihilominus Deus pronior ad remunerationes, quam ad pęnas, siquidem istas ac citra condignum infligit, illas ultra; sed tempore à sua justitia definito, & hominibus apto, quod hujusmodi non est, donec sint ab omni labe tum culpæ, tum pęnæ defæcati, in quo sensu opus mercenarii non moratur in ejus manu, sed perficitur atque purgatur, ut ad purissimam omnisque mali expertem valeat pervenire mercedem. Ad ultimum; jam adducta disparitas est, quia qui decedit cum peccato lethali, etsi aliqua levia bona opera secum trahat, attamen absolute, immundus est; non ita qui decedit cum gratia & charitate, & secum aliqua levia peccata trahat, absolute mundus censendus est, proinde prorsus mundari debet; beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hinc &c.

§. XII.

Fidelium Orationes prosunt Defunctis.

126. SI præter ea, quæ diximus, Fidelium Orationes Defunctis prodesse, à nobis declarabitur, aliud efficax argumentum pro Purgatorio statuendo producemus. Illud autem sic proponimus. Fidelium orationes prosunt defunctis, sed neque prosunt beatis, neque damnatis, ergo admittendi sunt aliqui defuncti, qui neque sint beati, neque damnati, sed sic admittitur purgatorium, ergo. Majorem nostra interest probare, sed si negaretur etiam minor propter aliqua fundamenta, hæc prius refellamus oportet.

127. Videtur igitur primo. Preces ac suffragia prodesse etiam beatis, Epiphan. enim hær. 75. Cyrill. cathec. 5. mystagogica, & Chrysost. in sua liturgia asserunt pro Apostolis, Martyribus, Prophetis, aliisque Deo Sacrificium offerri; immo postremus Sanctus Doctor hom. 33. in Matt. excitans fideles ad eleemosynas pro filiis defunctis, hæc habet. *Putas eum maculis inquinatum? da illi sua, ut illis se à maculis detergat: putas in justitia decessisse? præbe ipsi tua, ad mercedis & retributionis adjectionem.* Hæc præterea fuit etiam mens Ecclesiæ, etenim in antiquis Missalibus, teste Innoc. III. cap. *Cum Marthæ* extra de celebrat. Missarum in die S. Leonis legebatur. *Annue quæsumus Domine, ut animæ B. Leonis hæc prosit oblatio.* Et nunc etiam in oratione secreta pro ejusdem festo

festo sic dicimus. *Sancti Leonis Confessoris tui atque Pontificis annua Solemnitas nos tibi reddat acceptos, ut per hæc piæ placationis officia illum beata retributio &c.* Tandem frequenter in orationibus de Sanctis sic oramus. *Sumpsimus Domine Sancta Mysteria, quæ sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita &c.* ex quibus inferre licet, ergo Fidelium orationes & suffragia prosunt etiam beatis.

128. Sed quod prodesse possint etiam damnatis, pluribus ostendi posse videtur. Primo quia S. August. in Ench. cap. 110. dicit: *Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, ut plena fiat remissio aut tolerabilior sit ipsa damnatio.* Et capit. 112. *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.* Secundo Innoc. III. cap. *Cum Marthæ* hanc ponit divisionem. Quidam sunt valde boni, & suffragiis non egent, quidam valde mali, & suffragiis adjuvari non possunt, quidam mediocriter boni, quibus suffragia prosunt ad expiationem, quidam mediocriter mali, quibus prosunt ad propitiationem, at isti quinam esse possunt, nisi pueri existentes in Limbo? sed hi sunt damnati, ergo etiam damnatis prosunt suffragia. Hoc etiam tradidit Prudentius in Hymno de novo lumine Sabbathi Paschalis inquiens:

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub stige feriæ &c.

129. Neutrum tamen à nobis admittitur. Non primum; etenim si Sacrificia offeruntur pro Sanctis, & pro ipsis orationes funduntur, hoc tantummodo fit, ut pro gloria illis collata Deo gratias agamus, aut si etiam aliquid pro ipsis petimus, hoc pertinebit ad ipsorum gloriam accidentariam, idest, ut ipsorum gloria toti mundo innotescat, & ubique magis, ac magis eorum præclara gesta celebrentur, aliisque imitanda proponantur. Cœterum Augustinus serm. 17. de verbis Apost. aperte docet, *injuriam facere Martyri, qui pro Martyre orat*, quod intelligendum est de oratione illa, quæ fieret, vel ad ipsi peccati remissionem obtinendam, vel gloriam essentialem comparandam, tanquam si vel peccato aliquo teneretur, vel gloria essentiali careret. Sic rejecta habes quę primo loco opponebantur.

130. Quantum ad secundum; Augustinus in primo dicto per damnationem tolerabiliorem loquitur de pœnarum mitigatione in Purgatorio, quod ostendam explicando divisionem positam ab Innocentio. In secundo non profert sententiam suam, sed aliorum, quam permittit non alio titulo, nisi quia Deus punit citra condignum; Unde de hoc puncto, quod modo pertractamus, nullam movet quæstionem. Quod vero attinet ad quadrimembrem Innoc. III. divisionem, fortasse deceptus fuit existimans talem fuisse apud Augustinum, quod tamen falsum est, nam per istum, idem est esse mediocriter bonum & esse mediocriter malum, ut etiam ratio naturalis expostulat & ex terminis patet; sed si velimus illum admittere, dicemus, illos esse mediocriter bonos, qui nullam habent culpam, habent tamen reatum pœnæ, illos esse mediocriter malos, qui, licet careant culpa lethali, non carent tamen omni veniali, & ita non est cur concedamus pueris in Limbo damnatis suffragia prodesse. Prudentius poeticè loquutus est.

131. Nunc igitur superest probemus majorem propositionem argumenti sub initio propositi. Illam autem probo juxta perennem Sanctorum Patrum Doctrinam & traditionem. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. par. 3. cap. 7. ait: *Accedens deinde Venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, deprecatur oratio illa Divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione vivorum.* Gregor. Nazianz. in orat. ad Cæsarium, inquit: *Ipsi Deo & nostras, & eo-*

eorum, qui quasi in via parationes prius ad hospitium pervenerunt, animas commendemus. Cyril. catech.5. Mystagogica hæc habet. *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro omnibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi Sacrificii.* Chrysost. hom.69. ad populum. *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam.*

132. Hucusque attulimus, ex plurimis, quos præterire placuit, Græcos Patres; Quid vero si Latinos in medium adducamus? Infinitus essem, si omnia proferre contenderem; Bernar. ser. 66. in Cantica, & Petrum Cluniacen. in lib. contra Petrobusian. ex instituto de hac re scribentes omittam, atque etiam Gregor. lib.4. Dialog.cap.55. Isid.lib.1. de offic. cap.18. Victorem lib.2. de perse; Wandal. & mihi satis erunt Ambros. Hieronym. & Augustinus. Porro Ambros. lib. 2. ep. 8. ad Faustin. de obitu Sororis ait: *Non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor, nec mæstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam.* Idem habet in orat. de obitu Valentiniani, Theodosii, Satyri. S.Hieronym. in epist. ad Pammach. disserens de obitu Paulinæ Sororis, inquit: *Cæteri Mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat &c. sciens scriptum, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Tandem S. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap.1. dicit: *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed etsi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Leges in hac re, si hæc tibi non sufficiunt, Sanctum Doctorem in Enchirid. cap. 110. lib.9. Confess. cap.13. lib. 21. de Civit. cap.24. aliisque in locis.

133. Hæc omnia non mediocriter Hæreticos premunt; atque ut respondeant ineptias proferunt & mendacia. Respondet primo Calvin. lib. 3. instit. §.10.cap.5. Orare pro mortuis per 1300. annos in Ecclesia fuisse receptum, sed omnes tunc errasse. Proh digna responsio? An non juxta Calvinum Ecclesia primis sæculis infallibilis fuit? Satis ita respondendo se damnat. Respondet secundo preces pro mortuis effusas esse, non ut ipsis aliquid adjumenti præberent, sed ut erga eos amorem ostenderent, ac se ipsos consolarentur; sed hæc responsio satis refellitur perpendentibus verba, quæ nos attulimus. Respondet tertio. Hoc fuisse commune apud rudem Populum, & vulgus Christianorum, quibus Patres se accommodare voluerunt; verum & hoc omnino falsum est, si hoc factum esse ab ipsis sanctissimis æque, ac Doctissimis Patribus, qui etiam alios hortabantur, ut id facerent, perpendamus, & Aerium in hoc contrarium sentientem tanquam Hæreticum existimarunt, ut videri potest apud S. Augustinum lib. de hæres. cap.53. Quod tandem dicat Petrus Pseudo Martyr, fere omnes Patres in aliqua re errasse, hoc concedi potest in aliquibus privatis opinionibus, at in uno errore omnes convenire non potuerunt, ut in re nostra contingeret.

134. Quod usque modo ex communi Patrum consensione declaravimus alio etiam momento demonstrare non prohibemur sic. Servari debet communicatio inter vivos ac defunctos, sed nulla servaretur, nisi per vivos posset adjumentum afferri defunctis, & per defunctos vivis, ergo. Prob. maj. servari debet communicatio inter vivos ac de-

defunctos, si vivi, ac defuncti sint unum corpus pertinens ad eandem Ecclesiam, juxta id quod ait Apostol. ad Corint. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Sed vivi ac defuncti sunt unum corpus pertinens &c. juxta Augustinum lib. 20. de Civit. cap. 9. dicentem: *Piorum animæ defunctorum ab Ecclesia Dei non separantur, quæ est Regnum Christi*; ergo.

135. Porro etiam defuncti multum adjumenti afferunt vivis. Quis enim ignorat quod legitur 2. Machab. cap. 16. Oniam & Jeremiam jam mortuos visos esse orare pro Populo? Legatur August. lib. 22. de Civit. cap. 8. & Theodoret. in libro de Martyribus, innumera reperientur exempla, quibus, quot, & qualia beneficia collata fuerint à mortuis compertum habebitur.

136. Neque obstat quod docet Sanctus Thom. 2. 2. qu. 83. art. 3. Etenim si mortui nequeunt pro vivis orare, vel est quia Deum non vident, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores; primum non probat, nam tempore veteris Testamenti Sancti defuncti Deum non videbant, & tamen pro vivis orabant; secundum neque, etenim Martyres Sancti in maximis erant tormentis constituti, & tamen Deum deprecabantur, ut patet in Martyre Stephano, & in omnium Martyrum capite Christo Domino, qui pro crucifixoribus Patrem oravit; ratio autem est, quia Purgatorii pœnæ rationem non perturbant, nec bonum voluntatis affectum impediunt. Tertium neque, nam in primis possunt inferiores pro superioribus orare, deinde animæ Purgatorii inferiores quidem nobis sunt propter pœnas, superiores tamen propter gratiam & charitatem, in qua sunt confirmatæ, ergo.

137. Ita profecto exigit membrorum Christi conditio, ut sicut Christus vivus profuit mortuis, ut constat, quando Lazarum revocavit ad vitam, & mortuus profuit vivis morte sua mortem omnium superando, ita & ejus membra viva prosint membris mortuis, & membra mortua membris vivis, & sic &c.

Non desunt tamen aliqua argumenta, quibus contrarium probari posse videtur: & primo ex Scriptura. Eccles. 9. legitur: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, nec partem in hoc sæculo in opere*. Ergo nec mortui possunt prodesse viventibus, nec viventes mortuis. Sed contra; ex hoc textu aliud non innuitur, nisi mortuos non posse uti bonis à se in hac vita relictis, non tamen à nobis adjuvari non posse.

138. Secundo arguitur auctoritate S. Hieronymi, qui in cap. 6. epist. ad Galat. hæc habet. *Docemur, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos adjuvari, cum autem ante Tribunal Christi venerimus non Job, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum*. Sed contra; Vel Hieronymus loquitur de illis, qui decesserunt in peccato lethali, vel de apparitione ante Tribunal Judicis in Judicio finali, quando non erit amplius Purgatorium, tunc enim etiam suffragia desinant, necesse erit. Quænam autem fuerit mens Hieronymi, patet ex eo, quod scripsit contra Vigilantium, negantem posse nos orare pro invicem, dum vivimus, aut post mortem nullius pro altero orationem prodesse.

139. Tertio affertur Ambros. lib. 1. de Abrahamo cap. 9. inquiens: *Docemur, ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus*. Ergo superflua est eorum solicitudo, qui pro mortuis orant, jejunant &c. Sed contra; insinuat Sanctus Doctor luctum & pompam funeris esse moderatione restringendam. Quantum vero curæ adhibendum sit in orationibus fundendis, & eleemosynis dispensandis, aliisque operibus impendendis, colligitur ex locis ejusdem à nobis adductis.

140. Ultimo proponitur ratio. Nemo debet pati malis alienis, *non enim*, Eze-

Ezechiel. 18. *Portabit Pater iniquitatem filii*; ergo neque debet frui bonis alienis, ergo. Secundo orando pro mortuis eorumdem gloriam minuimus, prob. orando pro mortuis ſatisfacimus pro ipſis, ſed ita eorum gloriam minuimus, nam melius eſt, ſi quis ſatisfaciat per ſe, quam per alium, ergo. Sed contra. Patitur quis malis alienis, ſi fiant alterius conſenſu & voluntate; Unde Ex.20. habetur. *Deus punit peccata Patrum in filiis in tertiam & quartam generationem*. Ita quis fruitur bonis alienis, ſi fiant utriuſque conſenſu & voluntate; Hoc autem pacto vivi orant pro defunctis, iſti enim cupiunt adjuvari, & nos volumus adjuvare; Deinde punire unum pro alterius culpa injuſtitiæ vitio tribuendum eſſet, acceptare autem bona unius pro alio, opus eſt miſericordiæ, ac liberalitatis. Ad ſecundum loquendo de hac vita, in qua poteſt quiſque per ſe mereri gratiæ & gloriæ augumentum, ratio concludit, loquendo vero de alia vita, in qua merito locus non datur, non eſt melior ſatisfactio propria, quam aliena. Hæc, quæ de Purgatorio diximus Divina Fide tenenda ſunt, reliqua vero, quæ inquiri poſſunt, & ſolent, plenariam certitudinem non habent; ideo nobis Theologice rem pertractantibus hæc dixiſſe ſufficiat, & ita Quæſtionibus de Peccatis tanquam de Divinæ Gratiæ oppoſitis finem imponimus, omnia Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ infallibili judicio ſubdentes.



FINIS.

ERRATA:		CORRIGE:
Pag. 36.	alerius	alterius
38.	fecit	ſcit
56.	Deus	Deum
100.	calefactionem	approximationem
127.	Afferuntur	Affertur
174.	injuſtitia	in juſtitia
199.	cæpiſſe	cepiſſe
233.	argumentum	augmentum
246.	malam	malum
249.	proxitatem	pronitatem
257.	removetur	remoretur
290.	dedecentes	decedentes
313.	quippe	quiſque
322.	meritum	præmium
322.	ne.	me

In cæteris levioribus veniam petit Typographus.

